image
not
available

9585

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

ANNO MDCCLI

publicata,

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis,

LIPSIÆ,

Proſtant apud JO. FRID. GLEDITSCHII & LANCKISII hæredes.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM & SEBAST. COLETUM, Pariſiis apud BRIASSONUM, Ultrajecti apud JO. BROEDELETUM, Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM, & Amſtelodami in PETRI MORTIERII officina.

LITERIS FRID. GOTTH. JACOBÆERI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Lectori Salutem!

Pergunt adhuc, &, ſi Deus voluerit, porro pergent, non male de literis mereri, Muſæ noſtræ, illæ ſenili nunc quidem, quam juvenili, propiores ætati, at nihil adhuc, quæ moleſta eſſe ſolent ſenectuti, incommodorum ſentientes, nec moroſæ quidquam, aut difficiles, ſed ſatis in his annis virium & firmitatis, ſatis ad conandum alacritatis, ſatis ad agendum vigoris atque ſtudii, habentes. Magnum hoc nobis a bonorum omnium auctore ſummo beneficium eſt datum, ut, quo propius in hoc curſu noſtro ad ſupremum illum rerum, quæcunque ſunt, humanarum terminum accedimus, hoc abeſſe ab eo longius videamur, &, ut conquerendi de fortunæ, non ita ſemper, ut optari ſolet, bonis & ſalutaribus conſiliis faventis, iniquitate cauſa nobis nulla, ita lætandi de rerum noſtrarum ſtatu proſperrimo argumenta bene multa, ſuppetant. Nam, quod turbari aliquando noſtra otia ab illo genere hominum vidimus, cui a natura hoc datum eſt, ut nihil conari, niſi per invidiam, malitiam, & obtrectationem, poſſit; quod contemtum ſæpe tulimus ab his, quos ſua ipſos ratio vivendi mortalium contemtiſſimos omnium facit; quod ii inprimis, qui ſuarum præmium nugarum a nobis fruſtra exſpectaverant, odio nunc etiam nos capitali proſequi, & malefactis addere atroces minas, haud deſiſtunt; ſunt hæ quaſi tenues nubeculæ, quæ lætam & ſerenam comitari tempeſtatem ſolent, nec clariſſimam ſolis lucem obſcurant, ſed, ut brevi exortæ, ita mox a levi quadam aura diſſipantur. Iſta, ſi qua ſunt, incommoda abeſſe a rebus etiam florentiſſimis nullo modo poſſe, bene ſcimus, nec parum nobis ſolatii exempla aliorum præbent, qui, quo magis a peſſimo quoque vexati, hoc digniores ſunt bonorum omnium amore judicati. Ita igitur natura comparati, ut, quicquid nobis accidat ad noſtrum aliquem, ſi fieri poſſit, fructum referamus, illis malevolorum inhoneſtis artibus prudenter utimur ad id, ut in his, tanquam in cote quadam, noſtram & induſtriam, & virtutem, acuamus. Ceterum contenti ſumus, quam dederunt fata, ſorte noſtra, & ex ſententia nobis ſuccedere, quicquid conamur literarum cauſa, gaudentes profitemur. Vivimus in ea regione, quæ inter cultiſſimas Europæ jure ſummo numeratur, quæ inde a vetuſtisſima memoria liberale Muſis ac jucundum præbuit hoſpitium, nunc autem eam gloriam hoc certius tuetur, quo & ſapientiores, & amantiores literarum, ipſa Principes oſtendit. Nam, qui tempore hoc ipſo placidiſſimo imperio Saxoniam, abundantisſimam opibus naturæ & fortunæ terram, regit, potentiſſimus AUGUSTUS, in arce ſua, tanquam Apollo alter in

Digitized by Google

Parnaſſo, ſedet, et, in ſcientiarum artiumque flore magnam publicæ ſalutis partem verti, ſapienter videns, ſuosque ante oculos poſita in domo regia præclare collocati in literis ſtudii illuſtriſſima exempla habens, non amat tantum & fovet viros doctos, ſed hos ita etiam honoribus muneribusque auget, ut, qui famam aliquam doctrinæ haud vulgaris habet, vel ſic ſatis ſe felicem posſit ac fortunatum judicare. Cujus maximi Principum niſi nos incomparabilis clementia, ac vere regia munificentia, & a multis inde annis ſuſtentaſſet, & nunc etiam admirabilem in modum ſuſtentaret, fortaſſe dudum in nobis exſtinctus ille utilia conandi ardor, ille recti honeſtique ſenſus, illud cum valetudinis & fortunarum jactura literas juvandi ſtudium, fuiſſet. Favent præterea noſtris conatibus, &, ne huic, ſatis graviter nos prementi, ſuccumbamus aliquando oneri, cavere nos jubent, ſuaque, ut ex omni parte bene nobis ſit, auctoritate efficiunt, ſummi aulæ ac reipublicæ proceres, quibus cum nemo bonus ſalutem ſuam fruſtra ſoleat concredere, hoc firmius in his præſidium fortunæ ſuæ habent artis Apollineæ alumni, quo certius conſtat, in his nullum eſſe, quem non ita ornent literæ, ſicut ipſe vicisſim literis eſſe decori ac ornamento ſolet. Tales nempe operum ſuorum judices, tales induſtriæ æſtimatores, tales laudatores, habere, res eſt non voluptatis tantum, ſed honoris etiam gloriæque plena. Sed æquos ſe nobis etiam præbent ceteri noſtrorum civium, ſive noſtra hæc legentes cupide, & communi quodam plauſu proſequentes, ſive urbi noſtræ patriæ partam per literatos hos Annales famam ex animo gratulantes. Sunt enim eorum non pauci, qui, cum præclara multa & inſignia Lipſiæ noſtræ decora, cum Academiam illuſtrem, cum florentisſimum Senatum, cum nobilisſimorum æque ac doctisſimorum hominum frequentiam, numerarunt, tandem, quod Lipſia apud exteros nomen non omnino nullum habeat, id vel maxime Eruditorum *hiſce* Actis *deberi, grati agnoſcunt. Non majorem hoc ipſo fructum exſpectare noſtra annorum ſeptuaginta ſtipendia poſſunt; quandoquidem, qui, transacto vitæ & laborum curriculo, ornatiorem ſua opera ac nobiliorem patriam relinquit, is demum recte collocaſſe tempus ſuum, is demum meritisſimas a poſteritate laudes ferre atque gratias, videtur. Tune igitur, futurum, Lector, putes, ut tædium nos aliquando laboris tam per ſe honeſti, tam jucundi, tam nobis patriæque glorioſi, ſubeat? Id ſi fieri poſſe credis, injuriam noſtro huic animo facis, quem ita natura finxit, ut, quicquid demum eveniat, nunquam deponere amorem literarum posſit. Nimirum illud certo nobis firmiterque eſt propoſitum, ut, in qua nos fatum noſtrum collocavit, ſtationem nunquam deſeramus, ſed, quoad nobis aliquid vigoris ſupereſt, eam fortiter tuentes, tibi, bone Lector, ſtudiisque tuis, omne vitæ noſtræ tempus, omnes corporis animique vires, omnes curas & labores noſtros, conſecremus.*

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii Anno MDCCLI.

ESPANNA SAGRADA, &c.

id eſt,

HISPANIA SACRA, THEATRUM GEOGRAphico-hiſtoricum Eccleſiæ Hiſpanicæ; origo, diviſiones, & termini, omnium ejus provinciarum; antiquitas, translationes, ſtatus antiquus & præſens, ſedium Epiſcopalium in omnibus terris Hiſpanicis & Luſitanicis: una cum variis Diſſertationibus criticis, quibus Hiſtoria Hiſpaniæ ſacra illuſtratur. Autore HENRICO FLORESIO, Ordinis S. Auguſtini Monacho, Regii Collegii Complutenſis Exrectore, Doctore Theologo, & Cathedrarum theologicarum Academiæ, autoritate ſupremi Senatus Caſtilienſis, Candidato.

Volumen I - IV.

Madriti, Vol. I, 1744, 4. Alph. 1 plag. 14, Figg. æn. 2, Vol. II, 1747, Alph. 1 plag. 16, Vol. III, 1748, Alph. 2 plag. 19, Vol. IV, 1749, Alph. 3 plag. 7, cum Mappa geogr. 1.

Ex quo Critices ſanioris ſtudium in Hiſpania cœpit refloreſcere, bonorum etiam librorum meſſem nobis hoc regnum dedit lætiorem. Nec habebit amplius, cur queratur, quod in approbatione, *Volumini quarto* hu-

 jus

Digitized by Google

jus Operis præmiſſa, fecit, *Nicolaus Gallus*, Cenſor Regius, *de Hiſpanorum ſcriptis minus bene plerumque ſentire cultiſſimas nationes, & Diarium inprimis* hoc *Lipſienſe*, ſi, quales adhuc produxerunt fœtus Hiſpanorum non pauci, producere & in poſterum pergant. Opus ingens & arduum aggreſſum eſſe Autorem, nemo negabit, cui notum eſt, præter *Gonſaleſium Davilam*, & *Franciſcum Padillanum*, Autores parvi momenti, adhuc neminem fere fuiſſe, niſi Autores nullius fidei, *Dextrum, Marium Maximum, Aubertum Hiſpalenſem*, qui tale quid auſus fuerit, nec noſtris temporibus quemquam ſe ad tale opus accinxiſſe, ſi, quod triumviri illi, *Caſpar Ibanneſius de Segovia & Mendoza*, Marchio *Mondejarius*, *Aguirreus*, R. E. Purpuratus, & *Nicolaus Antonius*, ſcripſerunt, excipias, qui tamen omnes partem ſolum operis, non totum, ſunt aggreſſi. Hiſtoriam igitur Hiſpaniæ ſacram nondum exſtare, conqueſti ſunt Hiſpani, conqueſti ſunt exteri, conqueſtus eſt nuper publice *Ildephonſus Clemens Aroſteguianus* in *Exhortatione de Hiſtoria Eccleſiæ Hiſpanienſis excolenda, ad Hiſpanos habita in palatio C. M. Reg. Hiſp. Romæ XII Cal. Septemb. A. 1747, pag. 3.* Servata fuit hæc gloria noſtro *Floreſio*. Ediderat hic jam antea Curſum, quem vocant, Theologiæ, *quinque Voluminibus* abſolutum, tum & Clavem hiſtoricam lingua vernacula. Præſentis Operis *quatuor* huc usque ad nos *Volumina* pervenerunt, de quibus ipſe Autor, poſt elogia Cenſorum, quædam monet, ut juſtum Lectores de ipſius Opere ferre poſſint judicium. Hiſtoriam nempe totius Hiſpaniæ ſacram illuſtrare, ſingulas partes hujus Eccleſiæ, ſecundum limites, ab omni P. C. N. tempore ipſis aſſignatos, enumerare, & plenam earum hiſtoriam texere, ſibi habet conſtitutum. Sed ante, quam hanc ingreditur viam, generalem præmittit & Geographiæ, & Chronologiæ, notionem, tum & de primis doctrinæ Chriſtianæ in Hiſpania initiis exponit. *Primum* igitur *Volumen*, in *priori* ejus *Parte*, generaliorem exhibet Geographiæ inſtitutionem, in qua quidem haud quæras accuratiorem hujus ſcientiæ expoſitionem, aut aliquid, quod non tironibus in ſcholis noſtris vel jam notum

ſit,

Digitized by Google

ſit, vel tradi ſoleat: quæ tamen ſua ſe perſpicuitate poterit
commendare. Prolixe ſuam dum Autor excuſat prolixita-
tem, argumento id eſſe Lectoribus noſtris poterit, quod
Hiſpanorum in gratiam ſcripſerit. Hinc vaſta illa ex-
curſio in notiſſima Geographiæ elementa. Et quis illam mi-
rabitur, qui legerit, quod allegat Noſter, quæſiviſſe nonnullos
ex ipſo, qui nova publica legebant, num Germania eſſet urbs;
num Vienna Auſtriæ mari mediterraneo ſit continua; &
quæ ſunt alia. De Orthographia ſua Hiſpanica quædam mo-
net Autor, cujus regulæ ſi ab omnibus ipſius civibus obſerva-
rentur, & minori negotio diſci poſſet hæc lingua, nec legen-
tes amplius, ut adhuc, in errores duceret, quibus ſe, præcipue
in propriis nominibus, extricare vix queunt, dum aut lectio-
nem, aut ſignificatum, offendunt ancipitem, non raro utrum-
que. Tum de præcipuis in cœtu Chriſtiano dignitatibus, &
nominibus, quibus indicantur illæ, ſatis copioſe, pro inſtituti
ratione, agitur. Vox Epiſcopi eſt antiquiſſima; recentior Pag. 125.
Archiepiſcopi, & Alexandriæ Antiſtiti primum tributa. Epi-
ſcopus primariæ ſedis, qui vocabatur, poſtea Metropolitanus
eſt appellatus. Prima vice hoc nomen occurrit in actis Sy- 126.
nodi Nicænæ; in Hiſpania in publicis ſubſcriptionibus non an-
te Synodum III Toletanam reperitur; anno tamen jam
385 *Siricius* Papa Hiſpanos quosdam Epiſcopos hoc nomi-
ne appellavit. Inde a Seculo IV Exarchorum nomen inva- 131.
luit, quos ſuperiores Metropolitanis, Patriarchis inferiores,
Autor fuiſſe dicit. Recte, ſi hoc de Ἐξάρχοις διοικήσεως in-
telligit: non enim de Ἐξάρχοις τῆς ἐπαρχίας hoc valebit.
Primi ordinis Exarchi fuere Heracleenſis, Epheſinus, & Cæ-
ſareenſis. Antiochenum addere debuiſſet Noſter. Primatis
vox eſt recentior. Veri primates, id eſt, ſuperiores Metro- 135.
politanis, in Hiſpania fuere, ſecundum Noſtrum, *Zeno Hi-* 137.
ſpalenſis A. C. 467; *Salluſtius*, item *Hiſpalenſis*, A. C. 514;
Joannes Tarraconenſis A. C. 517. Hos a Pontifice Romano 138.
conſtitutos eſſe oportuit, unde & Vicarii R. S. appellati, quod
vices Sedis Apoſtolicæ geſſerunt; quæ omnia contra *Aguir-* 139.
rium probare Noſter ſuſtinet. Patriarcha ſummum tenet 142.

 gra-

Digitized by Google

gradum, dum & Exarchos, & Metropolitanos, & Primates, ſibi
habet ſubordinatos. In Synodo Chalcedonenſi A. C. 451
Pag. 145. prima vice hoc nomen occurrit. Antiquiſſimis temporibus
primum dignitate & ordine Patriarchatum fuiſſe Antioche-
num a *Petro* inſtitutum, cum ſuis aſſerit Noſter; quæ tamen
opinio, tanquam nullo nixa fundamento, a noſtris dudum eſt
rejecta. Quæ alia de Patriarchæ & Papæ appellationibus docte
146-153. diſputat, maximam partem laudari merentur. Tum de Pa-
154. triarchatum jurisdictione geographica ſatis copioſe agitur, &
quidem de Alexandrino, Hieroſolymitano, Antiocheno, Con-
164. ſtantinopolitano, Patriarchis ſpeciatim. *Capite VI* de Ro-
mano, & de tribus illis capitulis, *Juſtiniano* exhibitis, diſſeri-
173. tur, & Hiſpani, qui ea noluerint accipere, defenduntur. *Ca-
pite VII* de Eccleſiæ, quæ in Africa floruit, ſtatu geographico
181. exponitur; de Galliæ ſtatu eccleſiaſtico *Capite VIII;* de in-
185. ſulis Britannicis *Capite IX;* de Germania *Capite X;* quod ta-
195. men ultimum *Caput* erroribus non omnino liberum eſt. Se-
198. quitur *Caput XI* de Patriarchatu Romano in Hiſpania. Hunc
omni conatu ſuſtinere Autor, & oſtendere, allaborat, non tam
202. capitis eccleſiæ, quam potius Patriarchæ hujus provinciæ, par-
tes Papam ſuſtinuiſſe, quando jurisdictionem in ea exercuerit.
Antequam ad propoſitum ſibi finem Autor progreditur, de
diviſione Hiſpaniæ politica *Cap. XII* diſſerit. Antiquitus in ci-
205. teriorem, & ulteriorem, diviſa fuerat. *Auguſtus* ulteriorem por-
ro diviſit in Bæticam, & Luſitaniam; citeriorem Tarraconen-
206. ſis nomine venire voluit. Vettoniam a Luſitania diſtinctam
207. provinciam non fuiſſe, multis verbis evincere Autor annititur.
Tum in XIV conventus juridicos totam Hiſpaniam diviſam
210. fuiſſe, *Capite XIII* docetur. Quod ad magiſtratus attinet, Ro-
mani primum Prætores, tum Conſules, in utramque Hiſpa-
niam mittebant. *Auguſtus* legatos præeſſe juſſit Tarraconenſi,
& Luſitaniæ; Bæticam ſenatui reliquit. Imperante *Tiberio*, Pro-
212. conſules Bæticæ præfuerunt. Legatus alter, cui Luſitania pare-
214. bat, Auguſtæ Emeritæ ſedem figens, ordinis prætorii erat; al-
216. ter conſulari dignitate pollebat. Duo hi legati ſubordinatos ſibi
habuere Quæſtores, Præſides, Procuratores. Tarraconenſis de-
inde,

Digitized by Google

inde, docente id *Capite XIV*, ob largiſſimum ambitum, in tres partes diviſa fuit. Hinc in univerſum ſex provinciæ: Bætica, Luſitania, Tarraconenſis, Carthaginienſis, Gallæcia, Tingitana, ſeu Transfretana. Sed hanc diviſionem primo P. C. Pag. 217.
N. Seculo poſteriorem eſſe, Autor ſat firmis rationibus oſtendit. Bætica & Luſitania fuere conſulares, reliquæ provin- 224.
ciæ præſidiales; poſthæc & Gallæcia conſularis facta: quæ 225.
appellatio Balearibus etiam inſulis conceſſa fuit, ut *Cap. XV* pluribus exponitur. Sed in eccleſiaſticis nec Tingitana, nec 226.
inſulæ Baleares, ad Hiſpaniam pertinuerunt. Sequitur *Capite* 228.
XVI Catalogus Prætorum in Hiſpania inde ab anno ante C. N. 39, usque ad annum P. C. N. 316, multa diligentia confectus, nec ullibi tam plenus reperiendus, variis etiam notis hiſtoricis ornatus. Appendicis loco vetus Notitia Imperii Oc- 247.
cidentis & Orientis Hiſpanice verſa datur.

Volumen ſecundum totum in Chronologia verſatur. Æra 6.
ſic dicta Hiſpanica primum inveſtigatur, &, contra Marchionem *Mondejarium*, erudite oſtenditur, anno ante C. N. 38, non 39, initium hujus æræ fuiſſe. Ante Seculum XII nemo in Hiſpania annos in hiſtoriis, aut annalibus, a Servatore numeravit; nec veritati conſentaneum eſt, quod aſſerunt Marchio, & *Majanſius*, tantum a conceptione J. C. & non ab ejus nativitate, computum ſuum inſtituiſſe Eccleſiam primis VI Seculis, cum & ante *Bedam*, & ante *Dionyſium Exiguum*, doctores eccleſiæ hoc ultimum fecerint. Quæ pro ſua ſententia *Mondejarius* & *Majanſius* attulerunt loca, contrariam potius probant: quod Noſter pluribus demonſtrat, oſtendens ſimul contra Duumviros illos, rationem, ab incarnatione Domini annos computandi, in Hiſpania tanquam peregrinum aliquid, 10.
& Francis proprium, habitam fuiſſe; cum æra *Dionyſiana* 11.
anno demum 532 introducta fuerit, ante illam neceſſario alteram a nativitate locum habuiſſe; anno demum 1180 æram *Dionyſianam* in Synodo Tarraconenſi fuiſſe introductam; extra Tarraconenſem uſum æræ Hiſpanicæ usque ad annum 1383 prævaluiſſe; æram Hiſpanicam ſemper Calendis Janua- 12.
riis incepiſſe, nunquam die 25 Martii; poſtea Hiſpanos etiam 13.
annos incarnationis a Calendis Januariis numeraſſe, &, in 14.

Digitized by Google

Pag. 15. chronologicis rebus voces incarnationis, & nativitatis, pro-
22. miſcue uſurpaſſe; ipſas inſcriptiones, ab illuſtri *Majanſio*,
tanquam teſtes ſuæ ſententiæ, allatas, probare contrarium,
& erraſſe *Majanſium*, qui easdem correxit, ut ſuæ ſenten-
42. tiæ faverent; idem dicendum eſſe de annalibus Viſigo-
55. thorum, de annalibus *Idatii*, *Iſidori Pacenſis*, & aliis
pluribus, ex quibus *Mondejarius*, & *Majanſius*, ſuam ſen-
tentiam probare voluerunt. Examen locorum, a Duumviris
illis allatorum, inſtituit Noſter, & Chronologiæ rerum Hiſpa-
nicarum, civilium etiam magnam lucem addit. Suos non-
nunquam Autores emendat; ſed raro, cum contra *Mon-*
dejarius, & *Majanſius*, ſæpiſſime id fecerint, ſuis præ-
65. conceptis opinionibus eo adducti. Fuſe probat contra *Mon-*
dejarium, anno 714, non 711, perditam per Mauros Hiſpa-
70. niam fuiſſe: ubi ſimul in annos regnantis *Heraclii* ſolicite
77. inquirit, &, quando *Muſa* in Hiſpaniam venerit, demonſtrat.
80. A. 876, ipſis Nonis Maji, die Lunæ, dedicatum fuiſſe tem-
83. plum S. *Jacobi*, multis verbis probat. Mortuum eſſe *Ferdi-*
nandum I A. C. 1065, die 27 Decembris, die Martis, contra
Majanſium oſtendit ex Chronico Monachi Silenſis, & aliis.
93. Probat contra illos Duumviros, *Alphonſum Sapientem* regnare
incepiſſe A. C. 1252, Calendis Juniis, ubi ſimul de tabulis *Al-*
100. *phonſinis* diſſerit, & monſtrat, Synodum Toletanam XIV habitam
fuiſſe A. C. 684, 12 Cal. Decembr. Libros nunc MStos, acta pu-
blica, & Hiſtoricos, citat Autor, ut ſuam ſententiam corrobo-
ret, oſtendens ſimul, indictionum annos in Hiſpania, medio
106. ævo, ut Romæ, a Calendis Januariis incepiſſe, non a die 24
113. Sept. ut in Græcia. De vocis æræ derivatione quædam affert,
& luculenter oſtendit, æram Hiſpanicam anno C. N. 38, im-
perantis *Auguſti* quarto, incepiſſe, hanc quidem ob cauſam,
quod tributum, Hiſpanis impoſitum, dicto anno ſolvi cœperit.
Hac data occaſione, initium Chronici Burgenſis illuſtrat, &,
122. contra *Majanſium*, evincere ſtudet, æræ computum non Se-
culo demum V, ſed jam antea, in Hiſpania fuiſſe uſitatum,
nec a Gothis, infenſiſſimis Romanorum hoſtibus, introdu-
133. ctum. In univerſa etiam Hiſpania acceptum fuiſſe & uſur-
patum,

Digitized by Google

patum, variis rationibus, contra eundem, aſſeritur. *Partis* Pag. 138.
ſecundæ Capite I Chronologiam Regum Suevicorum in Hiſpania Noſter texit, contra *Baronium* aſſerens, *Carriaricum* a *Theodomiro* diſtinctum, & *Mirum* hujus filium fuiſſe. Simul quædam de fine imperii *Juſtini* junioris, & de æra indictionum, affert. Mortem *Hermenegildi* Martyris in A. C. 150.
585 ponit, & tabulam chronologicam adjungit, a *Carriarico* 159.
ad *Leovigildum*, Gothum, perductam. Chronicon Regum Vi- 163.
ſigothorum, *Vulſæ* vulgo tributum, non *Vulſam*, nec *Julianum Lucam*, ſed Anonymum, & forſan Canonicum quendam Toletanum, Autorem habere, ſaltem quod ad principium attinet, contendit; nec enim in Hiſpania, quod quidam volunt, ſolos Epiſcopos ſcribendis libris operam dediſſe; *Vulſam* Epiſcopum nullibi reperiri, & errore forſan amanuenſis pro *Viſi* - ſcriptum fuiſſe hoc nomen, ut cum ſequenti voce, *Gothorum*, connecteretur. Chronicon illud Viſigothorum nunc 172.
integrum exhibetur, variis lectionibus, & notis Auctoris, illuſtratum. Præcipue annos Regum *Tulgæ*, *Chindaſuinti*, *Receſuin-* 176.
ti, *Egicæ*, *Witicæ*, *Roderici*, fuſe illuſtat. Tum chronologiam Sy- 189.
nodorum, in Hiſpania habitarum, ex *J. B. Perezio*, cum notis & *Loayſæ*, & ſuis, exhibet, inde a Synodo Eliberitana A. C. 324, usque ad Toletanam XVIII A. C. 702. Subjungitur 197.
ejusdem *Perezii* Chronologia Regum Gothorum, cum notis Noſtri. Chronicon *Emanuelis Cer[illegible]atenſis*, ineditum huc us- 204.
que, cum animadverſionibus Noſtri, ſequentes paginas occupat, quod excipit Chronicon, Principis *Jo. Emanuelis* notis il- 207.
luſtratum. Triplex Appendix finem *Voluminis* conſtituit: de uſu cyclorum, de Hegira Arabum, de Calendariis veterum Chriſtianorum, & Romanorum. Ubique regulas exhibet Noſter, qua ratione cycli varii Indictionum, Olympiadum, Hegyræ, &c. cum æra Chriſtiana comparari queant: quem in uſum etiam tabulæ, ab Autore elaboratæ, ſubjunguntur. In *Mariana* tabulas chronologicas animadvertit Autor; ſed *Andreas Marius Burriel* in approbatione, *Volumini* hujus Operis *tertio* præmiſſa, aſſeverat, exemplum MStum harum tabularum, ipſius *Marianæ* manu exaratum, exſtare, quod erroribus,

a *Flo-*

a *Floreſio* indicatis, liberum ſit: hinc putandum eſſe, ama-
nuenſem errores illos commiſiſſe.

Volumen tertium de primis doctrinæ Chriſtianæ in Hiſpa-
nia initiis exponit, &, ab Apoſtolis eccleſiam ibi fundatam
Pag. 2. eſſe, aſſerit. *Petrum* tamen in Hiſpaniam veniſſe, nulla ratio-
ne probari poſſe, ingenue Autor fatetur, *Paulum* autem in
7. hoc regnum penetraſſe, ſatis luculenter probari credit ex
Clementis Epiſtola ad Corinthios, S. *Hippolyto*, *Epiphanio*,
Theodoreto, *Hieronymo*, *Gregorio M.*, *Iſidoro*, & aliis recentio-
ribus, inprimis ex Menologio Græco, ubi *Xantippa* & *Polyxena*
a *Paulo* in Hiſpania ad veram fidem perductæ dicuntur: cum
10. tamen *Claudio* imperante id factum eſſe dicatur, *Neronem*, di-
ctum etiam *Claudium*, intelligendum eſſe, ex temporum ra-
11. tione oſtendit Autor. In qua parte Hiſpaniæ *Paulus* fuerit,
14. ignoratur; in Bætica illum fuiſſe, Noſter putat. *Gelaſii I*, ut
15. & *Innocentii I*, & *Thomæ Aquinatis*, autoritatem, quæ dubium
hac de re movet, hic nullius fere momenti eſſe, dicit: qua ſi-
22. mul occaſione in *Du Pinium* animadvertit. Tum de veſti-
giis prædicationis *Pauli* in Hiſpania ſermonem inſtituit, do-
23. cens, eccleſias Tortoſanam, & Tarraconenſem, celebrare,
nullo contradicente, feſtum S. *Rufi*, primi harum eccleſia-
rum Epiſcopi, quem *Paulus* ibidem reliquerit; eccleſiam Tar-
24. raconenſem hujus adventus in ſacris ſuis orationibus memi-
niſſe; non procul urbe Viana inſcriptionem Latinam reper-
tam: *Saulus* (i. e. *Paulus*) *præco crucis fuit nobis primordia*
lucis, quam tamen Seculo VIII poſteriorem eſſe, Autor fate-
27. tur, qui addit, eccleſiam plantaſſe *Paulum* in Hiſpania, teſti-
moniis quidem evinci non poſſe, at, quod ibi prædicaverit,
32. veri ſimillimum eſſe. Navigaſſe *Paulum* in Hiſpaniam, &
non per Galliam eo veniſſe, nec Hiſpanicam eccleſiam ullo
modo ſubjectam fuiſſe Gallicæ, Noſter, ut evincat, omnem la-
pidem movet, & ſimul monet, epiſtolam *Stephani VI* apud
42. *Aguirreum Conc. Tom. III pag. 161* ſuppoſititiam eſſe. S. *Jaco-*
bum majorem in Hiſpaniam veniſſe, conſtans eccleſiæ Hiſpa-
nicæ fuit traditio, donec, in Synodo Lateranenſi IV, Archie-
piſcopus Toletanus, *Rodericus*, oggeſſit, ſe legiſſe in brevia-

rio

Digitized by Google

rio antiquo Toletano, S. *Jacobum* abitum quidem in Hiſpaniam paraſſe, ſed mortuum eſſe, antequam eo perveniret. *Baronius*, arripiens hanc occaſionem, autor fuit *Clementi VII*, ut ex Breviario S. *Pii* prædicationem S. *Jacobi* deleri juberet, mox tamen illa, legatis Regis Hiſpaniæ id poſcentibus, ei iterum inſerta fuit: ſed paulum mutata. Hiſpani, ea re offenſi, ſcriptis variis veritatem ſuæ traditionis aſſerere ſategerunt, & tandem plene reſtituta eſt illa formula in dicto Breviario. *Chriſtianus* tamen *Lupus*, & *Michael a S. Maria*, denuo traditionem illam impugnarunt, *Natalis* etiam *Alexander* idem fecit, a *Mondejario* impugnatus. Scriptum, quo *Rodericus*, & *Natalis*, nituntur, fide carere, nunc oſtendit Autor, dum monſtrat, Autorem hujus ſcripti in rebus chronologicis graviter erraſſe; nec *Rodericum* in Concilio Lateranenſi, A. C. 1215, præſentem eſſe potuiſſe; nec eundem in ſua Hiſtoria quidquam de his rebus attuliſſe, cum tamen alias res, ad ſe pertinentes, ſollicite annotaverit; nec in actis Synodi tale quid inveniri; ex hiſtoria horum temporum, & ex epiſtola quadam *Honorii III*, apud *Raynaldum, n. 70*, conſtare, *Rodericum* Romæ non fuiſſe; licet in ſua Hiſtoria *Jacobi in* Hiſpaniam adventum omiſerit *Rodericus:* alias etiam res, ad fidei propagationem pertinentes, omiſiſſe, nec hoc ad deſtruendam traditionem ſufficere; in ſuo Breviario hiſtoriæ catholicæ MSto claris verbis aſſerere, *Jacobo* Hiſpaniam aſſignatam fuiſſe. Contra *Natalem* probare ſuſtinet Noſter ex *Gal. I, 18*, & *Irenæo*, diſperſionem Apoſtolorum mox poſt ſecundam perſecutionem accidiſſe, & quidem ante A. C. 38; hinc *Jacobum* in Hiſpaniam profectum eſſe potuiſſe, licet, perſecutione ſecunda adhuc durante, *Herodis* juſſu, capite plexus fuerit; locum *Rom. XV, 20*, non obſtare traditioni receptæ, nec epiſtolas *Gregorii VII*, & *Innocentii I*, opponi eidem poſſe, a *Natali*, & *Romaglia*, allatas; idem dicendum eſſe de loco quodam *Hieronymi* in *Caput XXVI Hieremiæ*, a *Michaele de S. Maria* objecto. Sequuntur rationes, quas pro adventu *Jacobi* in Hiſpaniam militare credit Noſter. Deſumtæ ſunt ex *Hieronymo* in *Jeſ. XXXIV*, ex Hymnis etiam

Pag. 44. 46. 58. 63. 69. 76. 78. 81.

B Muza-

Muzarabicis, quorum autoritatem & antiquitatem contra *Cen-*
nium adſtruere laborat Noſter, ſimul de antiquitate hy-
mnorum in genere, & de erroribus illorum, qui eos deſcri-
Pag. 101. pſerunt, exponens. *Iſidori* librum de ortu & obitu patrum
genuinum eſſe, contra *Cennium* aſſerit, & ex eodem *Jacobi*
109. in Hiſpaniam adventum evincere ſtudet, ut & ex S. *Juliani*
Commentariis in *Nahumi* vaticinia, *Bedæ* Collectaneis, *S. Bea-*
112. *ti* Commentariis in *Apocalypſin*, & Hiſtoria ædiculæ Cæſarau-
guſtanæ, B. Virgini dicatæ, quam, contra *Natalem*, aſſerere co-
116. natur. Idem probare vult ex Martyrologiis, Annalibus *Fre-*
culphi, Poemate *Walafridi Strabonis*, & aliis: qua data occa-
ſione, quæſtio illa agitatur, num liber de miraculis S. *Jacobi*
121. vere Papam *Calixtum II* Autorem habeat. De hiſtoria etiam
Compoſtellana, ejus autoritate, fide, & ætate, pluribus agit
Floreſius, quoniam a ſilentio ejus argumentum capere nolue-
runt nonnulli contra receptam Autori ſententiam. Docte
hæc omnia eſſe elaborata, fatemur; nec tamen allatæ ratio-
131. nes adeo validæ ſunt, ut aſſenſum extorquere queant. Per-
git nunc Autor, de propagatione Chriſtianæ doctrinæ ſermo-
133. nem inſtituere. *Jacobus* in Hiſpania novem diſcipulos ele-
git, de quibus in illo regno reliquit *Theodorum* & *Athana-*
ſium. In reliquis, ab ipſo converſis, fuit *Petrus de Ratibus*,
qui primus Epiſcopus Bracarenſis fuiſſe perhibetur: cui ta-
134. men opinioni alii fortiter reſiſtunt. Tum de translatione
corporis B. *Jacobi* in Hiſpaniam agitur, deque inſcriptione
columnæ, quæ, una cum ara quadam, a diſcipulis *Jacobi* in
Hiſpaniam allata fuit. Inſcriptio, cujus character Seculi XI
eſſe videtur, datur integra. Septem diſcipuli *Jacobi*, in Hi-
ſpaniam reduces, a *Petro* & *Paulo* Romæ Epiſcopi conſtituti
143. feruntur: *Torquatus* nempe, *Cteſiphon*, *Secundus*, *Indalecius*,
Cæcilius, *Eſicius*, *Euſraſius*. Illuſtratur hæc narratio ex Mar-
tyrologio *Rosweidi*; ex Miſſa Apoſtolica, huic *Volumini* ſub-
juncta; ex aliis pluribus Actis & Breviariis; ex inſcriptione ſe-
145. pulcrali *Indalecii*, Seculo X detecta; ex Martyrologio S. *Hie-*
ronymi MSto, cujus integra verba allegantur. Tempus, quo
in Hiſpaniam appulerunt hi viri, cum jam Epiſcopali autori-

tate

tate induti eſſent, annum P. C. N. 62 antevertere vix poteſt. Nam *Petrus* & *Paulus*, ut videtur, paucis ante ſuum marty- Pag. 147.
rium annis Romæ convenerunt. Non ſine multo fructu 149.
fuit prædicatio horum virorum. Omnis populus Gaditanus, ut *Cerratenſis* notat, baptizatus eſt, & poſtea quamplurimi convertebantur. Perſecutio etiam *Neroniana* probare poſſet 153.
multitudinem converſorum, ſi inſcriptio, quam *Morales*, *Gruterus*, *Grævius*, *Muratorius*, ediderunt, omni careret ſuſpicione: nec enim hanc, nec alias, de *Diocletiano* & *Maximiano* agentes, quas *pag. 185* allegat Noſter, ullus unquam Hiſpanus Autor vidit. Toletanam eccleſiam ab *ipſo exordio fidei* cla- 164.
ruiſſe, docet *Elipandus*. *S. Eugenium* Martyrem, diſcipulum S. *Dionyſii Pariſienſis*, primum ibidem Epiſcopum fuiſſe, ſcriptores Hiſpani Seculo XII poſteriores volunt, quod antea ne faſti quidem Toletani aſſeruerant. Et, cum primam ejus notionem e monaſterio S. *Dionyſii*, non procul Pariſiis, in Hiſpaniam attulerit *Raymundus*, Toletanus Archiepiſcopus, Seculo XII, ſimul de *Dionyſii Pariſienſis* ætate quædam monentur. *Eugenium* primum Toleti Epiſcopum fuiſſe, probate quidem laborat Noſter, contra *Tillemontium*, & alios: ſed negare non poſſumus, incerto tantum rumore, qui fabulis 180.
niti videtur, fulcire ſuam aſſertionem. Progreſſus rei Chriſtianæ in Hiſpania, poſt Apoſtolicos viros, inde a Seculo II ad IV usque, ex *Oroſio*, *Juſtino*, *Irenæo*, *Tertulliano*, *Cypriano*, *Arnobio*, & aliis, monſtratur. *Alteram* hujus *Voluminis Par-* 187.
tem efficit Diſſertatio hiſtorico-chronologica de antiquiſſimo ritu ſacro in Hiſpania, de quo jam *Du Pinius* egit. Ritus ille ſacer tum miſſa, tum liturgia, tum myſterium, tum miniſterium, tum lex etiam, vocatur. Antiquiſſimus ritus Hiſpanorum & *Gothicus* vocabatur, quod tempore Gothorum in uſu erat, & *Toletanus*, quod in Synodo Toletana IV præcipue introductus fuit. Officium *Muzarabicum*, vel *Mozarabi-* 192.
cum, ſæpiſſime nominatur: cujus vocis originem indagat quidem Noſter, & pro mixtarabico dici putat; nos vero, ſat firmis rationibus fulti, Arabicum eſſe ſtatuimus vocabulum. De 193.
origine hujus ritus, ſecundum Noſtri ſententiam, hoc tenen-

dum eſt, a *Petro* quidem principium habuiſſe, ſed poſtea ſenſim auctum, nec in omnibus provinciis ſemper eundem fuiſſe: literis tamen conſignatum primis quatuor Seculis videri.
Pag. 199. Hinc monet Noſter, ritum, quem Gothicum dicimus, non in Hiſpania ſolum, ſed in omni Occidente, primum fuiſſe &
210. Romanum primitivum; Gallos cum Hiſpanis in liturgia conveniſſe; mutationes, deinde factas, a Romanis, non Hiſpanis,
215. originem traxiſſe: hos enim antiquam formulam retinuiſſe; medio Seculo V veſtigia ritus Gothici inveniri; Seculo tamen VI non omnes Hiſpaniæ provincias in modo ſacra celebrandi conveniſſe; inde ab anno 538 provinciam Bracarenſem illam adoptaſſe liturgiam, quæ tunc Romæ in uſu erat,
220. nec tamen ex orientalium inſtitutis S. *Martinum Dumienſem* quidquam immiſcuiſſe; ceteras provincias priſcum ritum conſervaſſe: licet in quibusdam, quæ non ipſam rem tangebant, differrent; omnia hæc ex Conciliis, & aliis teſtimoniis
224. fide dignis, probari poſſe; inde ab anno 589 ſymbolum fidei
228. in Miſſam introductum fuiſſe, & hinc in alias Occidentis provincias hunc uſum emanaſſe; poſt Synodum IV Toletanam,
230. A. C. 633, ritum Gothicum in omnibus Hiſpaniæ provinciis invaluiſſe: nec tamen *Leandrum*, nec *Iſidorum*, hunc ritum
238. inveniſſe, cum ſit ipſe antiquus Hiſpanicus; Romanum tamen hodiernum, quod *Cennius* negat, in Gallæcia propagatum eſſe; hunc ſtatum Liturgiæ Seculo VII e Synodis, *Iſido-*
251. *ro, Laudefredo*, probari poſſe; poſt Synodum Toletanam XI, A. C. 675 habitam, eundem quoque ritum confirmatum fuiſſe; licet antea *Leander*, *Petrus Leridenſis*, *Joannes Cæſarauguſtanus*, Cononicus Palencianus, *Eugenius*, *Ildephonſus*, *Julianus*, Toletani, quædam addiderint: non tamen innovaſſe ritum antiquum; Seculum VIII erroribus non fuiſſe inquinatum, con-
263. tra *Du Pinium* aſſeritur, nec *Elipandum* errores immiſcuiſſe,
27[illegible] nec ex Epiſtola *Gregorii VII* ad *Alphonſum VI* id probari
273. poſſe, monſtratur. A. C. 923 venit in Hiſpaniam legatus *Joannis X*, *Janellus*, ſive *Zanellus*, ut examinaret formulam Muzarabicam, quam cum catholicam cognoviſſet, ea ſequen-
277. te anno Romæ fuit confirmata. Abbatem *Salvum* nihil im-

mu-

mutaſſe in ritu Muzarabico, adſtruitur contra *Cennium*, Pag. 280.
& alios. A. C. 1064 *Hugo Candidus*, R. S. Purpuratus,
in *Hiſpaniam* venit, ut abrogaret officium Hiſpanicum
antiquum: nec tamen quidquam fuit immutatum. A.
C. 1066, vel 1067, demio in Synodo Mantuana fuit con-
firmatum. Nec Barcinone A. C. 1068 quidquam contra
hunc ritum decretum fuit, nec in Concilio Jacenſi A. C.
1063, nec in Leirienſi A. C. 1071; in Arragonia tamen, 288.
A. C. 1071, primum introductus fuit ritus *Gregorianus*, & 301.
quidem in monaſterio S. *Joannis de la Penya;* poſt
in Catalonia, Barcinone. Tum Abbas Cluniacenſis cum Re- 305.
ge de mutatione officii tranſegit. *Giraldus*, & *Rembaldus*,
legati Papæ, in Hiſpaniam venerunt A. C. 1072, ut in Caſtilia
etiam, & Legione, ritum mutarent: ſed nihil effecerunt. A.
C. 1074 quidam Epiſcopi Hiſpani, in Synodo Romana, mu-
tationem ſe effecturos eſſe, promiſerunt. *Gregorius VII* ad
Reges Caſtiliæ & Navarræ de eadem re ſcripſit. Rex, intro-
ductionem novi ritus optans, ſingulare certamen inter binos
milites inſtituit: ſed ille, qui a partibus antiqui ritus ſtetit,
victor abiit. A. C. 1078 legatus, *Richardus*, obtinuit intro-
ductionem ritus Romani; nec tamen a monacho, *Roberto*, eo
perſuaſum fuiſſe Regem, contra *Sandovalum*, *Bonam*, alios,
adſtruitur. Legatus, A. C. 1079 Romam redux, altera vice in 319.
Hiſpaniam mittitur, & Abbas Maſſilienſis eligitur. A. C.
1085 in Synodo Burgenſi confirmata eſt abrogatio ritus Mu-
zarabici. A. C. 1090 Legione Synodus celebrata fuit, ut 324.
character Gothicus abrogaretur. A. C. 1091 aliam ibidem
habitam eſſe, contra *Pagium* aſſeritur. Segovienſis tamen 336.
Epiſcopus, *Joannes de Tordeſillis*, A. C. 1436 Collegium in-
ſtituit, ut in eo ritus Muzarabicus conſervaretur. Idem fe-
cit R. E. Purpuratus, *Ciſnerus*, Toleti, A. C. 1500. Salman-
ticæ A. C. 1517, & Valdoleti A. C. 1567, idem factum eſt.
Tandem, contra *Cennium*, adſtruitur, ritum Muzarabicum, 340.
qualis adhuc exſtat, verum Gothicum & *Iſidorianum* eſſe, li- 350.
cet mixtus vocitetur; &, quod Muzarabes hoſtiam in novem
partes fregerint, quaque id ratione fecerint, fuſius docetur.

Digitized by Google

Appendix offert 1) Officium Muzarabicum, ad Feſtum ſeptem virorum Apoſtolicorum accommodatum, quod Gadibus compoſitum fuiſſe, Autor in notis aſſerit; 2) Vitam ſeptem virorum Apoſtolicorum, e Lectionario Complutenſi, cum notis, & variantibus lectionibus; 3) de Miſſa Apoſtolica locum e Synodi Æmilianenſis actis: de quo Codice in notis quædam afferuntur, qui A. C. 962 ſcriptus eſſe fertur; 4) Vitam S. *Torquati*, & ſociorum, e *Cerratenſi*: ubi in notis de Autore quædam datur notitia, qui fuit *Rodericus Emmanuel Cerratenſis*, ex Prædicatorum Ordine monachus, medio Seculo XIII, regnante *Alphonſo Sapiente*, vixit; 5) Epiſtolam *Gregorii VII* ad Reges Hiſpaniæ de ſeptem viris Apoſtolicis, & de abrogando officio Muzarabico, A. C. 1074 exaratam, cum animadverſionibus; 6) Vitam S. *Gerontii*, Epiſcopi Italicæ, metro adſtrictam; 7) Vitam S. *Petri Ratenſis*, e Breviario Bracarenſi; 8) Vitam SS. *Xantippæ* & *Polyxenæ*, ex Menologio Græcorum; 9) Epiſtolam *Leonis III* de translatione corporis S. *Jacobi*, & prædicatione diſcipulorum ejus, cum aliis, huc pertinentibus; 10) Fragmentum ex Hiſtoria Compoſtellana inedita; 11) Bullam *Calixti III*, de ædicula S. *Mariæ de Columna* agentem.

Pag. 1. *Volumen IV* Epiſcopatuum in Hiſpania originem, & eorum
ſtatum primitivum, inveſtigat. Originem ad ſeptem viros
Apoſtolicos refert Noſter, de quibus antea. Hiſtoriam eo-
rum, ut eam Autores ſui narrant, fuſe deſcribit, &, *Torqua-*
11. *tum* Gadibus manſiſſe, probare annititur. Reliqui in confi-
nibus Bæticæ, tanquam provinciæ tum temporis maxime tran-
quillæ, ſunt diviſi, ne, ſtatim vitam cum ſanguine fundere
12. coacti, a propagatione ſalutaris doctrinæ diſtinerentur. *Cæ-
cilius* Eliberitanam fundavit eccleſiam, nunc Granatenſem,
Eufraſius Iliturgitanam, in confinibus Andujariæ, *Cteſiphon*
Bergienſem, *Indalecius* Urcienſem, *Eſicius*, ſeu *Heſychius*, Car-
ceſanam, & *Secundus* Abilenſem. De Carceſa copioſe diſſe-
rit Noſter. Ventoſam nonnulli eſſe putarunt, quidam Ca-
29. zorlam, alii Cazlonam, Cariſſam alii. Autori *Carteya* eſſe
videtur, quem locum ponit ad fretum Gaditanum, ubi nunc
turris eſt, dicta *de Carthagena*. Reliquarum urbium ſitum alio
tem-

Digitized by Google

tempore inveſtigaturum ſe eſſe, pollicetur. Tum, ſeptem illos viros & Martyres, non Confeſſores tantum, fuiſſe, Pag. 41.
& pro diſcipulis *Jacobi* habendos eſſe, adſtruere larga teſtimoniorum copia laborat, quorum tamen nullum, niſi 53.
apud ſuos, & ne apud hos quidem, (jam enim *Tillemontius* contradixit,) ſat ponderis habebit. De miraculis eorum pro
ſuorum more diſſerit. De diebus feſtis, in honorem eorum 59.
celebratis, vix certi quidquam conſtat. De primis Epiſcopati- 63.
bus valde incertus eſt rumor, tum quod nihil eo tempore 64.
literis conſignatum ſupereſt, tum quod non uno ſemper in loco ſedes Epiſcopi permanſit. Interim, licet nomen Metro- 72.
politanorum non inveniatur primis temporibus, nec ſedes Primatis uno in loco fixa fuerit, nec Metropolitanus primum in ſubſcriptionibus locum occuparit, non tamen inde ſequitur, provinciarum eccleſiaſticarum nullum prorſus fuiſſe discrimen. Seculo demum quinto Metropolitani in Hiſpania 75.
præcedere alios cœperunt: antea, qui ætate ceteros anteibat, ei etiam locum ceſſerunt reliqui. *Pereyra da Sylva* contendit, Africam primis Seculis non niſi una in eccleſiaſticis provincia conſtitiſſe: ſed jam medio Seculo tertio tribus conſtitit 79.
provinciis, Africa proconſulari, Numidia, & Mauritania, & totidem habuit Metropolitanos. Cum autem Hiſpania prius veram fidem acceperit, & Chriſtianorum numerus ibidem citius increverit; veritati conſentaneum videtur, citius quoque in provincias eccleſiaſticas fuiſſe diſtributam, etiam ante *Conſtantinum*, quod *Pereyra* negat. Nec, quod Hiſpani, in cauſa 84.
Baſilidis & *Martialis*, *Cypriani* ſibi conſilium expetiverunt, inde concludi debet, eccleſiaſticis provinciis caruiſſe Hiſpaniam. Idem ex actis Concilii Eliberitani, contra *Mendozam*, Autor 90.
ſtudet evincere: ubi ſimul varia exempla allegat, unde apparere putat, per provinciam plus ſimplici vice totum regnum fuiſſe intellectum, non hanc ſolum, vel illam, proprie ſic dictam, pro- 95.
vinciam. Sed adhuc deſultatoriæ fuerunt Metropoles, Poſt *Conſtantinum M.* quinque provinciæ fuere: Metropoles fixæ non ante Synodum Antiochenam, A. C. 341 habitam. Carthaginien- 99.
ſis & Gallæcia poſtremo loco fixas ſedes habuere. Emeritæ Metro-

tropolitanus fuit A. C. 380 *Idacius*. Tarraconæ, in Tarraconenſi, Metropolitanos reperimus ante A. C. 385; Hiſpali, in Bætica, medio Seculo quinto; Bracaræ, in Carthaginienſi, A. C. 433. Ut ſitus diœceſium oculis lectoris pateret, Mappam earundem addidit generalem.
Pag. 107. Fines cujusque diœceſeos primis Seculis valde dubios eſſe, Noſter fatetur: ſecundum civilem tamen provinciarum diviſionem intelligi debere, ſtatuit. Quod de his rebus tempore Maurorum literis conſignatum eſt, ſeria eget Critica, quod
116. iſtis temporibus ignorantia prævaluit in terris Hiſpanicis. *Conſtantinum* in Hiſpaniam veniſſe, Synodum ibidem celebraſſe, & provincias eccleſiaſticas definiiſſe, quod vult Chronicon ſic dictum *Alphonſi Sapientis*, omni caret autoritate, omni fide. Nec *Raſis*, qui A. C. 977 ſcripſit, hic valet autoritas, quem Latine translatum, quod hac data occaſione monemus, Aca-
120. demia Valenciana, cum notis *Perezii*, Epiſcopi Segorbienſis,
126. edere parat. Nec alia, quæ afferuntur, ullum habere pondus
129. poſſunt. Interim hoc verum eſt, *Conſtantini* tempore in quinque provincias Hiſpaniam eſſe diviſam: quam normam eccleſia ſecuta eſſe omnino videtur. Alia diviſio, nec tamen
130. generalis, ſed Suevici tantum dominii, in Concilio Lucenſi facta perhibetur, cujus fragmentum circa finem demum Seculi XVI *Garcia de Loayſa* in lucem edidit, recentius multo, ut ex verbis patet. Mira diligentia hiſtoriam Synodi excutit Noſter, & firmis rationibus demonſtrat, omnia, quæ de ea
176. narrantur, ficta eſſe, & omni fide carere. Sed, *Receſuintho*, Gotho, regnante, diviſionem quandam diœceſium Luſitanarum factam fuiſſe, dubio caret. Synodus Emeritana hoc teſtatur. Iſto demum tempore antiqui Luſitaniæ fines ſunt inſtaurati: non ſtatim poſt exſtinctum regnum Suevorum,
181. quod quidam ſibi perſuaſum habent. Inter omnes Epiſcopatuum diviſiones nulla tam ample digeſta, nec tam generalis, reperitur, quam illa, quæ *Vambæ* adſcribitur, & omnium fere applauſum ſibi conciliavit. Nec tamen fidem meretur. Hoc jam *Antonius Auguſtinus*, & *Joannes Baptiſta Perezius*, ſubodorati ſunt; *Bivarius*, *Nicolaus Antonius*, *Gan-*

Digitized by Google

Gandara, *Hieronymus Contador de Argote*, ex parte probatum dederunt; *Joannes Antonius Majanſius* in univerſum demonſtravit. Ignota fuit hæc diviſio 500 poſt *Vambam* annis; nec illi, qui eam effinxerunt, aut in tempore, aut in loco, ſibi conſtant. Pag. 190.
Deſumta præcipue eſt ex libro quodam, qui *Itacii*, &, a loco, ubi aſſervatur, *Ovetenſis*, nomine venit. Autor ejus eſt *Pelagius*, Ovetenſis Epiſcopus, qui A. C. 1098 ſacratus eſt, primus patriam hiſtoriam fabulis commaculavit, & usque ad A. C. 1143 vixit. Ediderunt hunc *Itacium Garcia de Loayſa*, *Moraleſius*, & alii. Aliæ deinde diviſiones reperiuntur, 252.
ut in Chronico Æmilianenſi, quod A. C. 883 ſcriptum eſt; in 257.
Codice Conciliorum Scorialenſi, apud *Loayſam;* in Geogra- 259.
phia *Caroli de S. Paulo;* apud *Schelſtratenium.* Nonnullæ 262.
omnem fidem merentur: ſunt tamen maximam partem mu- 266.
tilæ. In Appendice invenies 1) Epiſtolam 68 *Cypriani ad* 271.
Presbyterum & plebes Hiſpaniæ, ob cauſam Epiſcoporum *Baſilidis & Martialis;* 2) Epiſtolam *Innocentii III* ad *Petrum*, 274.
Archiepiſcopum Complutenſem, A. C. 1199 exaratam; 3) 289.
Idacium illuſtratum. Ad finem perducti ſunt hi annales A. C. 469; incipiunt ab anno 379. Codex S. *Iſidori* pauciores, *Sigeberti Gemblacenſis* plures, annos comprehendit. Finis Autori fuit, hiſtoriam, quam *Hieronymus* ſcribere voluerat, tanquam continuationem Chronici *Euſebii* Cæſareenſis, literis conſignare, & confuſas ſui temporis res in ordinem redigere, ut in Præfatione dicit. Autor fuit Epiſcopus Lemicenſis, non confundendus cum aliis *Idaciis:* in Hiſpania enim, tum temporis, tantum unus fuit *Idacius*. Lemicæ, 299.
Gallæciæ civitate, natum ſe eſſe, dicit. Fuit hoc circa annum 300.
388. Puer adhuc in Orientem profectus eſt, anno circiter 400 redux. A. C. 416 ad vitam monaſticam ſe accinxit; A. 427 Epiſcopus in patria civitate fuit electus; A. 431 legatus in Galliam a Gallæcis miſſus fuit; A. 445 hæreticos aggreſſus eſt; mortuus eſt circa annum 470. Vera ſedes *Idacii* fuere 306.
Aquæ Flaviæ (*Chaves*). Ipſum Chronicon ante A. C. 1615 317.
non fuit evulgatum. Factum hoc eſt Romæ per *Ludovicum de S. Llorente*, Cordubenſem, ex MSto Metenſi, quod Pari-

Digitized by Google

ſienſe vocat. Inde *Sandoval* inſeruit illud Annalibus Epiſco-
porum Hiſpanorum, qui iterum impreſſi ſunt Pompejopoli
A. 1634. Antea fragmenta tantum edita fuerunt, nec eadem
ſincera. Optima editio eſt *Sirmondi*, edita Pariſiis A. 1631, &
Pag. 345. altera vice A. 1636. Hanc & Noſter ſequitur, variis notis eam
403. illuſtrans. 4) Chronicon *Idatii* minus, huc usque ineditum,
ex MSto, quod *Marianæ* fuit, cum Complutenſi & Toletano
430. collato; 5) Chronicon, *Severo Sulpicio* attributum, huc usque
454. non editum; 6) *Faſtos* ſic dictos *Idatianos*, quos tamen *Ida-*
505. *tii* eſſe, Noſter negat. Omnia hæc notis illuſtrantur. 7) Tabu-
las Olympiadum, & annorum ab Urbe condita, cum annis ante Chriſtum, quibus & Conſules Romani adduntur inde ab A. C. 548.

Laudem merentur diligentia Autoris, & ſincerus amor veritatis. Quæ, quod ad prima poſt C. N. Secula attinet, in patriæ gratiam ſcripſit, non quidem culpanda: nec tamen omnia cum plauſu accipienda nobis videntur. Quæ de exteris regionibus ſcripſit, non eadem, ac illa, quæ patriam ſpectant, diligentia ſunt elaborata; optime autem illa, quæ de ritu Muzarabum, & de Synodo Lucenſi, diſſerit. De reliquis *Voluminibus* nil niſi bona exſpectare poſſumus, quandoquidem ex ipſis fontibus Autori haurire licet.

HISTORIA SACRA DE BAPTISMO CONſtantini Max. Aug., Colloquiis familiaribus digeſta. Pars ſecunda, Autore MATTHIA FUHRMANNO, Auſtriaco, Ord. S. Pauli Eremit. Sacerd.

Viennæ Auſtriacæ, ex typographia Jahniana, 1746, 4.
Alph. 2 plag. 4, cum Tabb. æn. 8.

Priorem hujus Operis *Partem* cum non paucos inveniſſe amatores doctiſſimus Autor perſpiceret; hinc ſtimulum ſibi addi ſentiebat, ut fidem datam liberaret, & ſecundum etiam quæſtio-

Digitized by Google

ſtionis propoſitæ membrum diligenter explicatum daret, quod de unico ac vero Imperatoris *Conſtantini* Baptiſmo Romano-Lateranenſi rem omnem conficeret. Nec hanc ſolam diſceptationem occupaturam eſſe chartam, præfatur; ſed multa alia argumenta, non vulgaria, ex antiquitate ſacra petita, recens inventa, & adhuc a viris doctiſſimis neglecta, ſe in medium eſſe prolaturum, pollicetur. Nos ſummam dictorum repetemus, ut, quæ de novo huic quæſtioni adjecta fuerint, intelligamus. *Primum* ſtatim *Colloquium* ſcenam Pag. 1.
aperit, &, cauſam agendam non ex obſeratis, aut in Bibliothecis ſepultis, Codicibus, ſed ex libris, qui in omnium manibus verſantur, ſtatuit. Suo jure, huc referri poſſe, judicat, primo præclariſſimam *Conſtantini* orthodoxæ fidei confeſſionem; tum avthentica veterum Scriptorum teſtimonia, aliaque adminicula; denique perpetuam traditionem, & utriusque eccleſiæ conſenſum. Exhibet in hunc finem ſæpius jam a doctiſſimis viris exploſum Edictum *Conſtantini* Imperatoris, in quo ſcilicet fidei ſuæ confeſſionem edidiſſe ipſe creditur. Noſter nihil Criticorum tonitrua & fulgura moratur. Confir- 8.
mandum in ſe ſuſcepit, genuinum hoc eſſe decretum, & minime dubiam hiſtoriam Baptiſmi hujus Romani. Teſtes huc excitat *Euſebium Pamphili*, *Conſtantinum* in Sermone prosphonetico ad Patres Nicænos, & in Epiſtola ad *Saporem*, Regem Perſarum, Conſtitutiones denique Concilii Romani, ſub *Sylveſtro* A. C. 324 celebrati, cujus ſi non omnia, quædam tamen, vera eſſe capita ſcribit. His alia confirmationis 12.
adduntur adminicula, ſtrictim enarrata, quæ magna ſcriptorum turba ſequitur, e quibus ſaltem ex Seculo V Autorem Epiſtolæ ad *Euſtochium* de vinculis *Petri*, *Zoſimum*, *Sozomenum*, *S. Jacobum*, Tarugenſem Syrum, & Neſtorianum quendam Chronographum apud *Joannem Malalam*, hic nominaſſe ſufficiat, cum tanta ſubſequatur multitudo, ut vix numerus eorum in his arctis limitibus iniri queat. Quæ *primo Colloquio* in univerſum proferuntur, ea in ceteris ſecundum ordinem docentur. In *Colloquio* igitur *ſecundo* am- 25.
pliori rerum & verborum apparatu Edictum *Conſtantini*

Digitized by Google

pertractatur, & primarium argumentum pro ipſius Baptiſmo ex eo adſtruitur. Diſputatur hic inprimis contra *Natalem Alexandrum*, &, quas ille contra hoc Edictum rationes attulit,
Pag. 29. refelluntur, ita tamen, ut concedat Autor, ſecundam hujus libelli donationis partem, in nonnullis argumentis, eſſe depravatam, in priori vero, ubi de *Conſtantini* Baptiſmo agitur, quam maxime genuinam. Veram donationem eſſe factam, confirmat ex jure acquiſito, partim in rem, partim in re, tempore *Caroli Magni*, qui amiſſa Pontificis M. bona modo reſtituerit ſanctiſſimæ Sedi, non de novo ipſi contulerit. Affert hic ingentem teſtimoniorum nubem, ſed quæ vel plu-
34. rimum ex *Hadriani I* Epiſtolis, aliisque, huic ſimillimis, Autoribus, deſumuntur. Præter ea vix credendum putat, *Pipinum* & *Carolum M.* conſentire potuiſſe huic Edicto, ſi figmentum fuiſſet: quo etiam refert vocem *Aiſtulphi*, Longobardorum Regis, *Pipini* legatis reſpondentis: *Si quid de ditione Romanorum Pontificisve ipſe parenteve cepiſſent,*
36. *reſtituturum ſe eſſe.* Nec ipſius *Juſtiniani* ex Avthentica ſin-
41. gularem hic autoritatem proferre omittit, denique ad liberalitatem *Conſtantini*, deſperatis quaſi rebus, ſe recipiens, ut cauſam ſuam ornet: ubi in tranſcurſu quoque de numo, qui *ſolidus* apud Romanos dicebatur, vulgaria quædam annotantur.
45. Invehitur hic etiam in Autores illos, qui cum *Wiclefo*, *Huſſo*, *Luthero*, *Eraſmo*, aliisque, negant, urbes & provincias, imo ipſum caput mundi, Romam, Pontifici ceſſiſſe, quod, ut ipſe credit, Arianis, hoſtibus Pontificii cœtus inimiciſſimis, origines primas debeat. Ceterum hic ſibi ipſe repugnat Autor, dum primo affirmat, *Wiclefum* juſtiſſime eſſe damnatum a Concilio Conſtantienſi propter errores ſuos circa donatio-
57. nem *Conſtantinianam;* poſtea tamen juſto duriorem ſententiam pronuntiat, ſi quis propterea ad hæreſin accedere exiſtimetur. *Colloquium tertium* pluribus nunc vindicata exhibet Acta *Silveſtri*, ex quibus Baptiſmus *Conſtantini* Romanus optime aſſeritur, quæque ſincera olim, atque ex *Euſebio Pamphili* ab Anonymo in Epitomen contracta, Latineque reddita, fuiſſe, demonſtratur. Duplicis eſſe generis, ait, Acta *Silveſtri,*

veſtri, Græca ſcilicet & Latina, quorum utriusque generis di-
verſi in diverſis Bibliothecis Codices manu exarati aſſerven-
tur. Recitatur deinde hiſtoria hæc ſacra integra, ut MStus
Codex Vaticanus Latine eam exhibet, cujus pars, quæ de Ba-
ptiſmo *Conſtantini* agit, integerrima dicitur, &, quæ ex Car- Pag. 59.
dinalis *Mazarini* Codice in contrarium proferuntur, confu-
tantur. Teſtes hujus rei laudat *Ratramnum* & *Anſelmum*, 71.
noni atque duodecimi Seculi Autores, quorum quam vim
habeat teſtimonium, nos quidem non intelligimus. Centu- 78.
riatores Magdeburgenſes in operibus ſuis inſomnia conformi-
bus fallaciter cumulare, perhibet, quo Pontificiæ eccleſiæ in-
vidiam creent; ſed non tenet, quod ipſe *Gelaſius*, Autorem
Actuum horum neſcire ſe, dixerit, quæ res integritati Centu-
riatorum pondus addit. In reliquis contra *Alexandrum*, quem 82.
ſibi adverſarium omnino elegit, diſputat, & in Græcos cul-
pam depravatorum *Silveſtri* actuum transfert. In *quarto Col-*
loquio ab omni fabula, aut ſuppoſitionis crimine, liberare an-
nititur Noſter, quod in ſupra dictis antiquitatis monumentis
de Baptiſmo *Conſtantini* narratur, qui optime *Euſebio*, in 87.
Oriente degenti, innoteſcere potuit ex *Auguſti* Confeſſione
fidei, Græce ſcripta, & in Orientem miſſa, poſtquam dextra
Imperatoris firmata fuerit. Cujus quidem rei autorem, qui
fidem mereatur, nullum profert. Reliqua, quibus fidem
ſuam munire ſatagit, ex *Hadriani* Epiſtolis, & levibus qui-
busdam conjecturis, petuntur. Ad *quintum* progredimur 100.
Colloquium, in quo in annum & tempus, quo *Conſtan-*
tinus fonte ſacro initiatus fuerit, inquiritur: ubi confidenter
aſſerit Autor, *Baronium*, aliosque Pontificios ſcriptores, ſe-
cutus, id anno Chriſti 324, imperii *Conſtantini* 19, *Silveſtri*
Pontificis 11, contigiſſe. Rationes, quas ducit, ad confi-
ciendam hanc annorum ſupputationem, quæque ex *Gotho-*
fredi Chronologia legum Cod. Theodoſ. huc afferuntur, &
partim comprobantur, partim carpuntur, hic enarrare, lon-
gum foret, cum ſpinoſa hæc & ardua quæſtio ſine multa
diſputatione expediri vix queat. In *ſexto Colloquio* cauſæ 118.
enarrantur, quibus *Conſtantinus* permotus, ſerio ad Sacramen-

Digitized by Google

tum Baptiſmi ſuſcipiendum ſe contulerit. Ex ipſa ſatis jam
trita Confeſſione repetendum hic putat, quod ſingularem Dei
miſericordiam in ſe *Auguſtus* cognoviſſet, per apparitionem
ſanctorum Apoſtolorum, qui ad *Silveſtrum*, in monte Sora-
cte latitantem, ipſi viam muniviſſent. Alias ex *Zoſimo* & *So-
zomeno* affert rationes, quæ ad expianda cædium domeſtica-
rum, a *Conſtantino* commiſſarum, crimina pertinent, ubi
omnia fuſe expenduntur, quæ ab his ſcriptoribus monumentis
Pag. 124. literarum conſignata fuerunt: inter quæ longa de expiatione
tantorum delictorum, inter profanas gentes recepta, inſtitui-
136. tur quæſtio, negante Noſtro, tanta facinora, quanta *Conſtanti-
nus* commiſiſſe fertur, inter paganos expiationem in hac vita
tuliſſe. *Septimum Colloquium* tribus argumentis recenſendis
campum aperit, quorum prius de eo, qui *Conſtantino* ſuaſor
fuit, ut ad abolenda crimina baptiſmum ſuſciperet, quædam
138. profert, qui *Oſius*, Cordubenſis Epiſcopus, fuiſſe videtur, uti ex
ſingulis totius hujus rei enarrationibus Autor conjicit. Alte-
ra quæſtio hæc eſt: num Imperator a ſacris Chriſtianorum
defecerit: quod conſtanter negatur. Tertia: num Chriſti
aſſeclas injuriis affecerit: quæ ita ſolvitur, *Conſtantinum*
quosdam ex Chriſtianis, non ſacrorum odio inſtinctum,
ſed falſorum criminum delatione permotum, male ha-
buiſſe, non tyrannorum more vexaſſe, aut neci inſontes addi-
147. xiſſe, id quod ex eo maxime pateat, quod *Conſtantinus* Chri-
ſtianos mirifice protexiſſe ſubinde legatur, ſi excipias, quæ
imperii gerendi cauſa ab eo acta fuerint inter ſanguine con-
154. junctos & numeroſos amicos. Ex *Colloquio octavo* diſci-
mus, genus lepræ fuiſſe, a qua *Conſtantinus* in ſacro fonte
mundatus fuerit. Rejicitur hic quorundam myſtica expo-
ſitio, quaſi lepra animi ſit intelligenda, & affirmatur, ele-
phantiacam fuiſſe hanc, qua divinitus tactus atque punitus
159. ſit *Conſtantinus*, atque hæc omnia ex ſcriptoribus Sy-
ris, *Abulpharagio* Arabe, Menologio Græco, & aliis cœtus
Pontificii Autoribus, confirmantur, &, quæ *Pagius* atque
164. *Alexander* hac ſuper re monuerunt, rejiciuntur, ubi ſcite di-
ſtinctio inter effectum Baptiſmi primarium & ſecundarium,

ut

Digitized by Google

ut adverſariorum reſponſioni locus eſſet, in medium profertur. Sub finem longa miraculorum ſeries, per baptiſmum Pag. 172.
effectorum, ex *Bollando* & *Actis Sanctorum* ſiſtitur, quorum fides ſit penes autores. In *nono Colloquio* vivis colori- 175.
bus Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* apparitio oculis noſtris ſubjicitur, & de eorum imaginibus, *Conſtantino* a S. *Silveſtro* exhibitis, aliisque vetuſtiſſimis tabulis, quibus Romanum *Conſtantini* baptiſmum illuſtrari poſſe putat Autor, ſermo inſtituitur, ex quo etiam intelligi queat, imaginum uſum jam tum inter Chriſtianos invaluiſſe. Lepidiſſimum videtur, 181.
quod *Petri* & *Pauli* imagines a *Luca* adumbratas & depictas 186.
credat, quæ propter antiquitatem & inſigne miraculum admiratione dignæ, ex ipſius ſententia, judicandæ ſunt. Jucunda 191.
tamen lectu ſunt, quæ poſtea de calcaribus, coronis, aliisque, ad pictas has tabulas pertinentibus, rebus, antiquitatem non redolentibus, proferuntur. In *Colloquio decimo* diſſeritur de 195.
tempore, quo *Conſtantinus* Romæ Catechumenus factus ſit, itemque de ritu, quo ſacris Chriſtianorum impertitus. Anno Chriſti 324 Catechumenum factum Pontificiorum, & ex ritu quidem per manus impoſitionem, crucis ſignum, fuſasque preces; tum trina adſperſione fonte ſacro lavatum eſſe Imperatorem, uti mores illius temporis poſtulabant, docet Autor. De numis Seculi *Conſtantiniani*, & dracone myſtico, 203.
Conſtantino atque *Silveſtro* affictо, in *Colloquio* agit *ſequente* 208.
Noſter, & pro re ſua argumenta inde elicit, poſtquam multa de re numaria præfatus fuit, in qua expolienda *Spanhemium* reliquis palmam præripuiſſe, ex vero dicit. Numi ipſi, qui huc quadrant, Antiquariis ſatis jam ſunt cogniti, nihilque hic novi reperire licet, præter paucula argumenta, quæ antiquitatem eorum labantem fulciunt. De dracone myſtico, & alio ſubterraneo quodam, a profanis 233.
gentibus in cellulis ſubterraneis recondito, longa usque ad finem invenitur diſputatio. In *Colloquio duodecimo* de ad- 237.
mirabili Baptiſmi effectu, & de repentina atque integerrima *Conſtantini* vitæ morumque mutatione, diſſeritur: ubi plurima vel incerta & dubia, vel levia ſaltem & nimis decantata,

tata, inveniuntur, inter quæ maxima pars ad ædificia ſpectat ſacra, a *Conſtantino* erecta. Lubrica etiam videntur, quæ de liberalitate, tanquam effectu baptiſmi, producuntur,
Pag. 262. cum *Conſtantinus* eandem liberalitatem ante eum exercuerit creberrime. *Subſequens Colloquium* antiquum baptiſterii
265. Lateranenſis vindicat honorem, &, veluti perpetuam *Conſtantiniani* baptiſmi eſſe memoriam, declarat. Reliqua ad antiquos baptiſteriorum ritus, & *Alexandrum*, pertinent, adverſæ partis
287. antesignanum. Ex *decimo quarto Colloquio* apparet, *Conſtantinum* multo ante mortem tempore fuiſſe verum eccleſiæ membrum, tum ratione fidei profeſſionis & myſteriorum communionis, tum etiam ratione ſubjectionis Pontificiæ autoritatis, quod ultimum ſine autore ullo fruſtra confirmat ex eo, quod
303. *Silveſtro*, equum adſcendenti, frænum præbuerit Imperator. *Colloquia duo poſtrema* de ſeptem donis Spiritus Sancti, & virtuti-
307. bus Chriſtianis, quibus *Conſtantinus* ornatus fuit, deque conſtante ſanctitatis fama, qua ipſe floruit, multa, ſed minus vera, produnt exempla. Hoc perplacuit nobis, quod *pag.* 237. ritum conſecrationis Pontificium, ac relationem inter Divos, ſuperſtitionis Romanæ partem eſſe, fateatur Autor, licet de reliquis recte judicari poſſit: Multa conando nihil efficit. Vaſtam eruditionis copiam ei non denegabimus, neque tamen hæc efficere potuit, ut rem acu tetigerit, & recte omnia expediverit, præclarus Autor. Ceterum, magis acutum in hac, quam in *priori*, *Parte* adhibitum ab Autore nonnullis in locis calamum, haud diſſimulamus. Tabulæ adjectæ, æri inciſæ, numos quosdam *Conſtantini*, Baptiſterium Lateranenſe, & Apoſtolos *Paulum* & *Petrum*, conſpectui noſtro exhibent. Id inprimis dolendum, tot mendis operarum deformatum hoc *Volumen*, quæ mentem Autoris in ænigmata haud raro vertunt.

MONUMENTORUM MONASTERIENSIUM Decuria prima, loca Diœceſeos, ab A & B inchoantia, ordine alphabetico propoſita, inſcriptionibus & exegeſi topo-

topographico-hiſtorica illuſtrans. Autore JODOCO HERMANNO NUNNING, *J. U. D. Sereniſſimi Elector. Colon. Epiſc. Monaſt. &c. utriusque Bav. Duc. Conſiliar. Eccleſiaſt. Protonot. Apoſt. Illuſtriſſ. Capituli S. Felicit. Fredenſ. Scholaſt. & Canon. Senior. &c.*

Veſaliæ, apud Leporinum, Magiſtratus typographum, ſumtibus Autoris, proſtant Francofurti, Lipſiæ, & Lemgoviæ, 1747, 4 maj.
Alph. 2 plag. 9.

Jam trita ſunt Paderbornenſia, Hamburgenſia, Hafnienſia, Wurtenbergenſia, monumenta, quibus ſane, poſtquam aliorum conatus interciderunt, cum plauſu addimus Monaſterienſium hancce Decuriam, voventes ſimul, ut mox plures ſequantur. Quinque nimirum Decurias ſe daturum pollicetur S. Vener. Autor; qui ſpem aliorum pariter operum, quæ in *Bibliographia, Commercio* ſuo *literario*, eodem anno Francofurti publicato, adjuncta, fuſius enumeravit, dubitantibus confirmat. Loca interim, quorum monumenta hic ſiſtuntur, ſunt Ahuſium, Albachtum, Alena, Amſybura, Aſchendorpium, Bechemium, Bevergerna, Bilderbeca, Borckena, Bucholdia. Subjungitur duplex Appendix: altera monumenti triplicis, nimirum *Carolinæ*, ad Bucholdiam a Saxonibus reportatæ, victoriæ, officinæ ferrariæ Bucholdienſi, & Wickinghovio, Autoris prope Borckenam Tuſculo, conſecrati; altera additamentorum ad Decuriæ primæ monumenta, quæ ſingula obſervationibus, literis publicis, & Clariſſimorum Virorum ſcriptis, ſive vulgatis, ſive Pag. 5. ineditis, roborantur. Sic ad Ahuſium notatur, id ab *Aa* fluvio denominari, ut diverſæ aquam gentes dicunt. Græcorum *αα*, ſive *alpha*, *Heſychius* interpretatur *aquarum congeriem*. Danis quoque *Aa* indicare fluvium, ex eorum flaviſſis 35. diſcimus. Monumentum, a Noſtro *Albachto* conſecratum, hoc ipſum nomen, quod a *Bacht* potius derivaremus, a *Baccho* deducit, quaſi omnia ibi *Bacchi* plena fuerint. Eodem ibi referuntur *Bacum*, ditionis Lingenſis vicus, veteres Harlemi 36. *Bacones*, *Bacheracum*, atque alia. Inter rationes vero pergitur:

 Non

Digitized by Google

Non quod antiqui Weſtphali Bromio ſacrificarint Vitigeno, ejusdem ſucco ſe inebriantes; vinum enim ad ſe importari non patiebantur ſed quod Bromum culmigerum, ex eoque liquorem in ſimilitudinem vini corrupti, natum, ad focum ſedentes, noctu diuque ingurgitare, non duxerint probrum. Et quis eos neget Bromi Bromiique ſtrenuos fuiſſe popas, cum adhuc hodie geſtiant eſſe potores, veterumque Teutæ *&* Gheltæ *modernis adhuc Teutonibus arrideant. — Verum nolite credere, antiquos Saxones promiſcue vinum tantum cereale bibiſſe: habebant & viros principes proceresque, quos Bacchi*
Pag. 39. *Orgia celebraſſe, nemo dubitat.* In obſervationibus additur, quod *Bacchum* Celtæ *Bacum* corrupte dixerint, indidemque derivantur nomina *ein Back*, *Becher* (ideo potius *Bacher*), &c. *Joannes de Janua* Baccharium vas vinarium vocat, ac dici vult a *Bacchus.* Gloſſa vero Papias *Bacchia.* Iſid. *Bacca vas aquarium:* Hinc patet, fuiſſe etiam ad aquam extenſam ſignificationem: niſi *Bach* Germanorum accommodatius videbitur, quam *Bacchi* primitivum, quod nos quidem opinamur. Weſtphalorum pocula plurima ex fago verbetula exſtitiſſe, memorat Noſter, unde *Berckenmeyer*, *Teudte*, & *Gehlte*, deducuntur.
45. Vocabulum *Ghelta*, ex vetuſta membrana, de cereviſiæ menſura majore exponitur: quæ vel lignea ſit, vel ex ſpatho, ad orificium ferro, ære, aliquando ebore, armata, menſurarum X, XII, plurimque, capax. Apte huc *Greg. Turonenſis Lib. IX Hiſt. Cap. 28: cum duabus pateris ligneis, quas vulgo* Bacchinon *vocant.* Neque raro in antiquis ex Delphenſi Porcellano la-
47. genis ſignatum, igneque inuſtum, legitur *Bacus.* Dicebatur *Bacchus* & *Bromius*, itemque *Bromus:* unde *Broma*, *Bruma*, *Brumæ*, *Brumalia*, &c. ex Calendariis Rom. *Hervetiano* & *Bucheriano* feſtum diem denotant, octavo Calend. Decembr. celebrari ſolitum. A Brumalibus, non a *Baccho*, ſed a bruma, vel hieme, derivat *Cangius* Belgis & Picardis familiare illud *Bromardiers*, quo ſe mero & cereviſia ingurgitantes conſueverint crebris conviviis ac *Baccho* indulgere. Hinc & *pravos homines* vocat Capitulare *Pipini*, Regis Italiæ, apud *Baluzium Cap. 32: Qui Brumaticos colunt* &c. Itemque *Broma*,

Digitized by Google

ma, ſeu *Bruma*, feſtiva ducere pridem interdixerat Concilium Romanum & Longobardum ſub *Zacharia* Pontifice anno 743 *Can. 9*, & Capitula *Attonis*, Epiſcopi, *Cap. 78*. In monumento quarto, quod Amſyburenæ dedicavit, Autor memorat *gigantum, quæ vocant, lectiſternia & ſtrata*, vel potius *ſepulchrales tumulos*. Annumerat autem deperditis genuinam horum monumentorum, ex ſilicibus opere prodigii pleno ſtructorum, originem. In Megapolitano Ducatu hos *ſcopeliſmos* dici *Wandalorum cœmeteria*, teſtatur *Ranzovius* in *Meth. Apodem. num. 9 §. 3*. Vandalos autem rapinis atque incendiis interiora Weſtphaliæ penetraſſe, non habet, quod dubitet, Noſter. Idem in *Sepulcreto Mimigardico gentili Sect. II Cap. 11 §. 2 ſeq.* honoribus defunctorum hanc monumentorum capacitatem, tanquam debitam, ab antiquis eſſe ſtratam, exemplo apud *Vopiſcum* in *Probo* confirmat. Aliud exemplum offert *Olearius Itin. Ruth. Perſ. IV, 7 fin.* ſub Samaram ad Wolgæ flumen, indicans, ſpectari montem, *Sariol Kurgan* dictum, ſub quo, præter VII *Czaaros*, ſive Reges, ſepultus ſit Tartarorum dux *Momaon*. Conferri hoc loco merentur *Cambdeni Britannia*, *Arnkiel Cimbriſche Heyden-Religuien pag. 232*, *Jac. Tollii Epiſt. Itiner. Ep. I pag. 19*, *Piccardi Antiq. Friſiæ pag. 23*, *Chriſt. Detl.* & *Andr. Alb. Rhode*, patris & filii, *Cimbriſch-Hollſteiniſche Antiquitaten-Remarques pag. 173*, & alii. Sed nimis omnino fuſum eſſet, ſingulas Germaniæ antiquitates indidem excerpſiſſe. Quid vero de Germania media dicamus, cui potiſſimum obſervationes conſecratæ videntur? Sane, ſi vel Hiſtoriam ſacram, vel civilem, vel literariam, ſpectemus, nemo erit harum rerum, ad Weſtphaliam ſingulatim quod attinet, paulo curioſior, ipſo qui libro carere poſſit. Non contendimus, æqualis omnia ponderis eſſe, neque partium plane ſtudio, rem potiſſimum ſacram ſi conſideres, carere Autorem. Neque vero offendent leves maculæ tot notatu digniſſima reperturos. Iidem, ſi vel minus argutum quid in argutis inſcriptionibus, aut in ſtilo impari, reperient, neutiquam iraſcentur, tanquam ſeveriores *Ariſtarchi*: quin & Grammatici habent, cur agant Pag. 88.

gratias tot medii ævi Latina & Germanica monumenta eadem, qua conſignata ſunt, ὀρθογραφίᾳ exhibenti. Neque Poetæ accedent inviti, quippe quibus tam Carmina Noſtri, paſſim adjuncta, quam de Poetis narrationes mixtæ paſſim, inſer-
Pag. 349. vient. Unam modo de *Gerb. Cotio* exempli loco addemus, qui, Alenenſis natu, cum patriæ, tum Glandorpianæ, ſcholæ moderator fuit, poſtea verbo divino prædicando admotus eſt a Lippienſibus, denique ex hac vita evocatus Hornæ A. 1562. Cum is adhuc Alenæ verſaretur, *ad Mariam carmen encomiaſticum* ſcripſit; porro A. 1525 edidit pagellam Carminum, cum Præfatione *Jacobi Montani*, Spirenſis; Hornæ pariter *pia Carmina, Joanni Grothen*, JCto, inſcripta, publicavit. Cetera hodieque latent manuſcripta.

M. TULLII CICERONIS DE OFFICIIS AD MARcum Filium Libri tres. Notis illuſtravit, & tum Manuſcriptorum ope, tum conjectura, emendavit, ZACHARIAS PEARCE, S. T. P. Decanus Wintonienſis.

Londini, ex officina Jac. & Rich. Tonſon, & Jo. Watts, 1745, 8 maj.
Alph. 1 plag. 11.

Elegantiſſima hæc Officiorum *Ciceronis* editio digna omnino eſt Editoris ſui eruditione, non uno etiam nomine vel de ipſo *Cicerone*, vel de aliis Græcis Latiniſque ſcriptoribus, promeriti. Secutus eſt Celeberrimus *Pearcius* editionem doctiſſimi *Grævii*, illam prima minorem, anni 1691, utpote quam emendatiorem recte judicavit, &, ſi nonnunquam ab ea diſceſſit, diſcrepantiam tamen vel in Notis ſignificavit, vel in Variarum Lectionum peculiari appoſuit indice. In ipſo contextu, ubicunque ei *Cicero* viſus eſt de alia & diverſa re dicere incepiſſe, curavit, ut verborum quaſi filum a typographis abrumperetur, & ſequentis initium ſententiæ in proximam lineam differretur; quamvis ceterum *Gruterianorum* Capitum diviſiones retinuerit. Id itidem effecit, ut priorum edi-

Digitized by Google

editionum mendæ tollerentur, nebulæque, ut ait, diſcuterentur, quæ *Ciceronis* & verbis, & argumentationibus, plurimis in locis impenderent: cujus laboris parti ſæpiſſime profuit alia interpunctio, qua in multis locis ſenſum *Ciceronis* pulchre reſtituit. Codices etiam veteres, impreſſos, & ſcriptos, (ſine quibus vana eſt Criticorum opera,) conſuluit. Ac inter complures illas veteres editiones, *Maguntinam*, a *Jo. Fuſt* A. 1465 impreſſam, contulit: quæ omnium quidem prima eſt, ſed non optima; porro *Romanam* primam, cui nomen ſuum appoſuerunt *Conradus*, *Sweynheyn*, & *Arnoldus Pannarts*, A. 1469; easque utendas ei commodavit Clariſſ. *Rich. Mead:* qui idem Vir humaniſſimus duorum MStorum Codicum, quorum alter 700 annorum habetur, copiam fecit; unde, vidimus, ſubinde bonas lectiones deſumtas eſſe. Præterea uſus eſt doctiſſimus Editor Codicibus MStis quatuor *Bibliothecæ Regiæ Weſtmonaſterienſis;* uno Codice *Eduardi Mills*, JCti; & alio, qui ſervatur, in *Bibliotheca Norfolcenſi*, *Regiæ Societatis Londini;* denique altero, quem ſervat *Bibliotheca Lamethana*, uſus eſt beneficio Reverendiſſ. Præſulis *Joannis Potteri*, τȣ̃ νῦν ἐν ἁγίοις. Horum igitur pariter, item *Groningiani*, ac aliorum *decem Oxonienſium*, ope, quorum Varias Lectiones in ſua editione notaverat *Thomas Cockmannus*, effecit, ut in his libris nihil loquatur *Cicero*, quod eo indignum videatur. Sed, cum ſæpe accidat, ut omnibus Codd. mendæ inveteratæ inhæreant, *Ambroſii Libros tres Officiorum* perlegit, qui libros hos *Tullianos* ſemper ob oculos habuit; & *ſeptem* una *Libros divinarum Inſtitutionum Lactantii*, qui, ut *Ciceroniani* ſtili non infelix fuit æmulus, ſic libros hos *de Officiis* ſæpe citavit, & veram lectionem reſtituit. In Annotationibus, quas ubique omnibus ſubjecit paginis, locos obſcuros, inprimis hiſtoricos, explicavit; quosdam etiam propria conjectura cenſuit emendandos: quæ ei res ſubinde feliciter ceſſit. His ſuis Annotationibus non paucas adjecit, utiles pariter atque doctas, *Joannis Chapmanni*, Viri Clariſſimi, Notas, nec parum eum Viri eruditiſſimi, *Jo. Jortinus* & *Franc. Saywus*, adjuverunt. Tandem ex *Lambiniana* quadam hujus Opuſculi

editione, quæ quondam *Jo. Walkeri* fuerat, (illius Viri Clariſſimi, cujus notæ exſtant in fine *Daviſianæ* editionis *de Natura Deorum*,) deſcripſit marginales non contemnendas, atque indole tanta digniſſimas. Ceteræ Annotationes ab ipſo Editore prognatæ ſunt, in quibus judicium criticum, acutum ςοχασμὸν, & lectionem vaſtam, obſervare licet, etiam eam artem, qua non niſi ille imbutus eſſe poteſt, qui lectioni *Tullianæ*, optimorumque Autorum diuturnæ conſuetudini, ſe tradidit.

Sed pauca quædam de his Annotationibus, inſtar ſpecimi-
Pag. 9. nis, proferamus. In *Lib. I Cap. 2 Cicero* promittit, ante ſe definiturum, quid ſit *Officium*. Sed, ſi totos libros perlegimus, nullam videbimus *Officii* definitionem ab eo adductam eſſe, quamvis plerique interpretes valde laborent, ut, id eum feciſſe, contra oſtendant. In *Capite* quidem *tertio* definivit, quid ſit *perfectum officium*, quid item ſit *medium*; non autem, quid ſit ipſum *officium*. Igitur Clariſſ. *Pearcius* vocem *officium* contracte dici exiſtimat pro *opificium*, uti *officinam*, quæ ab *opifex* derivatur, pro *opificina*. *Officium* itaque, in prima ſua ſignificatione, idem eſt, quod *Actio*; &, cum officium eam hominis actionem velit, quæ ad mores ſpectat, ſic illud definit: *id, quod natura & ratio docet ab unoquoque homine vel ſibi, vel aliis, præſtandum eſſe.* Quæ finitio ferme eadem eſt, quæ *Cœlii Calcagnini*: *Officium eſt actio, in omni vita cum virtute & ratione conjuncta.* Hæc actio, ſi *omnes* (ut Stoici dicunt,) *numeros habet*, & ſi ne minima quidem pars, quæ in ea ineſſe debet, ei deſit, tum *perfectum* & *rectum* officium vocatur, quod in neminem, præter ſapientem, cadere poteſt. *Medium* vero officium, ſeu quod *commune* eſt, ſic *Cicero* definit: *quod cur factum ſit, ratio probabilis reddi poteſt*, nempe actio, quæ, quamvis non ſit perfecta, cauſam tamen aliquam habet, cur poſſit probari. Sed *Cicero* in his libris de ſecundo ſolo officiorum genere verba facit, quæ *media* vocat, & quæ (ut ait *Lib. III Cap. 3*,) *ingenii bonitate multi aſſequuntur, & progreſſione diſcendi.* Vox enim *media* idem hic valet, quod *mediocria*, quemadmodum

in

Digitized by Google

in *Vellejo Paterculo Lib. II Cap. 29* dicitur fuiſſe *Pompejus innocentia eximius, ſanctitate præcipuus, eloquentia medius.*

Lib. eod. Cap. 25 Cicero ait, in liberis populis, & in juris æquabilitate, exercendam eſſe *facilitatem, & altitudinem animi, quæ dicitur:* ita enim legitur in editionibus. Doct. ſſ. Anglus contra, nullo hic ſano ſenſu dici *altitudinem animi*, opinatur; qui enim faciles ſe omnibus præberent, hos potius demiſſo & humili, quam *alto*, eſſe animo, adjicit, nec dubitat pronuntiare, locum corruptum eſſe, quem ſanare poſſet is, qui cum MSto *Lincolnienſi*, cum uno *Manutiano*, & uno *Elienſi*, (quem memorat *Daviſius* in *Notis ad Tuſcul. Diſpp. Lib. V Cap. 16*,) legit: *& lenitudo animi, quæ dicitur;* uti in illo prædicto loco *Tuſculan. Diſpp.* occurrit *lenitudo orationis.* Interim tamen, quia ceteri MSti Codices omnes ſervant *altitudo*, ſuſpicatur Vir Doctiſſ. *Ciceronem* ſcripſiſſe *aptitudo;* quæ vox & minus recedit a lectione MStorum, hujus autem loci ſenſui ſatis facit. *Aptus* enim eſt, qui ſe aliorum moribus accommodat. Exemplo ſit iſtud *Ciceronis* in *Epiſt. ad Famil. Lib. XII Ep. 30: O hominem, ſemper mihi quidem aptum, nunc vero etiam ſuavem.* Sic etiam *Horatius* loquitur in *Serm. I Sat. 3 verſ. 29:* Pag. 93

> *Iracundior eſt paulo, minus* aptus *acutis*
> *Naribus horum hominum;*

et in *Serm. II Sat. 5 verſ. 43:*

> — — *ut patiens, ut amicis*
> Aptus.

Non quidem occurrit alibi apud *Ciceronem* vox *aptitudo:* idque fatetur *Pearcius;* ſed multa etiam ſunt, quæ in ejus ſcriptis nove, aut ſemel, dicta reperiuntur; cujus generis non pauca *Eraſmus* in his libris annotavit. Cur non igitur & huic verbo idem potuit contingere? Sane *Cicero* verbum videtur non uſitatum protuliſſe, quia addit, *quæ dicitur;* formula enim eſt ea dicendi, quæ dictionibus non uſu tritis ſoleat adhiberi. Nos, ſi quid videmus, ingenioſiorem omnino eſſe hanc lectionem *aptitudo* illa *Chapmanni*, Viri Doct. ſſ. quam ſimiliter

ter addidit Clariſſ. Editor, *mollitudo*: quamvis diſerte *Cicero* in *Lib. III de Oratore Cap.* 40 memoret *mollitudinem humanitatis*.

Pag. 133. *Cap.* 37 leguntur apud *Ciceronem* hæc: *Contentionis praecepta Rhetorum ſunt; nulla ſermonis. Quanquam haud ſcio, an poſſint hæc quoque eſſe: ſed* diſcentium *ſtudiis inveniuntur magiſtri; huic autem qui ſtudeant, ſunt nulli.* Pro *diſcentium ſtudiis* mavult Clariſſ. *Pearcius* legere *dicentium ſtudiis*, id eſt, ſtudiis eorum, qui ad eloquentiam in dicendo ſe adjungunt. Id colligit ex ſequentibus *Ciceronis* verbis: *huic autem* (ſcilicet *ſermoni*) *qui ſtudeant, ſunt nulli.* Sermonem enim Orator in ſuperioribus oppoſuerat diſceptationibus in Senatu, Judiciis, & Concionibus. Immo vero in his verbis *Cicero* videtur ſignificare velle, quod antea dixiſſet, *contentionis praecepta Rhetorum eſſe.* Concinit id, quod occurrit in *Bruto Cap.* 13: *Extra Graciam magna* dicendi ſtudia *fuerunt.* Præterea, voces *diſcere* & *dicere*, notum eſt, ſæpe in MSS. Codd. confundi.

161. *Lib. I Cap. ultimo* verba Oratoris hæc habent: *Quare hoc quidem effectum ſit, in officiis deligendis id genus officiorum excellere, quod* teneatur *hominum ſocietate.* Societas hominum (ait Clariſſ. Editor) tenetur officiis, non officia hominum ſocietate: hoc quid velit, non intelligo. Itaque cenſet, *Ciceronem* potius ſcripſiſſe: *quod tueatur hominum ſocietatem*, id eſt, quod eam firmet & ſtabiliat. Sic in fine præcedentis *Capitis* 44 dicitur: *ad ſocietatem* tuendam *valet*, & alibi. Sæpius autem *teneri* pro *tueri*, *teneatur* pro *tueatur*, &c. in MStis ponuntur, errore librariorum: qui ſi hic idem fecerint, omiſſa lineola ſupra caput *e* pro *m* poſita, mutarunt *ſocietatem* in *ſocietate*.

224. Locus eſt in *Lib. II Cap.* 16, quem dudum eruditi Interpretes, queſti ſunt, perſonarum immutatione, & aliis obſcuritatem afferentibus, laborare. Ille ſic legitur vulgo: *At ii, qui ab hoſte obſidentur, — videri, omnesque mirari*, &c. Unde enim ibi reguntur voces infinitivi modi *videri*, *mirari*, & reliquæ? Itaque non deſtituitur veriſimilitudine, quod

eunen-

Digitized by Google

emendare cupit Cel. *Pearcius* pro *At, ii* ita potius: *Ait, ii, qui*, ſive: *Ait enim, ii, qui* &c. ubi in *Ait* intelligendus eſt *Ariſtoteles*, (vel, ſi *Maretum* audias, *Ariſto*,) cujus verba Latine reddita ea eſſe, quæ ſequuntur, vix dubitandum eſt; inprimis quia paulo poſt dicitur: *bene etiam colligit.* In MStis enim Codd. *at* & *ait* ſæpius confunduntur. Exempli loco ſit illud ex *Lib. I Cap. 40: O puerum pulchrum Pericle! at enim Prætorem*, &c. Ubi, ut multi MSti libri habent *ait*, ita multi *at*, ut fere numero ſint pares. Eandem quoque conjecturam Clariſſ. *Chapmanno* in mentem veniſſe, Eruditiſſ. Editor teſtatur.

Lib. II Cap. 25, cum ex *Catone* quæreretur, quid in re familiari maxime expediret, reſpondebat: *bene paſcere - - - quid tertium? male paſcere.* Eam lectionem, *Gruterus* teſtatur, ſe inveniſſe in MSto *Palatino*, & ſequentes Editores omnes receperunt: cum reliqui olim tam veteres Codd. MSti, quam impreſſi, habuiſſent *bene veſtire*, aut *bene vitire.* Interim vix eſt credibile, *Catonem* ſapientem, cum ex ipſo, quid quæſtuoſum eſſet, quæreretur, reſpondiſſe, *male paſcere:* hoc enim ita non eſt quæſtui, ut etiam rei familiari vehementer obſit. Quare *Pearcius* putat, *Ciceronem* ſcripſiſſe: *quid tertium? non male paſcere.* Quam omnino ſi ſequimur lectionem, ſapiens ille *Cato* quærenti nihil reſpondiſſe abſurdi videbitur. Nam primum erit, *ſi quis* bene *paſcat:* ſecundum, ſi quis *ſatis bene:* tertium vero, ſi quis *non male.* Confirmat hanc lectionem *Pearcius* ingenioſe ex inverſo ordine *Craſſi* in *Lib. III de Oratore Cap. 22: Si me vultis eſſe Oratorem, ſi etiam ſat bonum, ſi bonum denique, non repugnabo;* ubi *Oratorem* idem valere videtur, quod *non malum Oratorem.* Sane in *Plauti Moſtell. Act. III Scen. 2 verſ. 29* ille dicit, ſe *non male valere*, qui ſignificare videtur velle, ſe nec *bona*, nec *ſatis bona*, valetudine perfrui. Addendum etiam eſt, quod ex *Catonis* libris *de Re Ruſt. Cap. 137 Gronovius* hæc verba citat: *In loco bono parte octava corbi dividat, in ſatis bono ſeptima, in tertio loco ſexta.* Ubi fortaſſe ille *tertius locus*, qui nec *bonus*, nec *ſatis bonus*, erat, *non malus* a *Catone* credebatur; Pag. 261 ſeq.

E qui

qui loco *malo* plane nullam omnino partem aſſignaturus eſſet.

Pag. 286. *Lib. III Cap. 6 Cicero* ſic ait: *ſocietatis arctiſſimum vinculum eſt, --- omnia incommoda ſubire -- quæ vacent juſtitia.* Ita enim omnes fere veteres Editiones & MSti libri uno quaſi ore legunt. *Gravius* vero ex veſtigiis *Pithœani* Cod. & ex uno MSto *Manutii*, legere voluit: *quæ non vacent juſtitia.* Senſus eſt: quævis incommoda potius ſubeunda eſſe, ſi nihil in illis ſit injuſti. At quid eſt illud *injuſtum*, quod poſſit ineſſe in incommodis animi? Non patet, quo ſenſu dicantur hæc poſſe vel habere juſtitiam, vel ea vacare. Quia igitur in Excerptis *Pithœanis* legitur, *quæ vacet juſtitia;* Cel. *Pearcius* conjicit, *Ciceronem* ſcripſiſſe: *quia vacat* (vel *vacet*) *juſtitia*, ſcilicet, *quia detrahere hominem homini, ſui commodi cauſa, vacet juſtitia;* nam ad illa verba, non ad animi incommoda, reſpicere hæc videntur. Ideo id *contra naturam magis eſt*, quam omnia incommoda ſubire, quia vacat & caret juſtitia. Simili modo ante *Cicero* locutus erat *Lib. I Cap. 19: Ea animi elatio, quæ cernitur in periculis & laboribus, ſi* juſtitia vacat, *pugnatque non pro ſalute communi, ſed pro ſuis commodis, in vitio eſt.* Ubi, quod *pugnat pro ſuis commodis* dicitur, ut hic, *juſtitia vacare.*

Hoc denique adhuc adjiciendum eſt, ad finem editionis ſeriem lectionum haberi, in quibus hæc *Pearciana* a *Grævii* editione ſecunda, & emendatiore, receſſit, nulla quamvis Nota appoſita, quæ diſcrepantias ſignificaret; quippe quæ fere minus ponderis habent: cum tamen vel MStis, vel veteribus editionibus, vel plane utriſque, lectio Cel. *Pearcii* ſuſtentata ſit.

DISSERTAZIONE SULLE POSTE DEGLI Antichi, &c.

id eſt,

DISSERTATIO DE POSTIS VETERUM, recitata in Academia degli Apatiſti.

Flo-

Florentiæ, 1746, 4.
Plag. 14.

Franciſcus Colleſchi, libelli hujus Autor, argumentum, quod exponeret, ſibi ſumſit elegans, omniaque, eo ſpectantia, breviter exhibuit, quamvis occaſio ſcriptionis, copioſe omnia perſequi, multasque citationes Autorum afferre, non permitteret. Sequamur eum, & recenſeamus, quicquid ille bonarum rerum habet. In ingreſſu monet, nos multarum & utiliſſimarum rerum inventionem veteribus debere, ob quas illi, divis ut annumerarentur, meriti ſint; eosque ideo damnat, qui, cum novi nil excogitent ad uſum generis humani, vetuſta ſinunt, quantum quidem in ſe eſt, perire, neque recolunt. Inde ad ipſam rem devenit, & *pag. 6* inquirit, unde vox *Poſta* derivetur. Poſt expoſitas opiniones *Cujacii*, *Voſſii*, *Scioppii*, *Menagii*, ſuum ipſe judicium ſuſpendit, nec quidquam decernit. *Pag. 8* primam earum, poſtarum nempe, inſtitutionem indagat, ſeminaque quaſi & ſpeciem aliquam invenire ſibi videtur *ἐν τοῖς φρυκτοῖς*, ſeu tædis ardentibus, quæ e turribus, per certa ſpatia diſpoſitis, protendebantur, & ſic celerrime una quadam certa cognitaque de re ſignificabant locis vel remotiſſimis. Id non tantum Græciæ antiquiſſimæ, tempore belli Trojani, ſed Perſiæ, imo & Angliæ Galliæque veteri, fuit in uſu. Mirum, quod Helvetios omiſerit, quibus etiamnum accenſi ignes in montibus monitores ſunt de imminente reipublicæ periculo. Comparat porro cum iſto inſtituto Peruvianorum rationem, regia mandata celeriter quaquaverſum per curſores viva voce ſignificandi, & Turcorum *Idzan*, ſeu clamores e turribus templorum, inſtante precum tempore: quod tamen poſterius ab argumento alienum videtur. *Pag. 14* ait, *Cyrum* primum veras poſtas inſtituiſſe, nempe ſic dictas *angarias*, & curſores, *ἀγγάρους* atque *ἀςάνδας* dictos. Hoc poſtarum inſtitutum fuit procul dubio vaſtiſſimum, quandoquidem Principis mandata per totum regnum Perſicum, id quod erat longe ſpatioſiſſimum, differre debebat, eique ſoli rei deſtinatum erat. Iſti angari die nocteque continuabant iter equis vecti absque impedimento ab una paraſanga ad alteram. *Pag. 21* probat ex libro *Eſthera*,

Digitized by Google

inſtitutionem hanc *Cyri* fuiſſe in uſu ſub *Aharvero;* & ex *Herodoto*, ſub *Xerxe*, ex *Xenophonte*, ſub hujus ætatem, & tandem *Darii Codomani* tempore. Poſtæ iſtæ ſolis dominorum negotiis deſtinatæ erant, non item domeſticis & privatis rebus permittebantur. Ambitio nempe & æmulatio Principum volebat ſua quidem conſilia celare, aliena autem explorata habere: qua in re Perſas imitati ſunt Romani: quod adeo mirum non eſt, cum mercaturæ non faverent, & Franciæ Rex aliquis, noſtris temporibus vicinus, idem fecerit. Græci autem, etſi bene noſſent Perſarum hoc inſtitutum, quemadmodum eorum omnia, ſubtilesque eſſent & glorioſi, imitati tamen non fuerunt, ut neque utiliſſima illa inſtituta Romanorum, cloacas ſcilicet & aquæductus. Mirum tamen, diligentem & eruditum Autorem de Parhalo & Salaminia non cogitaſſe, quæ Athenienſium erant quaſi poſtæ. In cetera vero Græcia per naturam rerum non licebat tales angarias habere in parvula regione, quam tot diverſæ respublicæ liberæ obſidebant. Habebant tamen ſuos hemerodromos, quos exigente neceſſitate mittebant. Talium exemplum etiam a Judæis repetit *pag. 26* ex *Paralipom. II, 30.* Utebantur hi curſores incredibili velocitate, ut *pag. 27* Autor demonſtrat. Ipſi Romani, ut *pag. 28* docetur, habebant tales curſores, antequam ſcilicet poſtarum inſtitutio ſub Imperatoribus perfecta fuiſſet. Erant iſti vel publici, vel privati, ſervilis generis. Publici maxime *Bruttii* erant poſt bellum Punicum ſecundum. Unde *gerones Bruttii*. Publicam mercedem accipiebant nomine *calcearii*. Signa gerebant, quibus ab aliis dignoſcebantur, armillam & pennam, in capite petaſum quoque pinnatum.

Pag. 34 ad ipſas tandem poſtas devenit, quæ quo tempore fuerint inſtitutæ, non conſtat, quandoquidem ſcriptores hiſtoriæ *Auguſtæ* variis *Auguſtis* attribuunt eam inſtitutionem, & recentiores in diverſas hac de re ſententias abeunt. *Hermannus Hugo* inſtitutum hoc credit ſaltem *Auguſto* antiquius. *Spanhemius* ejus originem ad A. U. C. 579 refert, imo ad tempora, quæ proxime bellum Punicum ſecundum excipiebant. Noſter autem negat, in iſtis *Brutiis* ſervis curſoribus veram poſtarum

ſtarum imaginem ſe reperire; uti & in illa, quam *Spanhemius* allegat, præſtatione neceſſariorum, magiſtratibus, per provincias euntibus, aut exercitibus, debita. Concludit inde *pag. 38*, poſtas *Auguſto* antiquiores non eſſe, ſed forſan ab illo inſtitutas, idque ideo conjicit, quia vias publicas plurimas idem *Auguſtus* inſtituit, poſtarum maxime cauſa, ut probabile eſt: qua in re, ut alios, ſic & *Bergierum* maxime, conſentientem habet. Certe *Suetonius* de inſtitutis ab *Augu-* Pag. 41.
ſto per militares vias primum juvenibus, dein vehiculis, ἀγγελιηφόροις, γραμματοφόροις, πτεροφόροις, memorat, unde *curſus vehicularis* & *vehiculatio*. Primum quidem mutabantur curſores, & ἐκ διαδοχῆς ſibi ſuccedebant. Deinde vero unus manebat & idem, qui, mutatis tantum vehiculis, ipſi Imperatori mandata perferebat. Vehicula iſta cum jumentis præſtabant urbes municipales in provinciis, curabantque hanc rem certi procuratores, *a veredis Auguſti* dicti, ut eſt 43.
in antiqua inſcriptione apud *Calogeram* in *Opuſc. Scientif.* Illi procuratores, agnitis diplomatibus & ſignis imperatoriis, ſtatim curſoribus vehicula præſtabant. Morem tam commodum ſervabant *Auguſtum* ſecuti Principes, usque ad *Nervam*, qui optimus Princeps Italiæ onerosas vehiculationes re- 46.
mittebat, cujus in memoriam cuſi numi; ſed ſoli, ut videtur, Italiæ, provinciæ præ ceteris dilectæ ab Imperatoribus. Sub *Trajano* demum & *Adriano* inſtituti curſus publici, &, quæ olim ad privatos magiſtratus municipales ſpectaverat, cura ex eo tempore pertinuit ad fiſcum; unde *curſus fiſcales*. Ne nimium gravarentur provinciæ vehiculorum ſumtibus, providerunt Imperatores nonnulli. Certum ſtatuit eorum pretium *Conſtantinus*, qualia aliorum plura edicta moderandæ avaritiæ, & coercendis fraudibus, in *Cod. Theodoſiano* leguntur. *Juſtinianus* tandem veredarios paſſim abrogavit, & equos aſinis permutavit. Ab his tranſit Autor ad nomina locorum, in quibus aut mutabantur vehicula, aut ſubſiſtebant curſores. Huc pertinent ſtabula, καταλύσεις, mutationes, manſiones, quæ poſtrema duo videntur Noſtro diverſa eſſe, ſub generali voce ςαθμῶν & *ſtationum* comprehenſa, illæ quidem, *mutationes*,

 mutan-

mutandis equis tantum erant, quorum alebant ad viginti numero usque, & diſtabant una ab altera ad 16 millia paſſuum; hæ vero, *manſiones*, erant domus, in quibus curſores requieſcere poterant; diſtabant inter ſe diæta, id eſt, octo mutationibus, aut quinque, aut etiam paucioribus; & alebant ad quadraginta equos. In talibus manſionibus ſolebant Imperatores in itineribus divertere; qui, iter facturi, duobus ante menſibus edicto propoſito ſignificabant & enumerabant manſiones, quo omnia parata eſſent. In iisdem manſionibus ſubſiſtebant gubernatores provinciarum, ubi privatis ædibus uti non poſſent; inde quoque milites accipiebant cibaria. Ad animalia manſionum pertinebant 1) *equi veredi*, aut *verhedi*, ſic dicti a vehendis rhedis, quæ prima fuit inſtitutio. Deinceps manſit illis id nomen, etiamſi ſolum hominem portarent. Inde dicti *veredarii*, mandatis transferendis, & poſterioribus temporibus *vereda* via, per quam ibant poſtæ; inde quoque *paraveredi*, aut *parhippi*, qui aut ſarcinas ſubvehebant exercitui, & inde agminales dicebantur, aut deſtinati erant viis transverſalibus, a regia decedentibus, privatisve itineribus, aut aliis quibuscunque extraordinariis poſtarum neceſſitatibus. Erant quoque equi *avertarii*, portandis *avertis*, id eſt, valiſiis, aut ſacciperiis. Tandem & erant *Sagmarii*. Differebant ab his veredi, quod hi ſoli curſui, ceteri omnes oneribus portandis, deſtinati eſſent. Erant 2) muli; 3) quibusdam in provinciis cameli; 4) aſini; 5) boves. Vehicula erant rhedæ, carpenta, carræ, omnes quatuor rotarum; clabulæ duarum. Rhedæ quidem ordinarium erant poſtarum vehiculum, unde *rheda curſualis* & *rheda currens*. Videntur tamen illæ quatuor rotarum, oneribus vehendis, birotæ autem, ciſia, &c. accelerandis itineribus, fuiſſe. Hac occaſione de velocitate ciſiorum diſputat Autor, &, ſintne noſtris *caleſſis* ſimiles, inquirit; quod ipſi videtur ex argumentis, quæ allegat. Quid? ſi dicamus, a ſuo nomine Autorem libello huic ſcribendo, & tractando huic argumento, occaſionem ſumſiſſe? *Pag.* 72 ingreditur diſputationem de præfectis poſtarum, & iis, quibus negotium cum poſtis fuit. Putat, in quavis ſtatione præfectum fuiſſe, aut ab ipſo Imperatore,

Digitized by Google

ratore, aut a Præfecto Prætorio, conſtitutum; quæ præfectura quia munus mancipatus erat, non licebat eam gerenti abeſſe; attamen, perpetuum mancipatum non fuiſſe, ſed tantum quinquennem, quo elapſo tempore, priore libertate rurſus gaudebant, & *perfectiſſimis* appellatis accenſebantur; eorum quoque poſteris concedebantur multa privilegia. Neceſſe autem erat, eos idoneos fuiſſe cognitos, quod ex *Arcadii* Conſtitutione probatur. *Præpoſiti manſionum* appellabantur. Qui eo munere exemti fuerint, indicat *pag.* 74; quod autem & quale fuerit eorum officium, *pag.* 75 exponit. Erat enim eorum, diplomata Imperatorum inſtrare, quibus dabatur monſtranti licentia curſus publici; curabant, ut jumenta vehicularia bene haberentur, ut per diem non exiret niſi unum vehiculum, & ad ſummum quinque equi veredi; ut tandem Imperatorum mandatis ſatis fieret. Huc etiam pertinebant *curioſi* dicti, &, ſecundum *Salmaſium*, *frumentarii*; quibus, a *Diocletiano* ſuppreſſis, ſucceſſerunt *agentes*, quorum erat, non tantum ſignificare Imperatori de tumultibus ſubitaneis, paſſim naſcentibus, quod etiam antea fecerant frumentarii, ſed etiam attente provincias obſervare, curare, ne quis equos ſumeret plures, quam permiſſi fuerant in diplomate, expedire cohortes ex uno loco in alterum, & provinciarum donaria, reditusque & vectigalia, exigere. His alii ſubjecti miniſtri, quos *familiæ* nomine lex comprehendit, ut *ſtratores*, qui equites, aut curſores, in equum attollebant; antiquis enim illis temporibus non utebantur ſtapedibus: quem defectum collocatis paſſim in via ſuggeſtibus, aut gradibus, ſupplebant, quale quid in Hollandia quoque vidiſſe meminimus. Poſſes eos aliquo modo comparare cum illis, quos noſtro ſermone *Wagenmeiſter* appellamus. Porro erant *Catabulenſes*, ſeu *poſtiliones* noſtri, proprie ſic dicti, viliſſimi omnium; ut patet ex eo, quod *Maxentius Marcellum* Papam ad hoc opus in pœnam damnavit. Erant porro *hippocomi*, *muliones*, *mareſchalli*, alii multi, quos *pag.* 78 nominat Noſter. Generales poſtarum, ut nos, non habebant, ſed pertinebat earum cura ſuprema ad præfectos prætorio, aut ad magiſtros equitum, vel officiorum,

ciorum, ad Proconſules tandem & rectores provinciarum, & *curiales* in genere. Jam dictum fuit, nemini conceſſos fuiſſe curſus publicos, niſi diplomatibus, aut evectionibus, inſtructo, aut a ſummo Principe, aut a modo dictis poſtarum ſupremis curatoribus, quemadmodum & hodie magnis quibusdam in urbibus ſic dictæ poſtæ extraordinariæ nemini permittuntur, niſi ſchedulam monſtret, ab urbis gubernatore ſignatam. Ea diplomata ut præfectis manſionum ſingularum monſtrarent, neceſſe erat. Prævaricantibus imminebant pœnæ. Schedulis inſcriptus erat numerus dierum, ultra quos poſtæ non dabantur, numerus item curruum & animalium. Illæ ſchedulæ *diplomata*, aut *ſynthemata*, nominabantur, item *evectiones*, *evocatoria*, *tractoria*. Privatis hominibus ſemper interdictum erat poſtis. Tantum patebant Imperatori, & ejus uſibus, ut ex *Plinio juniore* demonſtratur, ſi paucos aliquos & honoratiores, raris & urgentibus in caſibus, excipias. Ante Imperatores proſpiciebant provinciæ Conſulibus, aliisque proficiſcentibus; cum vero id onerofum deinceps fieret, pecuniam dabant vehiculorum loco, & unicuique curam relinquebant, ſibi, quam poterat, optime proſpiciendi. *Pag. 86* agit de poſtis marinis, quas multis de cauſis videntur habuiſſe, de navibus *fugacibus*, *curſoriis*, *tabellariis*, *dromadibus*. Tandem *pag. 89* de hodierna poſtarum, earumque magiſtrorum, inſtitutione poſt caſum Imperii Romani agit. Originem adſcribit *Carolo M.* & anno Chriſti 807 circiter. Revocavit eas ex deſuetudine longo tempore poſt *Ludovicus XI*, ſed ſuos tantum in uſus; ſecuti vero Reges publicarunt. *Pag. 92* diſſerit de origine poſtarum in Italia, ubi jam medio Seculo XV poſtas equeſtres in uſu fuiſſe monſtrat. In Hiſpaniam introductæ fuerunt A. 1519; in Germaniam ſub initium Seculi XVII. *Pag. 98* mantiſſam quaſi addit de poſtis Turcarum in miniſterio columbarum.

Jucundus lectu & utilis eſt libellus, quem, dignum fuerat, Latino ſermone ſcripſiſſe.

JOANNIS FREDRICI SCHREIBER, REGIOmon-

Digitized by Google

montani, Doct. Med. Anat. & Chirurg. Profeſſ. & Membr. Honorar. Acad. Scientiar. Petropolitanæ, Obſervationes & cogitata de Peſtilentia, quæ annis 1738 & 1739 in Ucrainia graſſata eſt.

Petropoli, typis Academiæ ſcientiarum, 1750, 4. Plag. 12.

Altera jam vice prodit doctum Celeb. *Schreiberi* ſcriptum, cui edendo peſtis, Ucrainiam devaſtans, anſam ſuppeditaverat, cum Autori præſtantiſſimo pro militum hibernaculis ſanæ adhuc & integræ exquirendæ eſſent regiones. Novam autem hanc paravit editionem, ut variorum obviam iret objectionibus, novamque ſuam ulterius ſtabiliret ſententiam. Hujus enim morbi, cum inter plurima, quæ ſtragem hominum excitare ſolent, calamitatum genera diriſſimum forte ſit, natura penitus perſpecta, præ aliis idoneam, illum tollendi & curandi, rationem monſtrare poterit. Conſuetudo huc usque invaluit, ut, veneni, quod peſtem producit, in corpore latentis, cauſa, ſudorifera, & ſic dicta alexipharmaca, adhibeantur. Hanc vero agendi rationem cum inſufficientem, &, prout ſit, niſi ſubjecta, morbis correpta, diligenter diſtinguantur, noxiam, ſæpe fuiſſe perſpexerit Clariſſ. *Schreiberus*, ipſe aliam elegit viam, &, morbi ſimilitudine ductus, eandem, quæ venereo malo convenit, adhibendam eſſe therapiam, credidit, nec non, experientia confirmatus, evicit. In *duas* vero hæc tractatio diſtincta *Partes* eſt, quarum *prior* obſervationes, *poſterior* pathologiam ac therapiam peſtis, complectitur. Obſervationes manifeſtant, morbi hujus ſeminium partim in aere corrupto putridoque eſſe quærendum, partim per contagium ex alienis locis afferri. Deinde alia morbi communicatio fit per pus ſaniemque bubonum & carbunculorum peſtilentium. Morſus hominis, peſte affecti, nonnunquam ſanos nulla affecit noxa, & lactans a matre, peſte correpta, infans ſalvus ſuperfuit. Signa malignitatis morbi ac putredinis ab initio aderant, ſymptomata vero levabantur leni vomitorio, vel ſpontaneis dejectionibus. Deficientibus hiſce auxiliis, exaſperabatur

morbus, ex quo conſequitur, ut tenuiſſimum & fracidiſſimum alcali ſit ſeminium peſtilens, quod velociſſimas in corpore excitare poſſit turbas. Poſt mortem etiam veſicula fellis felle fluido flaveſcente repleta farctaque deprehenſa fuit. In mitiori morbi gradu & plura aberant ſymptomata, & judicatio facilior per bubones, vel carbunculos. Ex his illi, qui lati erant, vel in ſuppurationem non abibant, funeſti erant, ſive mox ſub cute, ſive profundius in glandulis diverſi generis, generarentur. Animi affectus, & ex his potiſſimum terror, corpora ad ſuſcipiendum miaſma diſpoſuit, hinc plures interfecit, inprimis & illos, qui ob ſenectutem vires jam fractas habebant, vel fermentato potu abutebantur. Primis graviditatis menſibus peſtis neque gravidæ, neque fœtui, noxam fecit, quod contra ultimis menſibus evenit. Antiqua ulcera & phthiſis contra morbum auxilium erant. Dyſenterici moriebantur omnes, nec quartana afflicti erant immunes; ſalivationem experientes partim exſtinguebantur, partim evadebant. In remediis prophylacticis anceps contra morbum auxilium fuit, cum & in ipſo morbo alii hæc, alia alii, ſalutaria judicarint. Reſolutio bubonum tentata ſemper male ceſſit. Ex hiſce obſervationibus, doctiſſimorum virorum teſtimoniis confirmatis, nunc, quidnam de natura & therapia morbi ſuadeat ratio, *altera* explicat *Sectio.* Una eſt eademque bubonum in lue venerea & peſte ſedes, ex miaſmate communicato origo, tractandi & eventus eadem ratio, licet facile largiendum ſit, utriusque morbi peculiare eſſe miaſma. Verum, cum & hic quædam convenientia, in progreſſu autem & velocitate morbi differentia tantum, ſit, peſtem velociſſimam eſſe Syphilida, ſibi perſuadet Clariſſ. Autor. Carbunculi morbum graviorem reddunt, quam bubones peſtilentes. Lues venerea gravior eſt, quæ cum putredine humorum conjungitur, quam quæ ſerum ſanguinis coagulat. Fuerunt nonnulli, qui, variolas cum lue venerea conſpirare, judicarunt. Eſt etiam vera quædam ſimilitudo quoad ſedem & effectus; quam ob rem tria genera peſtis conſtituuntur ab Autore, acutiſſima nimirum, ſive peſtilentia, acuta, ſeu variolæ, lenta, ſeu lues venerea. Sed, cum exinde

inde concluderet, lui venereæ eam, quæ vulgo ſolet, originem adſcribi non poſſe, animadverſiones in *Aſtrucum*, qui cum aliis, luem veneream ex America ad Hiſpanos translatam fuiſſe, aſſeruit, adjecit. Lues venerea tollitur ſublato ejusdem, in corpore hærente, ſeminio. Hydrargyrus illud præſtat, qui ſimul omnes effectus aufert. Variorum deinde experientia comprobavit; eundem in variolis feliciter fuiſſe adhibitum. Rabies morſusque rabidorum animalium ſanati fuerunt turpetho minerali, ceu remedio mercuriali. Febres malignæ, viſcidum ſanguinem reddentes, mercurio adhibito tollebantur, nec non interni abdominis cancri levamen inde percipiebant. Quod cum ita ſit, ut hydrargyrus morbis conveniat, cum ſanguine viſcido conjunctis, & iis etiam, qui proxime ad peſtem accedunt, nullum convenientius ſtatuitur remedium peſtilentiæ, quam hoc. Si vero illo uti velis, ad tollenda ea, quæ actionem ejus invertere poſſint, præmittendum eſt lene vomitorium; feliciores tamen & celeriores in ſanando morbo erunt effectus, ſi adjungi poſſit remedium, alexipharmacum, velociter agens. Multus itaque Autor in eo eſt, ut probet, variis ſimul adductis experimentis, camphoram in eorum medicamentorum numerum eſſe referendam. Hanc igitur hydrargyro miſceri ſuadet inprimis, cum & eorum ſatisfiat indicationi, qui, ſudorifera adhibenda eſſe, clamant. Præter id autem, quod hydrargyrus mechanica agat ratione, phyſicas ſimul attendendas eſſe qualitates, Autor judicat, ad quas vis vermes fugandi refertur, quam ex odore remedii, cum & vermes in iis exſtinguantur corporis locis, ad quæ mercurius devenire nequit, deducendam eſſe, ſuſpicatur. Tandem, cum in peſte febris ſit, bilis corruptio & gangræna, cortex nonnunquam Peruvianus adhiberi poteſt. Neque tamen Medici ſolum officium in tollendo, ſed in præcavendo quoque, hoc morbo poſitum eſt: quem quidem finem conſequitur, ſi aeri inhærens venenum corrigat per acidos vapores, vel ſi hauſtum jamjam & receptum in corpus aucta ſolidorum vi expellat, quod corticem Peruvianum efficere aſſerit, vel ſi miasmati facilem egreſſum e cute paret per ſpecifica, ſupra adducta.

cta. Tandem & reliquorum ſymptomatum in peſte curationem adjungit. Generatim monemus, hujus morbi naturam & accuratam diagnoſin medentis mentem inſtruere & dirigere, nullum vero remedium, quod ſpem futuræ ſanitatis, vel utilitatis, faciat, negligi debere.

SOPHOCLIS AJAX, CUM SCHOLIIS, TAM antiquis, quam novis, & translatione ſoluta metris ac revincta, atque indicibus rerum verborumque, editus ab JO. GOTTFRID HOERIO.

Vitembergæ, apud E. G. Eichsfeldium, Acad. typographum, 1746, 8.

Alph. 1 plag. 2.

Jure dolet Autor, qui Conrectoris munere Miſenæ, in illuſtri Afraneo, laudabiliter fungitur, & de exemplarium hujus Poetæ inopia, & de Bibliopolarum in Græcis imprimendis ſupina negligentia. Commendat igitur, qui talibus pudorem affundit, typographum ſuum, utilitatis publicæ, quam privatæ, ſtudioſiorem. Ac ſane tanto eſt magis neceſſaria hujusmodi prædicatio, quanto magis barbariem juvat auri ſacra fames. Sed antiquum eſt tale fatum *Sophocli* noſtro. Jam olim vulgus Italorum *Aldinam* editionem, ab *Eraſmo* illuſtratam, ſedulo diſſuaſit, metuens, ne barbari, tanto theſauro in pluteis Germaniæ ſuppeditato, minus ſæpe transſcenderent Alpes (vid. *Melch. Adami* in *vita Eraſmi fol. 45*): nunc recipere nolunt Germani, ut plures inveniant emtores, avare metuentes. Verum enim vero contrarium ſuadebit & Græcarum literarum, & Poeſis, & *Sophoclis*, conditio. Illæ aperiunt fontes omnis elegantioris doctrinæ; iſta tot commoda effundit, totque eſt gratiis inſignis, ut nihil magis commendari queat liberaliter educando; hic autem principem inter Tragicos locum obtinet, ut Tragici inter Poetas. Iſtorum enim honeſtiſſimas fallacias appellavit *Gorgias*, quod, ita qui falleret, non fallente juſtior, ita qui falleretur, non falſo eſſet ſapientior: quod

Digitized by Google

quod argute dictum *Dan. Heinſius* interpretaturus, *Electram Sophoclis* excuſſit *Orat. XXIII.* Neque id ſine cauſa, ſi Noſtro aſſentimur, *Æſchylo*, qui vinoſus finxit pleraque, & *Euripidi*, qui ſapientiam oſtentavit, maxime modeſtum ſobriumque *Sophoclem* anteponenti. Hujus igitur principem Tragœdiam editurus, cum ipſe membranas inſpicere non poſſet, poſtquam gnavus ille *Guil. Canterus* de variis lectionibus *Demetrii Triclinii* & *Henr. Stephani* eas, quæ *Sophocli* videbantur aptiſſimæ, adhibuit, & Britannus, qui ſub literis *A. B.* latere voluit, in editione Londinenſi anni 1722 Codices manu ſcriptos adhibuit, utriusque induſtria ſic uſus eſt, ut veri ſimiliora ſemper eligeret. Pone *Ajacem* locavit interpretes, tanquam umbras, non a convivatore, ſed a convivis, adductas. Ventis ſe ludibrium debere, credidit, ſi, adoleſcentes ſine cortice nare, ac ſine adminiculis, ex hoc alto, emergere, vellet: hinc remis maluit velisque, id eſt, tam obſervationibus, quam verſionibus, tempeſtive uterentur: quas inter nos quidem obſervationes eſſe præferendas, ac vel ſolas ſufficere, putamus. Has autem hic duorum generum videmus: neque enim veterum, neque juniorum, curas præclariſſimus *Harius* neglexit. Ad veteres quod attinet, cum *Schurzfleiſchio* jure arbitratur, operam perdere, qui, ſine talibus præſidiis, ad explanandi munus ſe applicent. Cum *Petro* autem *Victorio* primas Scholiis in *Æſchylum* defert, ſecundas *Sophocleis*, atque illis maxime, quæ Romæ primum ſeparatim excuſa fuerunt; cum hæc deinceps accreverint opera cujusdam, qui numerum augere, quam intelligentiam juvare, maluerit. Romanum prelum in tanta celebritate ut verſaretur, effeciſſe videtur ſolertia *Joannis Laſcaris*, viri Græcarum literarum Romanarumque ſcientia nobilis. Is enim, *Leonis X* juſſu, ex variis Orientis locis, ingenuos pueros delegerat, ex quibus tum primum eſt Græcum Romæ Collegium, quam ſcholam Græcam nominabant, ad radices montis Quirinalis, inſtitutum; cujus quidem adhuc

Digitized by Google

exſtat monumentum in *Sophoclem* Scholiorum, quæ ex illo Collegio prodierunt. Vid. *Petri Devarii* Epiſtola *de vita Matth. Devarii.* Atque ex hoc opere exactiſſimo rariſſimoque ſua Noſter manu deſcripſit, quæ conſpicimus, Scholia. De recentioribus duo ſunt Germaniæ lumina, quorum meritiſſimos labores Noſter repetiit. *Joachimus Camerarius*, D. *Andr. Freyhubio* in Oratione funebri, Lipſiæ A. 1574 edita, teſte, quam lateritiam invenit ſcholam Lipſienſem, marmoream reliquit; *Adriano Turnebo* judice, æternum totius Europæ fuit ornamentum ac decus, &, *Andr. Schotto* autore, fuit digniſſimus, cujus quælibet publice comparerent. Vid. *Segeti* Epiſt. ad *Jungermannum* d. 9 Dec. A. 1606 ad calcem *Hotomanni Epiſt. pag. 463. Balthaſar Stolbergius*, Mittweidenſis, a puero Græcis ſe literis dederat, quarum amorem non prius, quam animam, poſuit, ita canens Græce, ut in Græcia florente natus eſſe videretur: isque anno eodem, quo ſucceſſit *Oſtermanno*, editis *Sophoclis* enarrationibus, ſuas ordinarii Profeſſoris ſcholas habere orſus eſt. Horum igitur ſelectas obſervationes, ſuisque auctas, prudentiſſime hic comparere voluit *Hœrius*. Idem ad extremum tria veluti Commentaria conjunxit. Vult enim triplices fructus colligere lectorem, ſive ad ſanctiſſimas literas, ſive ad humanam ſapientiam, ſive ad linguam Græcam, reſpicias. Nimirum, ſi ad inveſtigationem rituum ac verborum, in diviniſſimis ſcriptis occurrentium, *Ge. Raphelius Xenophontem*, *Polybium*, & *Arrianum*, *Tobias Eccardus* autem *Ariſtophanem* & *Homerum*, laudabiliter adhibuit, non minorem Noſter gratiam merebitur, diligentia cum illis contendens. Pergit porro ad excerpendas res, id eſt, ſententias, hiſtorias, controverſias; præſertim ubi *Sophoclem* illuminant, ut ejus de philoſophia, perſonis, & junctura, concipi ſententia queat. Poſtremo verborum copiam ex ordine literarum quam diligentiſſime ſuppeditat. Singulare habet præterea meritum, quod fabulæ argumentum præfixit, tam generale, quam diſtinctius, ac vel minima

illius

illius membra uni obtutui ſiſtens. Secundum prius, cum Græci, Philoſophia *Socratis* abutentes, licentiorem degerent vitam, *Sophocles*, ſuorum temporum vitia contemplatus, voluit oſtendere, immodeſtiam adoleſcentum atrociſſime puniri. Notat igitur adoleſcentes ſummo loco natos, & corpore valentes: immodeſtos exiſtimat, qui præſentiam divinam non reverentur, magiſtratui non obediunt, prudentiorum felicitatem iniquo animo intuentur. Significat, eum temeritatis pœnas dare graviſſimas, publice qui afficitur ignominia, mente capitur, violentas ſibi manus injicit, ac honore ſupremo excluditur, quod ipſum tamen, Athenienſium more, credebatur nefas. Occaſionem vero Tragœdiæ ſuppeditaſſe videtur *Homerus Odyſſ.* Λ, 542 *ſeq.* cujus perſonæ cum characteribus ſuis ſequentem in modum ſiſtuntur: *Minerva* conſtantius ab *Ulyſſe* culta, quam ab *Ajace*; *Ajax* Salaminius, robuſtus, impius, jactabundus, inimicitiarum perſequentiſſimus; *Tecmeſſa* Phrygia, pellex *Ajacis* mœſta & modeſta; *Teucer*, *Ajacis* frater, juſti tenax; *Ulyſſes*, odioſus *Ajaci*, probabilis orator; *Menelaus* & *Agamemnon*, filii *Atrei*, iniqui *Ajacis* ſummi duces, nuntius, a *Teucro* ad *Ajacem* domi retinendum fruſtra miſſus; & chorus nautarum Salaminiorum, *Ajacis* cauſa cupientium. Sed ad ſpecimina quædam ex obſervationibus addenda properemus. Ibi quidem initio ſtatim *Joachimus Camerarius* profitetur, exordia *Sophoclea* præcipue laudari, quoniam in illis breviter totum fabulæ argumentum fere narratur, ita quidem, ut hoc non videatur agi, quando expoſitiones *Euripideæ* & longiores ſunt, & argumento narrando deſtinatæ. Præter Autoris commendationem antiquitates haud raro illuſtrant obſervationes, e. g. quando ad *verſ.* 17 varia tubarum genera memorantur, quarum ſex εἴδη conſtituit *Euſtathius*. Sunt eadem Argivorum σάλπιγξ ἀθηνᾶ, Ægyptiorum χνοόη, Galatarum parva σάλπιγξ & ὀξύφωνος, Celtarum κάρνυξ, Paphlagonum tuba βαρύφωνος, Medorum ὀγκόφωνος ac Tyrrhenorum. *Tyrrhe-*

num

nus autem, ut *Hyginus* ait *Fab. 274*, tubam invenit, & concha pertuſa buccinavit, (conſ. *Eurip. Phœniſſ. verſ. 1386, Plin. H. N. VII, 56,*) ut & *Hegeleos, Tyrrheni* filius, quem ferunt *Herculem* de Lydia uxore ſuſcepiſſe, *Pauſania* in Corinthiacis teſte, *Minervæ* tubæ fanum exſtruxit. Sic & artem grammaticam juvant, e. g. ad *verſ. 80* ἐς δόμους, ubi Græcus interpres ποιητικῶς εἴρηται ἀντὶ τοῦ ἐν δόμοις, monetur, ejusmodi exempla reperiri etiam apud πεζογράφους, *Xenoph. Cyropæd. Lib. VII fol. 153* παρῆν ἐις τὸ αὐτὸ χωρίον, *aderat eodem loco*, ex quo παραλληλισμῷ *Marc. II, 1,* ἐις οἶκόν ἐστι, tribuit atticiſmum *Ge. Raphelius Annot. in N. Teſt. ex Xenoph. pag. 67*. Sic *Cicero pro lege Manil. §. 33: in prædonum fuiſſe poteſtatem;* quam conjunctionem agnoſcit ille ſincerus Latinitatis judex, *J. G. Bergerus, de Natural. pulchrit. orat. pag. 407*. Item ad *verſ. 264* Φρούδου, ubi interpretes δηλονότι ὄντος, & *Camer.* Φροῦδον Atticam ſynalœphen πρόοδον, *quod abiit*, invenit, quod Teutones ſimiliter loqui ſoleant, indicatur, qui ſane conſenſus, quandocunque occurrit, utiliſſimus eſt obſervatu, & ad *verſ. 585* Μ' ἀρέσκει meri-
Pag. 128. to allegatur *Corinthi* locus de dialectis, quo dicitur, loco tertii quartum caſum adamare Atticos, atque in conſenſum vocatur *Homeri Il. T, 179*, neque tamen negatur, tertium etiam habere *Sophoclem*, e. g. *Antig. verſ. 74:* δεῖ μ' ἀρέσκειν τοῖς κάτω. Sed quando ad finem deduceremur, alia præſertim ſi conjungeremus, & pariter ſpeciminibus confirmaremus, qua ratione toties cum aliis ſcriptoribus, cumque ipſis ſanctiſſimis literis, ſtili, vel rerum, conſenſio demonſtretur, toties ſententiæ proponantur atque explicentur, toties Hiſtoria, Critica, & aliæ diſciplinæ, juventur? Brevibus itaque præclariſſimi Editoris conatui calculo adjecto, plura talis induſtriæ, quæ, quo rarior hac ætate, hoc utilior bonis in univerſum literis judicanda eſt, monumenta cupidiſſime ab eo exſpectamus.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno MDCCLI.

ܫܪ̈ܒܐ ܕܣܗ̈ܕܐ ܡܕܢ̈ܚܝܐ ܘܡܥܪ̈ܒܝܐ.

ACTA SANCTORUM MARTYRUM ORIENtalium & Occidentalium, in duas Partes diſtributa. Accedunt Acta Simeonis Stylitæ. Omnia nunc primum ſub auſpiciis JOANNIS V, Luſitanorum Regis, e Bibliotheca Apoſtolica Vaticana prodeunt. STEPHANUS EVODIUS ASSEMANUS, Archiepiſcopus Apamenſis, Chaldaicum textum recenſuit, notis vocalibus animavit, Latine vertit, admonitionibus, perpetuisque annotationibus, illuſtravit.

Tomus I & II.

Romæ, typis Joſephi Collini, 1748, fol.
Tom. I Alph. 4 plag. 7, Tom. II Alph. 5.

Studium Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ nunquam Romæ fuit non exercitum. Cujus rei cauſam haud difficulter perſpexerit, qui reputet, eam civitatem profeſſis Chriſtianæ fidei arbitris & protectoribus conſtare. Verum & ambitio ſuas illa in re partes habet, quæ Romæ perſuaſit, ut, univerſi per terrarum orbem Chriſtiani cœtus ſe caput & matrem eſſe, ſibi perſuaderet; ardorque, iſtius aſſerti confeſſionem, & ſui Pontificis obſequium, a ſecus ſentientibus & invitis,

 orien-

orientalibus maxime, qualibuscunque artibus impetrandi. Nata ſic Romanis neceſſitas, eas linguas, quæ inter Chriſtianos orientales vigent, Syriacam puta & Arabicam, quatenus obtinendo ſuo fini ſerviebant, excolendi, librosque ejus generis comparandi atque tractandi, & ſeminaria inſtituendi, in quibus juvenes cum Europæis quibusdam Maronitæ plerique atque Græci liberalibus artibus, linguarumque & librorum orientalium uſu, & ſerviendi conſuetudine, a teneris inbuerentur. Pervenerunt ea ratione ex Oriente in Apoſtolicam celebrem illam Vaticanam Bibliothecam tot manuſcripti, tantum non omnes Chriſtiani, Codices, ut eo quidem in genere ceteras omnes Europæ ſplendidiſſimas illa vincat. Nam peſte quidem Muhammedana infecti merito a ſede caſtitatis exulant, & injuriam Romæ fecerit, qui Muhammedanorum literaturæ præſidium & decus illinc exſpectet. *Clemens XI*, præclaræ memoriæ Pontifex, omnium maxime ſpectabilem illum Vaticanum theſaurum plurimis nobiliſſimisque monumentis locupletavit, miniſterio uſus *Joſephi Simonii Aſſemani*, Viri Celeberrimi, quem in Ægyptum Syriamque iterato miſit, addito luculento viatico, juſſum, ubi quid eximium & rarum invenerit, id quantoquanto pretio ſedi Apoſtolicæ aſſerere. Peperit utiliſſimum illud literatum iter immortale opus, *Bibliothecam orientalem*, in qua cum notitia Codicum, ab *Aſſemano* in Italiam invectorum, ampla ex iisdem excerpta proſtant. Peperit idem hoc quoque ſplendidum opus, de quo narrare cœpimus. Inter cetera enim Orientis ſpolia, ab *Aſſemano* reportata, egregia & illis magni facienda, qui veteris eccleſiæ monumenta venerantur & amant, erant duo quoque vetuſti Codices, e quibus hoc opus emanavit, ex antro Nitrienſis cujusdam Cœnobii extracti. Promiſerat Clariſſ. *Evodius Aſſemanus*, ſuperius laudati e ſorore nepos, jam in Præfatione ad *tertium Ephremi Syri Tomum* hujus Operis editionem. Neque erit, quisquis aut linguæ Syriacæ, aut eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, ſtudio tenetur, qui præſtitæ fidei gratiam ei non habeat, aut literis novam hanc acceſſionem non gratuletur lætus. Quamvis enim hac ætate noſtra, profecto naſuta,

&

& male ſedula, maleque credula, verendum ſit, ne ſint multi, qui ab his dapibus abhorreant, illi nempe, quibus Chriſti crux contumelia, contra honor & gloria eſt ultra patrum ſimplicitatem ſapere, & qui cum *Thoma Hydio*, in quem *pag.* 40, *b*, vehementer invehitur Noſter, exiſtimant, de Sanctorum ſuppliciis conſcriptas narrationes atræ bili generandæ magis, quam poliendæ menti, facere, vaneque pro ſanctimonia & fortitudine & conſtantia jactari, & imitationi commendari, quam ipſi contumaciam & perduellionem & rabiem dictitant: quorum hominum naſum Clariſſ. Editor forti brachio retudit; at, uſu qui didicerint, quot obſcura, & controverſa, & ignorata, in chronologicis, in geographicis, in notitia ſedium epiſcopalium, & Epiſcoporum, & antiquorum rituum, & omni hiſtoria, argumenta feliciter ex *Actis Sanctorum* illuſtrari, definiri, & erui, queant, dubium non eſt, eos ex his orientalis antiquitatis venerandis monumentis permulta commoda percepturos eſſe.

Fuerat quondam edendi hujus Martyrologii cura ſeniori *Aſſemano* & *Andreæ Scandero*, LL. OO. apud Romanos Profeſſori, mandata. Deinde vero, hoc quidem in Ægyptum & Syriam plures Codices manuſcriptos acquiſitum miſſo, illo autem in condenda incomparabili ſua Bibliotheca occupato, transferebatur in *Petrum Benedictum*, Societatis Jeſu Presbyterum, Maronitam; qui tamen & ipſe provinciam hanc vix attigit, cum aliis negotiis, tum maxime edendorum *Ephremi Syri* operum cura, diſtractus: quorum *tertio Volumini* etiam immortuus fuit. Imperio itaque *Benedicti XIV*, Pont. Max., & hortatu Eminentiſſimi atque literatiſſimi Cardinalis *Quirini*, ſuſcepit Noſter vacuefactam collegæ ſui exceſſu provinciam; qua etiam, ardua quamvis, feliciter & cum laude defunctus eſt. Inprimis queritur, negotium ſibi creaſſe vetuſtatem & formam literarum, quibus exarati erant ambo ſui Codices. Appellari ſolet ille character *Eſtrangela*, hoc eſt, στρογγύλος, & alio nomine Chaldaicus. Quo factum, ut ubique pro Syriaco ſermone Noſter Chaldaicum appellaverit. De quo diligenter monitos Lectores volumus. Non enim, quæ hic in

 lucem

Digitized by Google

lucem prodeunt, monumenta illo ſermone, quem vulgo Chaldæum dicimus, ſed eo, qui Syriaci nomine venire ſolet, concepta ſunt. Porro quoque Chaldæus appellatur ille ſermo, quod illi Syri, penes quos aliquali adhuc in uſu eſt, a vetere nomine regionis ſuæ multis Chaldæi nominantur.

Dicebamus paulo ſuperius, Clariſſ. Editori horum Actorum ad manus fuiſſe duos Codices manu exaratos. Non illi duo exemplaria ejusdem operis erant, ne quis erret, ſed diverſi prorſus libri. Unus antiquiſſimus inter alia præcipue Acta Martyrum orientalium, & vitam S. *Simeonis Stylitæ*, continebat. Hæc vita rejecta eſt in finem *ſecundi Voluminis*. Acta vero maximam partem *primi* conficiunt. Alter Codex, ætate ſaltem non plus tribus Seculis illo recentior, continet Acta Martyrum occidentalium, quæ maximam partem *ſecundi Voluminis* implent. Superioris Codicis cana & venerabilis eſt ætas, æqualis Autori ſuo; quippe ſcripti ſeptimo anno ab exceſſu S. *Simeonis Stylitæ*, cujus fata narrat, id eſt, A. C. 474. Monendum adhuc, appellationes *Orientalium* & *Occidentalium* Martyrum non vulgari, nobis conſueto, ſed eo, ſenſu, qui orientalibus, tam Muhammedanis, quam Chriſtianis, familiaris eſt, accipi debere. Appellant illi nempe orientales illas gentes, quæ a ripa Euphratis orientali per Meſopotamiam & Chaldæam ad Tigridem usque, & ultra quoque, habitant; Occidentales autem appellant Syros, Palæſtinos, interdum quoque Ægyptios, ne recentiorem Muhammedaniſmo ſignificationem *Occidentis* commemoremus, qua totam Ægypti, Libyæ, & Mauritaniæ, oram mari mediterraneo prætenſam, ipſa cum Andaluſia notat. Ille vero prius indicatus vocabulorum *Orientis* & *Occidentis* uſus *Muhammede* antiquior eſt, ut e Chriſtianis ſcriptoribus, ſeptimo Seculo vetuſtioribus, penes quos *Sarracenorum* nomen legitur, conſtat. Sunt enim Sarraceni الشرقيون, *Orientales*, ſeu Arabes, Euphratis & Tigridis ripis intercepti. Quæ vera eſt etymologia nominis, variis conjecturis vexati.

Præter *duo Volumina* hujus Operis, quæ coram manibus habemus,

bemus, exſpectatur adhuc *tertium*, quod credimus nunc ſub prelo ſudare. Complectetur id ea Martyrum occidentalium acta, quæ in *ſecundo Volumine* locum non potuerunt invenire. Tenebat nempe ſecundus, ſeu recentior, Codex triginta novem Acta Martyrum; e quibus quatuordecim priora tantummodo, ut præſtantiora & nondum delibata, *ſecundo Volumine* prodere, reliqua pro *tertio* reſervare, placuit Venerando Archiepiſcopo; quibus addet aliorum Martyrum Acta, Sanctorumque vitas, e variis orientalibus Vaticanæ Codd. MStis erutas. *Primo* autem *Volumine* dedit viginti duo Acta Martyrum orientalium, e vetuſto illo Codice, quem primum quoque appellat, cum Appendice, quam ſecundus Codex ſuppeditavit. Acta, quæ diximus, enarrant cruciatus ſanctorum teſtium, quibus a tyranno Perſarum, *Sapore Longævo* dicto, per quadraginta continenter annos, ab ejus anno trigeſimo primo inde usque ad ſeptuageſimum, vexati fuerunt. Dictio pura eſt, & æquabilis, & ſibi conſtans, ut probabiliter omnis ab eodem Autore, ignoto tamen illo, profecta credatur; eſt quoque nonnihil floridior atque excelſior, quam dictio Actorum, in Appendicem relatorum, non æquat; neque ſibi ubique ſimilis eſt, ut merito & ſequioris ingenii, & non ejusdem, reputetur eſſe. Exhibet autem Appendix Acta Martyrum orientalium, tam anno decimo octavo & trigeſimo ejusdem *Saporis*, quam in perſecutione *Isdegerdico-Vararanica*, cæſorum. Acta hæc, in Appendicem rejecta, numero ſunt quatuor; quæ, una cum ſuperioribus, percenſere, ſingulosque nominare heroas, ſingulis in Actis celebratos, licet uſu non careat, non tamen audemus, brevitati conſulentes, & Lectorum patientiæ, quorum longe plurimis barbara, partim quoque obſcura, nomina Perſarum, Syrorum, Arabum, peregrino ſono horrorem incuſſura eſſe, haud vane conjiciatur. Suffecerit, pro ſpecimine titulum Actorum, chorum ducentium, allegaſſe. Eccum. *Martyrium SS. Simeonis Bar-Saboë* (Syriace ܒܪ ܨܒܥܐ, Arabice ابن الصباغ, *filium tinctoris* notat) *Epiſcopi Seleuciæ & Cteſiphontis, ſociorumque ejus*

Abdhaidæ عبدهيكل *& Hananiæ Presbyterorum, aliorumque centum diverſi ordinis virorum; nec non Gubſciatazadis eunuchi, regis nutricii, Phuſikii Karugabari, ejusque filiæ, virginis Deo ſacræ.* Facile jam de ceteris fiat judicium, quorum index Præfationi ſubjectus eſt. Acta ſingula præfixam habent Admonitionem, ut Autor appellat, & additas in calce annotationes: hæ obſcura, quæ in ipſis Actis occurrunt, geographica, hiſtorica, ritus antiquos, declarant; illa præparat lectores, ad opuſculi cujusque tractationem acceſſuros, ea tradendo, quæ in univerſum ad ejus intellectum faciunt, & de Martyrum, ſingulis Actis celebratorum, ætate ſatisque ex fide Autorum, maxime typis editorum, diſſerendo. Exempla deinceps proponemus, poſtquam, quæ memoratu digna ſuperſunt, momenta e Præfatione, longa quidem illa, eleganter tamen, & perſpicue docteque, & paſſim quoque ſolide, ſcripta, breviter nobis repetita fuerint. Meminimus paulo ante dicere, ob ſilentium Codicis manuſcripti non conſtare, a quo profecta ſint Acta Martyrum orientalium; dictionem tamen & æquabilem & terſam unum omnium Autorem, eumque non abjectæ ſortis, neque ineruditum, prodere. Venerunt igitur aliqui eam in opinionem, *Euſebii Cæſarienſis* opus de fatis Martyrum in Syriacam dialectum converſum eſſe, rumoremque in orbem eruditum ſparſerunt, *Aſſemanum* ex Oriente ſecum advexiſſe opus *Euſebii*, quod Græce quidem dudum perierit. Qui rumor quam vanus fuerit, quam futiles & imperitæ illæ conjecturæ, non tantum peculiari Diſſertatione demonſtravit *Carolus Majellus*, de qua ſuo loco dicetur, ſed & *Evodius* noſter luculento illo & invicto vincit argumento, illorum caſuum, quos hæc collectio enarrat, pleroſque omnes anno 338, aut 340, quorum alterutro *Euſebius* e vivis exceſſit, recentiores eſſe. Ipſe itaque cum avunculo ſtatuit, hanc eſſe illam ipſam Actorum Martyrum Collectionem, quæ a Bibliothecæ Syriacæ ſcriptore & aliis inter opera S. *Marutha*, Epiſcopi Tagritani, ſeu Maipheractenſis, aut Martyropolitani, numeratur, cum & hic narrata in ætatem *Maruthæ* incidant, & dictio horum Actorum illi, quæ in *Maruthæ* ceteris operibus

Digitized by Google

bus deprehenditur, ſimillima ſit. Ea occaſione copioſe de vita ſancti Epiſcopi, cui cum *Joanne Chryſoſtomo* arctus fuit amicitiæ nexus, exponit, unde nihil delibabimus. Liceat in tranſitu hoc addere, mirari nos, qui Vir Eruditiſſimus urbem *Tagrit*, تكريت, eandem cum *Miapherkin*, vel *Maipheracte*, ميافرقين, faciat, neque id uno tantum loco, ſed paſſim & velut ſtudioſe, inculcet. Non deerunt illi procul dubio ſuæ rationes autoresque ſui; quos tamen nos quidem novimus, Autores omnes duas illas ut multum diverſas urbes citant. Aſſerto his Actis Autore ſuo, procedit Venerandus Archiepiſcopus ad ſalebroſum, ut ait, controverſiæ caput dirimendum, id eſt, ad epocham *Saporicæ* illius adverſus Chriſtianos perſecutionis, quæ quadraginta per annos ſæviit, definiendam. Perſtringenda itaque ipſi erant Chriſtianiſmi in Perſide initia, incrementa, & fata reliqua; erat quoque *Saporis* vita omnis exponenda: in qua id præcipue memorabile, arrogantiam & furorem ejus in Chriſtianum nomen ter fuiſſe graſſatum, ſemel anno vitæ ſimul & imperii decimo octavo; iterum anno trigeſimo; denique trigeſimo primo. Poſtrema hæc perſecutio cum ipſius vita, non citius, deſiit. Quo autem æræ Chriſtianæ anno ea inceperit, non convenit inter Chronologos. Demonſtrat Noſter e Syriacis, quæ *primo* hoc *Volumine* publicavit, Actis, id anno Chriſti 340 contigiſſe. Ducebat hæc chronologica inquiſitio ad conſtituendam quartæ dynaſtiæ Perſicæ, quæ ab Arabicis Hiſtoricis Regum Saſanidarum appellari ſolet, epocham, de qua mira eſt Græcorum Latinorumque ſequioris ævi Scriptorum diſſenſio. Scilicet annus *Saporis* trigeſimus primus erat ab illo, quo Saſanidæ Perſis dominari cœperant, centeſimus decimus ſeptimus. Demonſtrato itaque, *Saporem* anno Chriſti 340 immanem illam perſecutionem inſtituiſſe, liquet, poſt demtos illi numero centum & ſeptendecim annos, ſupereſſe 223, id eſt, epocham imperii Saſanidarum. Sufficiat, hæc obiter & hiſtorice tantum perſtrinxiſſe. Altioris enim indaginis ſunt chronologica iſthæc, neque hujus loci. Proderit interim, meminiſſe,

Digitized by Google

niſſe, ſecuros greſſus eum non ponere, qui uni ſoli ſcriptori monumentove ratiocinia ſua ſuperſtruat, cum facile conſtet, ſi quis *Hamzæ Iſphabanenſis* Ratiocinarium temporum, in quo diverſæ Perſarum de rebus ſuis traditiones proponuntur, & *Dionyſii* Syri Chronicon, cujus Excerpta in *quarto Tomo Bibliothecæ orientalis Aſſemanianæ* proſtant, cum aliis Arabum Græcorumve monumentis comparet, tot pæne diverſas ſententias, quot autoritates, allegari, ſcriptoresque vel antiquiſſimos, & temporibus, de quibus narrant, pares, inter ſe vehementer quoad notas temporum diſcrepare. Præterita igitur copioſa hac, in qua Præfatio finitur, ſpinoſarum litium chronologicarum diſputatione, qua veteres juxta novosque hiſtoriarum ſcriptores, *Agathiam*, *Hieronymum*, *Baronium*, viros doctos, qui *Acta Sanctorum* ediderunt, ipſum denique avunculum ſuum, reprehendit Autor, & erroris arguit, accedimus ad ipſius Operis curſoriam, pro inſtituti noſtri ratione, perluſtrationem.

Admonitio, *primo Capiti Libro*ve, ut appellare malueris, præmiſſa, id agit præcipue, ut, quæ de vita rebusque geſtis & ſcriptis S. *Simeonis Barſaboæ* ſcitu digna penes ſcriptores orientales leguntur, in Chaldaicis his Actis præterita, ſub uno conſpectu exhibeat. Obiter Autor de primatu ſedis Seleucienſis, quam *Simeon* obtinuit, diſputat, item quis Epiſcoporum Seleucienſium primus nomen & dignitatem Catholici (tanquam ſi Patriarchæ dicas) conſecutus fuerit, & quæ eccleſiæ monaſteriaque S. *Simeonis* & ſociorum memoriæ fuerint conſecrata; denique quibus diebus, quibusque ritibus, eos Latini, Græci, Syri, Copti, Armeni, colant. *Pag. 8* conſpicitur fragmentum Arabicum, ſed Syriaco charactere; qualis ſcribendi forma *Carſchunica* ibi perhibetur appellari. Ipſum Actorum *primum Caput* decurrit a *pag. 10* usque ad *pag. 36*. In Annotationibus agitatur diſputatio de terra Chittim, ad vaticinium *Bileami Numeror. XXIV*, de Gog & Magog, de ſignificatione nominis *Barſaboë*. Ipſe *Aſſemanus filium fullonis* interpretatur, cui reſpondet *Sozomenus*, *Lib. II Hiſt. Eccleſ. Cap. 8 Simeonem Gnapheum* appellans. Metaphraſtes vero

apud

apud *Lipomanum Tomo VII* habet *Jombaphæum*. *Fortaſſe* (hæc eſt epicriſis *Aſſemaniana*) *pro* Baphæo, *hoc eſt*, *Papæ diſcipulo*, Gnaphæi & Jombaphæi *nomen irrepſit*. Quæ verba quid ſibi velint, nos quidem non aſſequimur. Procul dubio *Baphæus* & *Jombaphæus* rectum eſt. *Tinctor*, βαφεὺς, & *filius tinctoris*, υἱὸς βαφέως. Arabice ابن الصباغ perinde dicitur orientalibus, quibus in more poſitum eſt, *tinctorem*, *olearium*, *cattunarium*, *ſartorem*, alia, appellandi, ſi quis præclarus vir patre majoribusve, qui eas artes excoluerunt, natus fuerit, quamvis ipſe nunquam ignobiliora iſthæc attigerit. Porro vitii inſimulat interpretem *Theophanis*, qui verba (*pag.* 19 edit. reg. Pariſ.): Συμεῶνα Ἀρχιεπίσκοπον Κτησιφῶντος καὶ τὸν Σελευκίας, reddiderit *Symeonem Cteſiphontis*, & *alterum Seleuciæ Archiepiſcopum*. Atqui error *Theophanis* eſt, non *Goari*. Et, ni obſtaret conſenſus ſcriptorum orientalium, *Symeonem* Cteſiphonti atque Seleuciæ ſimul præfuiſſe perhibentium, impediret profecto nihil, quo minus ambæ illæ, in adverſis Tigridis ripis ſitæ, urbes peramplæ duos diverſos Epiſcopos habuerint. *Pag.* 40 de Magorum ſecta diſſerit, & Chriſtianos Syriacos recenſet, qui peſtiferas eorum doctrinas peculiaribus ſcriptis impugnarunt. *Pag.* 41 narrat de ritibus, in luctu orientalium uſurpatis; item de duplici apud Chaldæos & Syros ratione notandorum dierum: una juxta ſolares Seleucidarum & Martyrum ſub *Diocletiano* menſes; altera ſecundum lunares. Admonitio, *tertio Capiti*, ſive Actis S. *Tharbæ* & ſociarum, præmiſſa, diſſerit de filiabus fœderis, ſeu virginibus Deo ſacris, earumque vivendi genere, epocha inſtitutionis fœminarum monialium, item de tempore paſſionis dictarum Martyrum, & de die ipſarum memoriæ ſacro; qualem tenorem reliquarum quoque Admonitionum eſſe, ſuffecerit, hic ſemel indicaſſe. Hujus *Tharbæ*, vel *Tharbat*, nomen, ut aliis modis ab aliis detortum, ita quoque paſſim *Pherbut* effertur. Id factum a Græcis, qui Φ & Θ ſcriptura & pronuntiatione miſcere & permutare ſolent. *Pag.* 59, *b*, reprehendit Metaphraſten apud *Lipomanum* & *Bollandum*, quod

H Per-

Perſicam vocem موفطا, quæ *præfectum* ſonet, reddiderit *Mauptas*, *Magorum pontifex*, aut *princeps*. Atqui omni culpa caret Metaphraſtes ille, laude potius dignus, ut qui id ipſum, quod res eſt, tradidit. *Maupata*, vel, ut Arabes, qui eam vocem retinuerunt, efferunt, موبذان, *Maubadan*, non omnem, non aulæ, præfectum, ſed Pontificem Maximum, notat. *Pagina 80* tota eſt geographica, & de Razichitis, de Bet Laphet, quæ Arabibus سوقالاهواز audit, de Ilam, vel Elam, Elymaide, vetere nomine regionis, quæ hodie Chuziſtan & Ahwaz nominatur, de Sus, olim Suſis Memnoniis, de Niſibina, & Hadiab, ſeu Adiabene, agit. *Pag. 83* de Meiſan, veterum Meſene, ibi locorum, ubi hodie alBaſra eſt; *pag. 101* de Scheher Kerd, vel Schah Kerd, item de Germe, quæ *Agathiæ* Κέρμα eſt, differitur. Impoſuit Viro Doctiſſimo prava lectio Codicis. Perhibetur *pag. 131 Agathia*, a *Vulcanio* editi, *Varani*, *Saporis* filio, nomen fuiſſe (vel titulum potius) Κερμασάα. Inde effecit Noſter, Germæos & eorum regionem hic intelligi. Sed vera lectio eſt Κερμανσαα, *Kerman Scha*. Titulus ille Regibus Perſarum, præſertim poſterioribus, perfrequens a *Kerman*, provincia regni Perſici non contemnenda. Ceterum in Præfationis *pag. 50* quoque ſcita multa de his Garmæis profert, unde intelligitur, eos olim in illa provincia, quæ Syrorum patria eſt, & olim Sureſtan dicebatur, hodie Churiſtan audit, habitaſſe. *Pag. 102* de Seleucia Elymaidis agitur. *Pag. 104* obſervatur, Adiabenen primam fuiſſe regionum Perſicarum, quæ Chriſtianæ fidei conceſſerit; *pag. 121*, eſum ſanguinis olim pro deſertæ fidei argumento fuiſſe habitum. *Pag. 140* confertur Beth-zabde, aut Zabdicena, illi urbi, quæ hodie Giazirah, ſeu Inſula, nominatur. *Pag. 141* mentio fit aræ portatilis, quam *viaticum* appellare mos eſt; qualem Epiſcopi orientales, iter facturi, ſecum ſumunt, quo poſſint ubique locorum officium facere. Saxea ea parva tabula eſt, vel &, ut Syris plerumque, lignea. *Pag. 163* recenſentur orientalium jejunia, & de Caſchara,

ra, urbe Chaldææ, diſputatur. *Pag.* 208 hiſtoria *Manetis*, & de initiis Manichæiſmi, exponitur.

Promovemus gradum ad *ſecundum* hujus Operis *Volumen*, Acta Martyrum occidentalium complectens, id eſt, eorum, qui in Syria & Palæſtina tyrannidi & furori tam Romanorum Imperatorum, quam Perſicorum Regum, ſanguine ſuo ſatisfecerunt. Idem hujus eſt, qui ſuperioris erat, *Voluminis* tenor; ut adeo brevi ejus defungi receuſione nobis liceat. Præfatio, poſt pauca monita, in rem præſentem facientia, & partim quoque ex Præfatione generali *primi Voluminis* repetita, a *pag.* 7 deinceps usque ad *pag.* 33 tota abſumitur in enarranda *Caroli Majelli*, Archiepiſcopi Emeſſeni, vita. Gemina de cauſa inſerta fuit ea narratio. Fuerat *Majellus* primus, qui *Clementi*, Pontifici Maximo, perſuaſit, ut ſeniorem *Aſſemanum* coemendis Codicibus MStis in Orientem mitteret. Quo ex itinere cum hujus Operis materia, Martyrum ſcilicet Acta Syriaca, Romam venerint, poterat *Majellus* merito pro primo ejus autore haberi. Altera cauſa, ſed ea propior atque gravior, hæc eſt. Placuit Venerando *Evodio*, Diſſertationem, quam *Majellus*, vivis excedens, affectam reliquerat, ſuo ſtudio perfectam & ordinatam Præfationi ſubjicere. Agit ea de *Euſebiana* Actorum veterum Martyrum collectione. In Hiſtoriæ nimirum eccleſiaſticæ ſua Decabiblo ablegat *Euſebius* aliquoties, ubi rerum ſumma tantum capita periſtringit, lectores, plura ſciendi cupidos, ad Martyrum a ſe curatam collectionem. Ea verba, ſiniſtre accepta, multos induxerunt, tam veteres, quam novos, ut, præter Acta Martyrum Palæſtinæ, quæ adhuc leguntur, uberes eum commentarios de paſſionibus Sanctorum ex omni provincia, gente temporeque Martyrum, contexuiſſe, jacturamque hanc, ut magnam, fervide deplorarent, ſarciri optarent, Codices, unde ſarciri poſſit, hic, vel illic, in Bibliothecis latere, ut in talibus fieri amat, rumorem ſpargerent. *Majellus* autem demonſtrat, fruſtra deſiderari, quod nunquam exſtiterit. *Euſebium* enim Acta Martyrum publica, & privatorum de ipſis epiſtolas, ad ſe miſſas, in unum plurave volumina compegiſſe; quibus de ſuo nihil addiderit.

Itaque mirum non eſſe, ſi binis ab *Euſebio* proximis Seculis *Euſebiani* de Martyribus operis ſileat omnis memoria, ſexto demum Chriſtiani nominis Seculo vivere incipiat. Illam grandem collectionem proceſſu temporis in minuta fragmenta diremtam fuiſſe, uno & altero & item tertio hanc, vel illam, illinc particulam excerpente, prout affectu erga hunc, vel illum, Sanctum magis ferretur. Eaque ratione periiſſe totum corpus, cujus membra, niſi omnia, multa tamen, ſi non Græca, at ex antiquis Latinis interpretationibus, ſuperſint. Dubio vacare, magnas illas, a *Lipomano*, *Surio*, *Bollando*, *Ruinario*, curatas, collectiones haud exiguam eorum complecti partem, quæ olim *Euſebius* collectioni ſuæ aggregaverat. Et, ſi quid denique reapſe interciderit *Euſebianæ* collectionis, non poſſe aliunde, quicquid id fuerit jacturæ, ſarciri, quam ex ineditis orientalium eccleſiarum monumentis Syriacis & Arabicis. Hæc eſt *Majelli* ſententia; facileque jam intelligatur, quare Clariſſ. *Aſſemanus*, octo ſe Acta Martyrum *Euſebiana* integra, quæ in octavo Libro Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ non niſi contracta legantur, hoc *Volumine* exhibere, aſſeveret. Procedunt hæc Martyrum occidentalium Acta, quæ, ut ſupra jam monuimus, numero ſunt quatuordecim, a *pag.* 47 usque ad *pag.* 227, ſeu medium ferme *ſecundum Volumen.* Cetera occupat Appendix, in rebus S. *Simeonis Stylitæ* occupata. Continet illa, præter præmiſſam de univerſa ipſius vita & ſcriptis admonitionem, ſecundo loco S. *Jacobi Sarugenſis*, Batnarum in Meſopotamia Epiſcopi, Homiliam Syriacam, cum Latina interpretatione de S. *Simeone*, tertio loco Diſſertationem de *Stylitis*, cui præmiſſa fuit ex Menologio *Baſiliano*, Romæ ante viginti fere annos edito, tabula ænea, columnam S. *Simeonis*, & in ea ſtantem ipſum, circumque jacentes humi, aut ſtantes, inclinato capite admiratores & adoratores tam inſuetæ, an inhumanæ, ſanctimoniæ. Exponitur in illa Diſſertatione de *Stylitarum* origine atque ſucceſſione (fuit autem idem *Symeon* pater & autor inſtituti); de columna *Simeonis*; de baſi & modio talium columnarum; de mandris circa columnas; denique de aliis quibusdam, in

ænea

æneа ila tabula obſervandis. Hujus Diſſertationis materia omnis debetur *Carolo Majello*, e cujus ſchedis ab *Aſſemano* collecta & digeſta fuit. Quarto tandem loco ſequuntur ipſa Acta S. *Simeonis*, a *Coſma*, Presbytero, ejus familiari, ſcripta, utroque ſermone, à *pag*. 268 inde usque ad *pag*. 398. Illinc continuatæ usque ad *pag*. 495 notæ, & procedens usque ad *pag*. 412 digreſſio, cum ſubjecto Indice, finem Operi ſplendidiſſimo & rariſſimo faciunt. Ea digreſſione ſtudet Autor calumniam, ut ait, S. *Maroni*, cujus nomen Miſſali Chaldaico Maronitarum inſertum eſt, ab *Eutychio* Patricide adſperſam, abſtergere, atque demonſtrare, Monothelitarum principem eum non fuiſſe, quod ejus oſores perhibent.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE DES Sciences & des Belles Lettres, &c.

hoc eſt,

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENtiarum ac elegantiorum literarum, ad Annum 1748.

Berolini, apud Haudeum & Spenerum, aulæ & Academiæ Regiæ Bibliopolas, 1750, 4.

Alph. 2 plag. 17, Tabb. æn. 11.

Quamvis *Hiſtoriæ* titulum in fronte gerat, ut priores omnes, *Tomus* præſens, nil tamen, ad hiſtoriam Academiæ ſpectans, proprie continet, ſed ſelectas tantum Academicorum Diſſertationes. Comparent itaque in *Claſſe phyſica*: 1) *Elleri Tentamen de formatione corporum in genere*. Pag. 3. Conſiderari hoc poteſt ceu continuatio Diſſertationis de natura & proprietatibus quatuor elementorum, ab Autore in *Tomo* præcedente exhibitæ, ubi converſionem aquæ in veram terram fixam, homogeneam, & in igne inalterabilem, demonſtravit. Vexatiſſimam nempe, ſi quæ alia, inter Philoſophos de elementis materiam non melius expediri poſſe putat, quam ſi, methodo procul dubio in Phyſicis optima, per experimenta ſola, quicquid poteſt, de earum

Digitized by Google

natura detegere conetur. Oſtendere itaque in præſenti inſtituit, idque experimentis indubiis, aquam eſſe elementum illud, quod maximam partem baſin, ſive materiam ſolidam & corpoream, in tribus naturæ regnis præbeat. Uſus eſt hunc in finem experimento, circa vegetationem plantarum inſtituto, (quale eſt notiſſimum illud *Helmontii*, item *Boylei*, & *Woodwardi*,) quæ ipſe proprio marte repetiit, ulterius protulit, & ad majorem rigorem perduxit. Cum nempe in experimento illo *Helmontiano* dubitari poſſet, an non particulæ terreſtres, in aqua communi ſatis copioſe obviæ, alimentum præbeant vegetabili; Autor rem cum aqua fontana puriſſima, eaque deſtillata, adeoque particulis terreſtribus orbata, inſtituit; quo facto, ab ea non minus nutriri atque creſcere omnis generis plantas, deprehendit. Cumque ex his plantis, dein crematis, veram terram elicuerit; non dubitat, ab ipſa illa aqua ſimpliciſſima terram eſſe progenitam. Præterea dubium oriri poſſet, cum ex plantis non ſolum terreſtres particulæ, ſed & præterea ſuccus proprius, ſpiritus rector *Bœrhaavio* dictus, ſalia, olea eſſentialia, &c. exiſtant, an & hæ ex aqua oriantur. Ad partem quidem oleoſam quod attinet, poſt varia tentamina eo deductus eſt, ut ſtatuat, ea a calore ſolari in plantis generari, quod experimentis ſuis probabile reddit, e quibus puriſſimam aquam, in vaſe tecto ſoli expoſitam, poſt aliquod tempus oleoſi quid prodere, conſtat. Succos plantarum proprios, ſaporem, odorem, & generatim vires, ipſis dantes, per orificia vaſium, in extremitatibus plantæ ubique conſpicuorum, ex aere attrahi, docet. Hoc experimentis probat: Ramum fronde orbavit, & dein reperit, eum ſic factum eſſe ſterilem, reliquis fructum ferentibus. Jam, cum ſedes ſuccorum propriorum ſit maxime in fructu; ex hoc experimento colligit, folia ſuccos hos attrahere ex aere, univerſali partium ſalinarum promo condo. Idem de reliquis partibus, mixtionem plantæ ingredientibus, luculenter oſtendit. Ex his omnibus colligit Autor, corpus plantæ, lignum, truncum, & quas alias illa habet partes ſolidas, e ſola aqua oriri; ſuccos vero, ad fœcunditatem ejus pertinentes,

tes, partim e radiis ſolis, partim e particulis ſalinis & ſpirituoſis in aere, oriri, & dein in vaſibus præparari. Oſtendit dein, cum corporibus animalibus fere pari modo comparatum eſſe, hancque theoriam in poſterum pluribus disquiſitionibus ſe confirmaturum promittit. Multæ certe occurrunt in hac Diſſertatione obſervationes notatu dignæ, tam de vegetatione plantarum, quam de principiis mixtionis corporum in genere.

2) *Pottii Disquiſitio de natura & proprietatibus fellis vitri.* Materiam, *fel vitri* (per abuſum e nomine Germanico *Glasgalle*) dictam, conſtat, eſſe nil aliud, quam compoſitum terreo-ſalinum, quod in fornacibus vitriariis, materia in fluorem redacta, ſpumæ inſtar ei ſupernatat, atque ab ea ſeparatur, aquæ immittitur, ſicque coagulatur. Variæ dantur ejus ſpecies, haud parum inter ſe differentes. Hanc materiam, inter Chymicos Medicosque ſatis cognitam, nemo tamen huc usque debita cum cura analyſi chymicæ ſubjecit. Alii ad ſal commune, alii ad ſalia alcalia fixa, eandem retulerunt, verum a natura ejus ambo aberrantes. Eam itaque in præſenti curatius ſibi examinandam ſumſit Clariſſ. Autor. Proprietates ejus palmariæ ſunt: In aere ſatis conſiſtentiam ſuam ſervat, nec facile deliqueſcit, niſi diu in cella humida ſubſtiterit. In aqua promte ſatis ſolvitur, & filtrata dat ſolutionem perfecte pellucidam, depoſita in filtro terra albeſcente, quæ cum oleo vitrioli leviter tantum ebullit, id quod indolem ejus parum tantum alcalinam demonſtrat. In igne fixum manet; prunis injectum leviter crepitat, longe vero aliter, quam ſal commune; in catino fuſorio ſatis promte & liquide fluit; fluxum aliorum promovet. Cum acidis, qualia ſunt ſpiritus nitri, ſpiritus ſalis communis, acetum deſtillatum, non efferveſcit; cum oleo vitrioli tamen quædam ejus ſpecies quodammodo ebulliunt; quod autem magis deberi videtur ſali communi in eo contento, quam alcali cuidam. Syrupo violarum colorem quidem inducit cœruleum; at inde non magis colligetur, eam eſſe alcalinam, quam idem de variis ſalibus neutris, idem efficientibus, affirmari poſſet. Alia etiam phænomena veri alcali cum alumine, ſale ammoniaco, &c. nequiquam pro- Pag. 16.

Digitized by Google

producit. Solutio, lege artis tractata, dat cryſtallos, ſatis ſimiles partim tartaro vitriolato, partim ſali aquarum mineralium. Variæ hujus ſalis dotes ſunt, compoſitionem ejus e diverſis principiis ſatis monſtrantes; maxima tamen & palmaria ejus pars proxime accedit ad ſal mirabile *Glauberi*. Nec adeo obſcurum eſt, unde oriantur hanc mixtionem ingredientia; ſal commune enim habetur in ſoda, terra alcalino-vitreſcibilis in cineribus, acidum denique vitriolicum (de quo dubitari poſſet) non ſolum ex eo derivari poſſe oſtendit Autor, quod ſalia alcalia paulatim ex aere attrahant tale acidum, vique ignis deſtruatur qualitas ſpecifica acidorum, unde reſiduum ad ſtatum primitivum redit; ſed & exinde, quod in terris vitreſcibilibus, ut ſabulo, ſilice, &c. conjectare liceat, adeſſe acidum vitriolicum. Quod poſt cryſtalliſationem repetitam denique reſtat, non amplius in cryſtallos reducibile, paulum ſalis alcali præbet, cum portione exigua terræ alcalinæ, in ſpiritu ſalis ſolutæ. Hac occaſione notat generatim, phænomena cryſtalliſationis variare pro varia materia vaſium, quæ in uſum vocantur; quod procul dubio deberi videtur gradui frigoris majori minorive, qui ab uno vaſe facilius, quam ab alio, recipitur. Ceterum, ad reliquas proprietates ſalis noſtri, inprimis habitum ejus reſpectu terrarum ſimpliciorum, quod attinet, eæ fere prorſus congruunt cum proprietatibus dicti ſalis mirabilis. Addit Autor varia circa uſum fellis vitri in Chymia, Medicina, apud aurifabros, ad rem fuſoriam, ad vitrificationem, in

Pag. 28. arte figulina, quin & in horticultura. 3) *Lieberkühn de variis mediis, ad detegendam viſcerum ſtructuram idoneis.* Quantum præſtiterit Celeb. Autor in præparationibus anatomicis egregie prorſus conficiendis, nemini obſcurum eſſe poteſt. Hunc vero modum hic ſincere aperit, inſigni artis bono. Docet nempe rationem injiciendi vaſa viſcerum majora; ſeparandi vaſa minora a majoribus; reddendi ejusmodi præparata durabilia, ut in Muſeo tutiſſime aſſervari queant; denique injiciendi vaſa exiliſſima. Gratiſſimum hoc fore

32. omnibus, qui Anatomiam colunt, confidimus. 4) *Gleditſchii Obſervationes circa veram Oſteocollam Marchiæ Brandenburgi-*

ca.

ca. Oſteocolla eſt ſubſtantia lapidea, formam trunci arboris cum radicibus omni modo præ ſe ferens, quæ hinc inde in ſabuloſo Marchiæ ſolo effoditur. Hæc, a nullo adhuc Phyſico curate deſcripta, multo minus origo ejus detecta eſt. Creditum eſt a plerisque, eſſe plantam lapideam, ita in terra creſcentem; imo fabulis, riſum fere moventibus, contaminata eſt ejus hiſtoria. Clariſſ. Autor dat primo amplam hujus foſſilis, locorum, ubi reperitur, formæ exterioris interiorisque, deſcriptionem. Dein partes ejus conſtitutivas, quæ, facta analyſi chymica, deprehenſæ ſunt, exponit. Hinc geneſin ejus indagaturus, circumſtantias affert plurimas, unde extra omne dubium ponitur, Oſteocollam nil aliud eſſe, quam veram radicem arboris putrefactam, in cujus locum ſe appoſuit terra calcarea lapideſcens. Argumentorum omnium vice vel ſola illa obſervatio afferri poſſet, ſatis mira, de pinu adhuc virente, ab ipſo Autore reperta, cujus radix partim eſſet lignea, partim in veram Oſteocollam lapideam mutata, ſed cujus centrum adhuc occupabat pars lignea putrefacta. 5) *Marggravii Experimenta chymica, cum Oſteocolla Marchica inſtituta.* Etſi jam a *Neumanno, Kundmanno, Pottio,* facta ſit Oſteocollæ analyſis chymica; tamen, cum e præcedente *Gleditſchii* Schediaſmate jam multo accuratius eam cognoſcere liceat, denuo eam examini ſubjiciendam merito exiſtimavit Autor. Modum, quo hac in re verſatus eſt, non exponemus. Indicabimus ſaltem, exinde reſultare: Oſteocollam eſſe maximam partem compoſitum terreſtre, e vero lapide calcario conſiſtens, qui, ut vera calx, calcinari poteſt; quo facto, dein quoque ab aqua ſolvitur, calcemque vivam præbet; dein continet arenam ſubtilem; denique aliquid partium radicis putrefactæ. 6) *Gleditſchii Conjectura de uſu corporum diaphanorum Michelii in Agaricis.* Primo ſtructuram, variam in ſpeciebus variis, curate deſcribit. Dein conjecturam de eorum uſu profert. Putat nempe, has partes ad generationem ſeminis eſſe eſſentiales; easque habet pro fibris ejusdem generis cum iis, quæ plerumque ſunt in ſtigmate piſtilli, quæque inſerviunt tra-

Pag. 58.

60.

 hendo

Digitized by Google

hendo in ſe maſculino ſemini, ejusque exhalationi ad receptaculum ſeminale ducendæ.

Pag. 69. Pergimus ad *Claſſem mathematicam.* In hac primo ſeſe offert *Eulerus de vibratione chordarum.* Principio notat, eos, qui huc usque chordas vibrantes conſiderarunt, ut *Taylorum, Bernoullium,* aliosque, duplicem Problemati induxiſſe limitationem, unde fiat, ut vix in caſu quodam determinari poſſit verus chordæ motus vibratorius: alterum, ut ſupponant, vibrationes fieri ſaltem infinite parvas, adeo, ut chorda in quavis poſitione recta, vel curva, ejusdem adhuc longitudinis manere cenſenda ſit; alterum, ut omnes vibrationes aſſumant regulares, ita ut in quavis earum chorda integra in rectam, idque omnibus ſuis partibus ſimul, ſeſe extendat; hocque poſito, quærant figuram ejus extra hunc ſitum rectilineum. Priorem quidem facile concedi poſſe, cum fibrationes chordæ actu ſint plerumque adeo exiguæ, ut absque errore ſenſibili pro infinite parvis haberi queant. Poſteriorem vero paulo magis a veritate aberrare. Cum enim vibrationes ſequentes ſemper pendeant a præcedentibus; prima autem (chordam pro lubitu tendendo) poſſit eſſe quævis; fieri non poſſe, ut ſequentes omnes usquam fiant regulares Exinde igitur Problema naſcitur longe generalius & difficilius, (ſive Mechanicam, ſive Analyſin, ſpectes,) de determinando motu chordæ vibratorio in hypotheſi figuræ ejus initialis quavis. Hoc feliciſſime ſolutum Academiæ exhibuit *d'Alembert.* Cum vero jam ſatis conſtet, quantum e varia ejusdem Problematis ſolutione in artem inveniendi utilitatis redundet; non dubitavit Cel. Autor, in præſenti aliam hic ſolutionem ſiſtere, in effectu tamen cum illa egregie convenientem; prætereaque eo ſeſe commendantem, quod reſpectu Analyſeos variæ in ea contineantur obſervationes notatu dignæ circa applicationem

86. formularum generalium. 2) *Idem de Conſenſu duarum nuperrimarum Eclipſium Solis & Lunæ cum ipſius Tabulis pro inveniendis veris pleniluniorum & noviluniorum momentis.* Eclipſis ſolaris A. 1748 d. 25 Jul. cum Tabulis Viri Cel. adeo egregie conſentit, ut vix major harmonia ſperari poſſet; ſed magna

Digitized by Google

quæ contra differentia ſeſe exeruit in Eclipſi lunæ d. 8 Aug. ejusdem anni inter obſervationem & elementa in Calendario Berolinenſi, quæ ſecundum Tabulas *Eulerianas* dicuntur computata. Ne ergo Tabulis vitio verteret, quod ex errore computi ortum eſſe poteſt, Autor; totum calculum ſecundum Tabulas ſuas repetiit, hicque ſigillatim expoſuit; unde palam fit, vera ejus elementa cum ipſa obſervatione mirum in modum congruere. 3) *Kieſii Obſervatio Eclipſis Solis annularis d. 25 Jul. A. 1748 Berolini.* Obſervationi huic annexuit circumſtantias quasdam phyſicas. Notavit inter alia, circa tempus maximæ obſcurationis diametrum Solis circiter centeſima ſui parte factam eſſe majorem. Quæ obſervatio ideo notatu digna eſt, quod luculentum pro atmoſphæra lunari argumentum exhibere videatur. Hoc occaſione oſtendit Autor, quomodo per alias obſervationes quærenda ſit hæc atmoſphæra, ejusque refractio. Optimum modum eum putat, ut eligantur duæ fixæ, quarum una a luna occultanda eſt; & oſtendit, quomodo tempore occultationis refractio atmoſphæræ lunaris menſuranda ſit. Præterea quoque obſervavit in Eclipſi illa, radios Solis nullum amplius effectum per vitra cauſtica exhibuiſſe, cum undecimum digitum eſſet prætergreſſa. Denique tempore Eclipſeos annularis umbras corporum omnium fuiſſe cinctas annulo, colores iridis omnes habente, quod ſpectaculum ceſſerit ſtatim diſrupto annulo. 4) *Eulerus de Atmoſphæra lunari, per nuperam Eclipſin Solis annularem probata.* Quod modo indicavimus argumentum, pro exiſtentia atmoſphæræ lunaris e dicta Eclipſi deſumendum, hic fuſe perſequitur Cel. *Eulerus*. Phænomenon ipſum id eſt: Cum eo usque intraſſet luna, ut diſcus Solis ſimilis appareret lunæ, ad quadraturas accedenti, cornua paulatim cœperunt ultra diſcum, in machina helioſcopica delineatum, (quem initio eclipſis exacte compleverat diſcus Solis, & adhuc complebat reliqua diſci pars,) ſeſe extendere. Hic egreſſus continuo major majorque factus eſt, donec tandem, coeuntibus in annulum cornubus, integer diſcus multo majorem, quam initio, circulum efficeret. Dilatationem hanc æſtimat Autor circiter 25″. Ad ejus

Pag. 99.

103.

cauſam jam quod attinet, ſtatim haud dubium videtur, eam e refractione radiorum ſolarium, in ſuperficie corporis lunaris facta, eſſe repetendam. Cel. Autor in præſenti non ſolum oſtendit, quomodo talis dilatatio e refractione atmoſphæræ lunaris ſucceſſive debeat conſequi; ſed &, quæ exinde de ipſius atmoſphæræ natura & denſitate poſſint colligi. Hanc vero denſitatem debere eſſe adeo exiguam, ut fere $\frac{1}{200}$ tantum noſtræ efficiat, inficias iri nequit. Docet quoque, quomodo per obſervationes alias, nempe per occultationem fixarum, eadem determinari poſſit. En itaque novum pro atmoſphæra lunari argumentum, omnibus huc usque, inter Aſtronomos agitatis, procul dubio rigore multum antecellens; quod adeo ulteriorem Aſtrophilorum disquiſitionem maximopere mereri, nulli dubitamus.

Pag. 122. 5) *Idem de Frictione ſolidorum.* Quantum negotii faceſſat in machinis frictionis conſideratio, nemini, vel tantiſper in his verſato, obſcurum eſſe poteſt. Equidem non defuerunt, qui frictionis theoriam tradere conati ſunt; aſt, ſi fatendum, quod res eſt, laudandum plerumque inſtitutum potius, quam ſucceſſum, eſſe, eventus docuit. Dum Celeb. *Eulerus* in præſenti eandem ad theoriam revocare inſtituit, ſupponit ante omnia, ceu experimentorum omnium conſenſu exploratum, quantitatem frictionis pendere a ſolo pondere, ſive generatim a vi, qua ſolidum ſuperficiei, ſuper qua trahitur, opprimitur; ad eamque nec figuram corporis, nec magnitudinem baſis, quidpiam conferre; ac, licet hoc in corporibus, quorum ſuperficies filamentis ſint obſitæ, & ſimilibus, forſan aliter ſe habere poſſit, valere tamen in ligno & metallis, circa quæ potiſſimum experimenta inſtituta ſunt. Jam vero oſtendit, quomodo poſſit e ſola gravitatis actione produci effectus, omni modo ſimillimus reſiſtentiæ, quam in frictione experimur; adeo, ut, (etiamſi hæc non ſit actu vera frictionis cauſa,) ex perfecta tamen ſimilitudine ipſius frictionis poſſibilitas, atque modus, quo genuina ejus cauſa debeat agere, cognoſci queant. Hunc in finem ſupponit, duobus planis, ad horizontem æqualiter inclinatis, interpoſitum eſſe corpus, angulo ſuo inferiori exacte angulo pla-

norum

notum quadrans. Patet, corpus moveri non poſſe in directione horizontali a vi minima, etiamſi plana ſupponantur perfecte polita; ſed requiri vim certam, cujus ad pondus corporis rationem determinat, eamque a ſola quantitate dicti anguli, nec a magnitudine baſis, pendentem, determinat; e quo jam patet ſat magna hanc reſiſtentiam inter & frictionem analogia. Si hic eſſet ipſiſſimus frictionis caſus, (prout vero ſatis videtur ſimile,) facile exinde cognoſcerentur ejus phænomena, ac genuina reſiſtentiæ, quæ corporis motui opponitur, ratio. Ea enim exinde oriretur, quod corpus elevandum eſſet ſuper plano inclinato. Jam, ſi concipiantur plura talia parva plana contigua, corporisque ſuperficies inferior ſimilibus prominentiis prædita, patet, corpus, prius elevatum, dein debere redeſcendere, atque ſic porro alternis vicibus. Cum autem deſcenſus fieri debeat ſponte ſua; liquet, reſiſtentiam tantum ſe exerturam eſſe in dimidia temporis totius parte. Unde elicitur notatu digna concluſio, effectum totalem frictionis in ipſo motu facere ſaltem dimidium ejus, quæ eſt in initio, dum corpus e quiete ad motum concitatur. Qui huc usque frictionem per experimenta ſcrutati ſunt Autores, eam tantum conſiderarunt in æquilibrio. Notat itaque Cel. Autor, eandem quoque inveſtigandam eſſe in motu; nec dubitat, fore, ut multo minor reperiatur, cum jam experientia conſtet, ad machinam in motum concitandam requiri niſum multo majorem, quam ad eandem in motu conſervandam. Quod quomodo fieri poſſit, in reliqua hujus Diſſertationis parte oſtendit. Conſtat nempe, frictionem in æquilibrio determinari ſolere per planum inclinatum. Sed idem uſu venire poteſt pro frictione in motu determinanda: ſi nempe planum tantum elevetur, ut corpus actu ſuper eo deſcendat: formulam exhibet Autor, in qua e tempore deſcenſus definitur quantitas frictionis. Illo igitur actu menſurato, hæc in promtu eſt. Sicque experimenta fieri poſſent cum variis elevationibus, ut appareat, an frictio ſit eadem pro varia velocitate. Occurreret hic phænomenon prorſus ſingulare: Nimirum tempus, quo corpus ſuper plano deſcenderet, habere

Digitized by Google

bere limitem, quem tranſire nequeat, adeo ut corpus vel plane non, vel tempore minori, moveatur. Meretur itaque maximopere hic caſus frictionis in motu conſiderationem
Pag. 133. Phyſicorum experimentantium. 6) *Idem de diminuenda reſiſtentia frictionis* porro commentatur. In præſenti eas tantum machinas ſibi conſiderandas ſumit, quarum motus eſt rotatorius, ſive qui fit circa axem unum pluresve, eamque frictionis diminutionem, quæ obtineri poteſt, dum axes diminuuntur, vel cylindris, ſive rotulis minoribus, determinandam. Supponit hic, ut in antecedentibus, quantitatem frictionis pendere a ſola preſſione; adeoque in machinis ſpectari poſſe, ceu vim conſtantem. Equidem exinde paradoxum videri poſſet, quomodo diminui queat frictio, manente preſſione. Verum, ad naturam motus rotatorii curatius attendendo, hoc poſſibile eſſe, facile cognoſcitur; dum nempe in motu ipſum momentum vis frictionis, unde pendet reſiſtentia, pro lubitu poteſt diminui. Primo enim, momentum frictionis, oſtendit Noſter, ſtatim pendere a diametro axis; unde, hoc, quantum firmitas permittit, diminuto, jam minuitur vis, ad movendam primo machinam requiſita. Dein, cum ex applicatione vis ad peripheriam rotæ oriatur motus quidam lateralis, reſiſtentiam quoque minui demonſtrat, ſi vis peripheriæ in tali puncto applicetur, ut directio ejus ſurſum tendat. Hic jam notatu perquam dignum accidit, certo caſu fieri poſſe, ut applicando vim (quæ continuo ad radium ponitur normalis) in directione horizontali, vel deorſum tendente, vi etiam infinita nullus motus poſſit conſequi, cum contra eadem ſurſum directa vis ad reſiſtentiam requiratur tantum dimidia ponderis machinæ; quod inſignem, quem producere poteſt frictio, mutationem, ſimulque varium effectum frictionis in eadem machina, qui e varia virium quantitate & applicatione oriri poteſt, luculenter ante oculos ponit. His pro vi una expoſitis, pergit Autor ad conſiderandas vires plures, machinæ applicatas, ſiquidem determinandum ſit, an ex iis motus oriri poſſit, nec ne, hoc eſt, an reſiſtentia ab iis poſſit ſuperari; id quod in plerisque machinis ante omnia requiritur.

Axem

Digitized by Google

Axem præterea non ſupponit fulcro, ſed duabus rotulis, impoſitum. Invenit autem, reſiſtentiam frictionis eo magis diminui, quo minor eſt axis ipſe primarius, quo minores ſunt axes rotularum reſpectu ipſarum rotularum, (quæ quidem duo facile per ſe patent,) & præterea quo propiores ſibi invicem ſunt rotulæ. Hic ſubſiſtit Autor Celeb., forſan alio tempore, ut optamus, plura exhibiturus. 7) Adhuc *idem de* Pag. 149.
maximis & minimis in actione virium diſquirit. Jam dudum obſervarunt Philoſophi, naturam in operationibus ſuis maximum minimumve quoddam affectare. Celeb. *de Maupertuis* in *Comm. Pariſ.* & *Berol. A. 1746* oſtendit, in omnibus motibus corporum e colliſione hanc legem obtinere, ut quantitas actionis ſit minima omnium, quæ eſſe poteſt ad hunc effectum producendum; prætereaque in æquilibrio corporum ſitum eſſe debere talem, ut, ſi motus conſequatur inſtantaneus, quantitas actionis ſit minimum. Pariter, in curva catenaria, lintearia, & elaſtica, minimum obtinere, demonſtratum eſt. Hoc itaque maximum minimumque, in natura exiſtens, jam tuto pro certiſſima & genuina naturæ lege haberi poteſt; duplexque adeo inde naſcitur methodus, Problemata ſtatica & mechanica reſolvendi: altera directa, conſuetis principiis æquilibrii motuſque fundata; altera e dictis maximi minimive legibus, ope formulæ, quæ tale maximum minimumve præbere debet, idem deducens; uterque tamen in effectu amiciſſime conſpirans; altera cauſis efficientibus nitens, finalibus altera. Illa pure mathematica, hæc magis metaphyſica, dum nempe, determinare formulam illam, quæ ſit maximum minimumve, altioris plerumque eſt indaginis. Hæc itaque via relicta eſt, ut, Problematibus per methodum directam ſolutis, determinentur a poſteriori formulæ, quantitatem actionis, adeoque maximum minimumve, exprimentes. Hujus exemplum in præſenti traditurus, varia exponit Problemata ſtatica, ad curvaturam, quam inducere debet filum flexile, duabus extremitatibus fixum, & viribus quotvis, & quomodocunque directis, ſollicitatum; cum nempe jam conſtet, in caſu fili, propria ſolummodo gravitate ſollicitati, diſtantiam

cen-

centri gravitatis a centro terræ eſſe minimum. Eorum primo ſolutionem quærit methodo directa; dein ex his indagat formulas, maximum minimumve præbentes, adeoque quantitatem actionis, quæ pro data curva debeat eſſe minima,
Pag. 189. exprimentes. 8) *Ejusdem Cogitata de quibusdam legibus naturæ generalibus, quæ in effectu virium quarumvis obſervantur.* Continuatio hæc eſt Schediaſmatis præcedentis. Nimirum, cum ibi a poſteriori ad cognitionem minimi in figura fili, a potentiis quibusvis ſollicitati, pervenerit; nunc a priori idem indagandum ſibi proponit. Eadem via hic incedit, quam Cel. *de Maupertuis* in ſtabilienda lege generali æquilibrii ſecutus eſt. Cum enim in eo inprimis totius rei cardo vertatur, ut conſtet, qualis ſit proprie quantitas actionis virium, quæ in omni caſu eſt minimum, eo ante omnia tendit, ut ad diſtinctam hujus quantitatis actionis ideam perveniat. Fœcundiſſima ſane videtur hæc idea in univerſa virium indole penitius cognoſcenda. At rem pro dignitate materiæ exhibere non licet, niſi ample cogitata Viri Celeberrimi exponantur; quare ad ipſum fontem merito Lectores ablegamus, diſquiſitionis hujus, non minus elegantis, quam arduæ, peni-
319. tus intelligendæ cupidos. 9) *Idem de Contradictione quadam apparente in doctrina curvarum.* Contradictiones in Geometria, ſi quæ accidunt, attentionem ſane merentur. Actum enim foret de rigore illo, tantopere laudato, ſi veræ eſſent. Aſt Di meliora. Semper enim apparentes tantum eſſe, oſtendi poteſt. En duas, de quibus hic agitur, Propoſitiones, primo intuitu ſatis inter ſe pugnantes: 1) Curva tertii ordinis deſcribi poteſt per 9 puncta, ſive 9 puncta determinant curvam tertii ordinis. 2) Duæ curvæ tertii ordinis ſe interſecare poſſunt in 9 punctis. Si ergo per novem iſta puncta tranſire poſſunt duæ curvæ, ſane unica per eadem non determinatur. In curvis altiorum ordinum hæc contradictio adhuc videtur major, e. g. curva quarti ordinis determinatur per 14 puncta, cum tamen duæ curvæ quarti ordinis in 16 punctis ſe ſecare poſſint, adeoque per 16 puncta nondum determinata ſit unica. Quæ conſequentia cum ſit ſole meridiano

diano clarior, ſequitur, in alterutra propoſitionum latere debere vitium. Verum poſterior omni exceptione eſt major (ut in ſequenti Diſſertatione oſtendit Celeb. Autor); erit ergo in priori. Et ſane, rem propius examinando, patet, non eſſe univerſaliter verum, curvam tertii ordinis per 9 puncta, quarti per 16, & generatim ordinis n per $\frac{nn+3n}{2}$, puncta determinari. Hunc in finem conſideretur ſaltem, numerum iſtum punctorum determinantium eo ex fonte elici, quod totidem adſint in æquatione canonica cujusvis ordinis coefficientes indeterminatæ, pro quibus ope punctorum datorum, per quæ tranſire debet curva, totidem quoque formari poſſunt æquationes; unde, cum tot ſint æquationes, quot incognitæ, has exinde omnes determinari, ſtatuitur. Aſt, non ſemper valere hoc ratiocinium, inde liquet, quod quædam harum æquationum poſſint eſſe identicæ, adeoque quædam incognitæ maneant indeterminatæ; nec ergo per data puncta determinetur unica curva, ſed plures, imo plures earum ſpecies pro majori minorive indeterminatarum reſiduarum numero. En itaque ſolutum nodum iſtum gordium! Quæ hic diximus, luculentiſſime exponit Autor; prætereaque caſus evolvit, quibus fieri poſſit, ut curva ſecundi tertiive ordinis per 5, aut 9, puncta non determinetur. 10) *Ejusdem Demonſtratio de numero punctorum, in quo duæ lineæ ordinum quorumvis ſe mutuo ſecare poſſunt.* Pag. 234. Lineas duas ordinum m, n, in punctis numero mn, ſe ſecare, ſatis cognitum eſt, etſi nullibi generatim & in rigore demonſtratum. In variis quidem caſibus ſpecialibus facile evinci poteſt e natura coefficientium (ut variis exemplis hic illuſtrat Autor); verum, ſi eadem methodo generatim demonſtrandum ſit, res eo rediret, ut generatim probetur, datis duabus æquationibus ordinum m, n, cum duabus variabilibus x, y, eliminata una y, alteram x in æquatione prodeunte non adſcenſuram ultra mn dimenſiones. Jam vero non ſolum impoſſibile eſt, talem eliminationem generatim actu abſolvere; ſed, operationem circa æquationem certi gradus inſtituendo ſecundum conſuetas eliminandi regulas, prodit plerumque æquatio finalis multo altior, idque ideo,

Digitized by Google

quod contineat diviſores, ad ipſam veram interſectionem ſeapſe non pertinentes. Qui vero diviſores an negligendi ſint, cum haud adeo facile pateat; liquet, hanc methodum ita eſſe comparatam, ut ipſam veritatem propoſitionis reddere poſſit dubiam. Aliam ergo viam ingreſſus eſt Autor, eliminationem hanc non actu quidem perficiendo, verum tamen demonſtrando, ex ea non altiorem æquationis finalis gradum prodire poſſe. Methodus ipſa fundatur natura radicum in æquationibus; eamque hic exhiberi, ejus natura non permittit. 11) *D'Alembert Continuatio Diſquiſitionum circa calculum integralem. Sectio III* de differentialibus agit,
Pag. 249. quæ ad quadraturam linearum tertii ordinis reduci poſſunt. Formulæ, quarum reductio hic exhibetur, ſunt:
$\frac{dx}{x^n \surd (a+bx+cx^2+fx^3)}$, ubi n integer poſitivus: $(kx+c)^p (f+gx)^{\frac{n}{2}} dx\ (a+b+cx^2)^{\frac{m}{2}}$, ubi p, n, m, integri poſitivi, vel negativi. Exinde quadraturam omnium linearum tertii ordinis derivat, eamque oſtendit fieri poſſe ſemper vel abſolute, vel per logarithmos, vel per arcus ſectionum conicarum, vel per quadraturam curvæ, cujus æquatio: $xy^2 = a + bx + cx^2 + fx^3$, ſiquidem membrum poſterius habeat radices omnes reales. *Sectio IV* verſatur circa integrationem earum æquationum differentialium, quas præter x, y, ingrediuntur functiones ipſius z, (poſito nempe $z = \frac{dx}{dy}$,) earumque differentialia, aliarumque adhuc altiorum.

In *Claſſe Philoſophiæ ſpeculativæ* ſequentia occurrunt: 1) *Heinii Diſſertatio de Philoſopho Clitomacho, Carneadis in Academia*
295. *ſucceſſore.* Vixit *Clitomachus* circa finem Seculi ſexti, & initium ſeptimi. Fuit Carthagine oriundus, ubi nomen *Aſdrubalis* geſſit, cui quidem Phœnicio nomini, notat Autor, reſpondere Græcum *Clitomachus.* Cum jam in patria ingenium literarum ſtudiis excoluiſſet, anno ætatis quadrageſimo Athenas venit, ibique ſub *Carneade* Philoſophiæ ſtudio ſe dedidit. Doctrina ſua meritus eſt jus civitatis. Mortuo præceptore, in Academia docuit. Quæ de ſcriptis ejus atque dogmatibus

Digitized by Google

bus conſtent, exponit Autor, variiſque annotationibus illuſtrat. 2) *Euleri meditationes de ſpatio & tempore.* Oſtendere hic conatur Autor, ſpatium & tempus mathematicum non eſſe ideas imaginarias, ſed entia realia deſignare, idque eo ex fundamento, quod leges Mechanicæ primariæ, & omni exceptione majores, iis innitantur. Pag. 324. 3) *Formey Cogitata de libertate.* In his id agitur, ut palam fiat, neceſſario exiſtere debere argumenta commoventia in omnibus libertatis noſtræ determinationibus, utque eorum influxus & effectus explicentur. 4) *Dan. Bernoulli Annotationes in principium conſervationis virium vivarum, ſenſu generali ſumtum.* 334. Theorema notiſſimum de conſervatione virium vivarum, prout vulgo ſumitur, ſupponit 356. ideam centri gravitatis, ideoque gravitatem uniformem, ejusque directionem ſibi ſemper parallelam. Nihilo minus tamen locum habet, etiamſi varia corporum poſitione mutetur gravitas, tam reſpectu intenſitatis, quam directionis, modo ſenſu aſſumatur debito. Quod qua ratione fieri queat, in præſenti oſtendit Vir Clariſſimus. Theorema nempe proponit generale pro ſyſtemate corporum quorumvis, gravitate variabili quavis animatorum, quod demonſtrat, pergendo continuo a caſibus ſimplicioribus ad difficiliores; ejusque uſum in Problematibus mechanicis alio tempore ſe monſtraturum, fidem facit.

Pergimus tandem ad *Claſſem elegantiorum literarum.* In ea primo ſe offerunt tres *Commentationes de Friderico III, primo Boruſſiæ Rege; de Moribus, conſuetudinibus, induſtria, progreſſu, intellectus humani in artibus & ſcientiis;* cum *Reſponſione* Præſidis *Maupertuiſii*; denique *de Superſtitione & religione.* 367. 395. Hæc debentur eidem Autori, a quo jam in *Tomis* præcedentibus *Commentarios de rebus Brandeburgicis* videre licuit. 425. Cum autem nulli dubitemus, quin & hæ brevi ſeparatim proditura, & in omnium futuræ ſint manibus, ulteriori de iis notitia exhibenda nos ſuperſedere poſſe credimus. Sequitur 4) *Elsneri Diſſertatio de Inſula Deæ Hertham, ſive Erdamme, ejusque adoratoribus.* Jam in præcedenti *Tomo* expoſuit Autor, qualis fuerit iſta Dea, quoque cultu eam proſecuti ſint vete-

Digitized by Google

Pag. 441. res Germani. Cum vero, teſte *Tacito*, in inſula Oceani in luco culta ſit; nunc de hoc loco diſquirit. Refutat opinionem eorum, qui, fuiſſe inſulam Rugiam, vel inſulam Danicam, Selandiam, ſtatuunt. Oſtendit potius, *Tacitum* intelligere inſulam *Heiligenlandiam* in mari Germanico, 6 milliaribus ab oſtio Albis, totidemque a Ducatu Slesvicenſi, jacentem, & ab hac Dea retinentem nomen ſuum, quod primo fuerit Heiligenlund, hoc eſt, *ſylva ſacra*, voce *Lund* in lingua ſeptentrionali notante ſylvam. 5) *Comitis a Keyſerling Diſſ. de Abrogatione juris eligendi Regem Romanorum, Imperatori Henrico VI perperam imputata.* Tam plene, tamque eleganter, argu-
465. mentum hoc illuſtre, maximique in Hiſtoria Germaniæ momenti, a ſplendidiſſimi generis Autore explicatur ac diſputatur, ut vix a quoquam alio meliora exſpectare, aut elaboratiora, liceat. Itaque, hanc integram diligenter ac meditate
482. legiſſe, neminem pœnitebit. 6) *Crameri Diſſertatio de Hippocrate Chio.* Clariſſ. Autor, poſt notata quædam circa vitam *Hippocratis*, inprimis merita ipſius in Geometriam oſtendit. Primus fuit ſcriptor elementorum Geometriæ, adeoque prima jecit fundamenta æterni operis *Euclidei*. Primus fuit, qui celebratiſſimum illud Problema Deliacum reduxit ad inventionem duarum mediarum proportionalium. Huic Problemati id anſam dedit, narrante vetere Tragœdo: Rex *Minos Glauco* monumentum exſtrui juſſerat. Hoc 100 ped. ſecundum omnes dimenſiones eſſe, ei fertur. Nimis parvum judicans, id in eadem proportione duplicare jubet. Hoc eſt illud Problema, quod adeo torſit veterum Geometrarum ingenia. Sed, quod maxime celebre reddidit Philoſophi noſtri nomen, eſt dicta illa *Lunula Hippocratis*, ſeu ſpatium, ſemicirculo & quadrante incluſum, quod exacte æquale eſt trilineo; quod quidem primum fuit ſpatii curvilinei quadrabilis ſpecimen. Hoc inventum *Hippocrati* vindicat Noſter contra *Proclum*, illud *Oenopidæ* tribuentem. Refutat quoque *Heinium*, *Hippocratem* & *Oenopidam* non niſi unum eſſe eundemque, affirmantem. Denique hac occaſione adjicit Diſquiſitionem quandam geometricam de inveniendis ejusmodi lunulis quadrabilibus, id quod generatim per curvam quandam tranſcenden-

tem

tem expeditur, e qua tamen ſolutione derivantur caſus quidam algebraici.

RIFLESSIONE MEDICO-PRATICHE, &c.

hoc eſt,

ANIMADVERSIONES MEDICO-PRACTICÆ in Epiſtolam familiarem Doctoris IGNATII PEDRATTI, Philoſophi & Medici Cremonenſis, qua ille ad Diſſertationem epiſtolarem de uſu & abuſu Rhabarbari, cum China chinæ juncti, reſpondit; Autore PAULO VALCARENGHIO, Phyſico Collegiato Cremonæ, primario Profeſſore Medicinæ rationalis in regia Univerſitate Ticinenſi, Profeſſore ejusdem Facultatis theoretico-practicæ in Schola Palatina Mediolanenſi, Socio Academiæ Inſtituti Bononienſis, & Societatis Botanicæ Florentinæ, cum Præfatione, ea omnia, quæ circa hanc controverſiam ab una & altera parte publicata fuerunt huc usque, explicante.

Cremonæ, 1749, 4.
Plag. 18.

Clariſſimus Autor, cum longo rerum uſu didiciſſet, Corticis Peruviani uſum in febrium aliorumque morborum chronicorum curationibus & valentiorem & ſecuriorem eſſe, ſi Rheum illi jungeretur, cumque præſtantiorum aliorum Medicorum de hoc argumento ſententias magno ſtudio collegiſſet; Diſſertationem epiſtolarem, *de uſu & abuſu Rhabarbari*, ad Comitem *Franciſcum Roncalli* conſcripſerat, eo animo, ut reſponderet ad objectiones, ab excellentiſſimo Medico, *Roncallio*, in præclaro illo libro, inſcripto: *Medicina Europæ*, ſibi factas, illisque ſatisfaceret dubiis, quæ contra hanc, Chinam cum Rheo uniendi, methodum a præſtantisſimo Medico Cremonenſi, *Pedratti*, in ſcriptione aliqua ad *Roncallium* mota fuerant. Modicum omnino eſt, quod de Rheo, pharmaco febrifugo contra tertianas epidemicas, in Cremonenſi agro tunc graſſantes, adjectum a *Valcarenghio* fuit; adjecit enim unciæ uni Corticis drachmam Rhei unam, atque illa medici-

na feliciter uſus eſt, eamque utendi rationem in reſponſoria ad *Roncallium* Epiſtola exponit. Inductus, ut faceret, eo argumento fuit, quod ex bilis copia febres iſtæ potisſimum naſcerentur, intellectumque eſſet, tum laxantia per epicraſin reliqua, tum maxime Rhabarbarum, cum nitri & ſalis abſinthii particula, febres iſtas debellaſſe feliciter. Neutiquam vero nec purgantibus, nec mixto cum Cortice Chinæ Rheo, promiſcue in omnibus uſus eſt *Valcarenghius*, ſed, abſtinendum ſibi in febrium intermittentium cura ab uſu purgantium omnino eſſe, duxit, ſi illæ ſymptomatum acerbiorum concurſu gravarentur. Erant enim, qui, febre iſta epidemica correpti, modo refrigerati undique, modo aphoni, modo anhelantes, modo vomitu ſimul ac diarrhœa, aliisque maximis cardialgicis doloribus, detenti, modo gravi veterno presſi, in ſummum, niſi febris ſubito opprimeretur, vitæ periculum adducerentur. Illis quidem laxantia penitus nociva erant, nec tali febre maligna correptis cortex peruvianus rheo admixtus datus eſt, ſed ſolius corticis uſu illi convaluerunt. Rationes, propter quas Rheum cortici admiſceri haud oporteat, illas potisſimum adduxerunt, qui diſſentirent, quod opus ſit, purgantis admixti uſu corticem ſua virtute adſtringente privari, quandoquidem etiam, cum ſedativæ virtutis cortex ſit, non conveniat, medicamentum illi admiſcere, cujus vis in acredine aliqua ponitur, metusque ſit, ne purgantis admixta particula febrem irritet magis atque revocet, quam curet. Inter illos, qui hanc methodum damnant, excellentisſimus *Pedratti* eſt, qui, præter adductas rationes, ad ſuam etiam provocat experientiam, inque ſua ad *Roncallium* ſcriptiuncula, ſibi bene haud viſam eſſe Corticis cum Rhabarbaro miſcelam, nec adeo feliter in febribus debellandis eveniſſe, profitetur. Propterea, publicæ huic cenſuræ publicas objiciendas ſibi vindicias eſſe, *Valcarenghius* duxit.

Expoſuit adeoque, quibus inductus, ut Rheum cum Rhabarbaro in cura febrium intermittentium, epidemice tunc graſſantium, miſceret, argumenta. Primarium illud eſt, quod ratio ſuadeat, ſine purgantium uſu, febres, a vitio primarum

via-

viarum ortas, etiamſi corticis uſu fugatæ fuerunt, reverti maligniores, ſecumque adducere icteritios dyſentericosve affectus, ipſa febre, quæ propulſa fuit, pejores, nec obſcure patet, cur ſibi conjungendam utramque hanc medicinam eſſe putaverit, ſiquidem ſymptomatum, quæ febres iſtas comitabantur, gravitate compulſus, ut ita faceret, fuit, quandoquidem illi liberum non fuit, ſeorſim alvum ducere, aut purgans præmittere, quod, ſi ſolum erat, ægrotorum vires fregiſſet, ſed oportuit illum laxanti adjungere tonicum, ut illius vis eſſet modeſtior, uti fit in quampluribus aliis pharmaca miſcendi modis, quo diverſi generis medicamenta bene invicem ſtare, ſeſe in agendo juvare, aut oppoſitis ſuis viribus tertium aliquod & nobile medicamentum producere, posſint. Neque vero draſticum, aut efficacius, eſt purgans, quod cortici admixtum eſt. Largitur hoc diſſentientibus Noſter, ineptum fuiſſe, ſi acriora purgantia cortici admiſcere voluiſſet, verum, in ordine acriorum purgantium Rhabarbarum eſſe, aut, dum drachma una hujus pharmaci unciæ uni corticis admiſcetur, tumultuarium, veluti excellentisſimo *Pedratti* viſum eſt, pharmacum dari, omnino negat. Eſt præterea inter Corticem & Rheum haud levis ſimilitudo, quæ, ut utrumque medicamentum optime juxta ſe ſtare posſit, efficit, ſiquidem & Cortex, ſi largius datus eſt, purgandi haud mediocrem vim obtinet, & Rheum junctam ſuæ virtuti purgativæ, ſane mediocri, ſtringendi facultatem habet, veluti præſtantisſimus ejus in fluxionibus alvinis omnibus uſus id ſatis ſuperque docet. Clariſſ. *Pedratti* in ſua, quæ huic opuſculo inſerta etiam eſt, reſponſione objicit, & ad *Sydenhamii* ac *Mortoni* ſententias provocat, quibus viſum eſt, corticem ſolum exhiberi oportere, ſiquidem illius effectum, ſi peregrini quidpiam admixtum eſt, infringi certum ſit. Largitur adeoque *Pedratti*, Rhabarbarum ante uſum corticis, iidemque poſt illum, dari poſſe quam efficacisſime, aſt, conjungi ſalubriter poſſe, negat, ſuaque contra *Valcarenghii* experientiam experientia militat. Quapropter, ne ſolus ita ſenſiſſe videretur *Valcarenghius*, Gallorum ſententias excitat, quibus ita in uſu ſimiliter eſt, Corticem Rheo admiſcere. Ita

enim

enim de hac nova methodo Celeberrimi Monſpelienſes Medici, quos Noſter adducit, in promulgata ſua ſuper hac quæſtione ſententia ratiocinantur: *Nobis in uſu ſimiliter eſt, Chinam cum Rhabarbaro junctim exhibendi, non tam ut febres intermittentes hac medicina exſtinguamus, quam ut primæ viæ ac ipſa ventriculi digeſtio corrigantur. Id quod etiam tunc facimus, ſi corticem purgantem efficere animus eſt.* Accedunt etiam aliæ ſuper hoc argumento eruditisſimorum Medicorum ſententiæ, cumque experimentum illud inſtitui innocenter posſit, poterunt etiam noſtrates illud ſine damno inſtituere. Præterea vaſta eruditione plenus liber eſt, ac lectu jucundisſimus.

ICONUM ANATOMICARUM PARTIUM corporis humani Faſciculus II, Arteria maxillaris, Thyroidea inferior, Tab. I, II, Cœliaca Tab. I, II, Uterus; Autore ALBERTO HALLER, Philoſ. & Med. D. Med. Anat. Botan. Chirurg. Profeſſ. Publ. Ord. Archiat. & Conſil. Aulico Reg. & Elect. Soc. Reg. Angl. & Suec. Sodal.

Gœttingæ, typis Abrahami Vandenhoeck, Acad. typographi, 1745, fol. maj.

Plag. 12, Tabb. æn. 8.

Inſignem Illuſtris *Halleri* peritiam in rebus anatomicis evolvendis jam ſæpius laudavimus, eamque nunc hoc magis commendamus, quod in Faſciculis Iconum anatomicarum excellentiora ſpecimina & exhibeat, & promittat. In magno enim cadaverum numero, quæ cultro anatomico examinat, varia nova, vel accuratius viſa, occurrunt. Inprimis vero vaſorum arterioſorum directiones, in tanta corporum varietate difficillime definiendas, ad certas, quantum fieri poteſt, leges reducere annititur. *Tabula prima* hujus Faſciculi iconem Arteriæ maxillaris tradit. Ex pectore enim aortæ arcum & arteriam ſubclaviam abſciſſam oſtendit, & carotidem arteriam

in

in ſuo per collum tranſitu usque ad capitis latera conſpiciendam præbet. Præcipue carotidem, quæ, quoniam in partibus capitis externis potiſſimum diſtribuitur, externa vulgo dicitur, accuratius ſiſtit, hujus ramos præcipuos, quos vel ad thyroideam, vel ad faciem, linguam, tempora, & occiput, mittit, obiter indicat, arteriæ vero maxillaris internæ ramos, menygæum, pterygoideos, temporales profundos exteriores & interiores, buccales, alveolares, infraorbitales, & reliquos, majori cura proſequitur, & ſtudioſe deſcribit. Accedit in *Tabula ſecunda* ſciagraphia iconis, ſine umbris expreſſa. *Tabula tertia* iconem primam arteriæ thyroideæ inferioris ſiſtit. In pectore nimirum aperto variæ partes adumbrantur, ex quibus ſitus noſtræ arteriæ melius cognoſcitur. Hæc, ex ſubclavia oriunda, verſus colli latus deducitur, & ramos, transverſum ſcapularem, transverſum colli, & alium, in collo adſcendentem, tandem ramum thyroideæ, thyroideam cum minoribus ſurculis, conſpiciendam præbet. *Tabula quarta* iconem ſecundam thyroideæ inferioris ſiſtit. Hæc a facie laterali & poſtica cervicis præter ramos thyroideæ utriusque, & carotidis & vertebralis partem, oſtendit, nexusque mutuos horum vaſorum deſcribit, addita ſciagraphia vaſorum ſine umbris. *Tabula quinta* cœliacæ arteriæ iconem primam, & ſexta iconem alteram, ſiſtit. In prima icone hepar ſurſum reflexum eſt, quo veſica fellea pateat, duodenum quodammodo inclinatum, quo pars poſterior conſpiciatur, & ventriculus cum adhærente omento, ad alterum latus deducitur: in quo ſitu ea potiſſimum vaſa, quæ in curvatura parva ex trunco cœliacæ oriuntur, & ad hepar, duodenum, ventriculum, & lienem, excurrunt, conſpiciuntur. In altera icone ventriculus ſurſum reclinatus eſt, quo duodenum & pancreas in vero ſitu, & vaſa, in priori icone haud expreſſa, conſpiciantur. In hac icone truncus meſaraicæ quoque occurrit, qui cum cœliaca proxima comparari poteſt. In *Tabula ſexta* uteri humani, & inprimis vaginæ, delineatio exhibetur. In hac quidem ovaria, tubæ uterus, & cervix, cum ovariis ſic dictis *Nabothi* ſiſtuntur, uteri vagina vero cum rugis ſuis nitidiſſime delineatur: qua

 occa-

occaſione in carunculas pudendi, quatenus vel reliquiæ hymenis ſunt, vel etiam cum ea membrana exiſtunt, ſtudio inquiritur, & Autorum de ea re ſententiæ inter ſe conferuntur. *Figura ſecunda*, in parva & peculiari *Tabula*, quæ *ſeptima* eſt, expreſſa, ſectionem uteri & vaginæ puellæ paucarum ſeptimanarum ſiſtit, & ſtatum vaginæ, rugarum, columnarum, & caruncularum, in recens natis oſtendit.

GOTTLIEB AUGUSTI MOSDORFFII DE Latere Polygoni regularis ex numero laterum determinando Obſervatio.

I. Vetus & ſatis celebre inter Mathematicos Problema eſt: *Dato numero laterum polygoni regularis cujuscunque, una cum diametro circuli circumſcripti, invenire latus polygoni*, quod a multis, & præſertim *Renaldino*, ſed parum feliciter, quondam tentatum fuit. Hujus Problematis ſolutio univerſalis & algebraica ideo videtur impoſſibilis, quia, data ejusmodi ſolutione, datur etiam quadratura circuli. Nam, dato latere polygoni, ex numero laterum & diametro circuli circumſcripti, datur etiam perimeter iſtius polygoni. Hinc, numero laterum in infinitum accreſcente, haberetur perimeter polygoni regularis infinitorum laterum, id eſt, peripheria circuli, quæ tamen pro impoſſibili habenda videtur. Interim tamen præter triangulum, quadratum, pentagonon, & polygona, ab his dependentia, dantur etiam alia, quorum latera, uti in ſequentibus, pauciſſimis tamen, oſtendemus, geometrice determinari poſſunt. Methodus, qua utemur, univerſalis quidem eſt, & polygono multorum laterum æque ac polygono paucorum laterum quadrat. Sed, ſi numerus laterum nimis accreſcit, calculus fit quoque nimis operoſus, immo plane inextricabilis, ideoque methodus, in ſe univerſalis, ob calculi incommoditatem fit ſpecialis, id quod naturæ Problematis tribuendum eſt.

II. Ad inveniendum latus polygoni ex numero laterum utimur regula notiſſima, vi cujus, poſito ſinu toto $= r$,

ſinu

ſinu anguli ſimpli $= b$, ejus coſinu $= \sqrt{(r^2 - b^2)} = c$, & numero, qui indicat, quoties ſimplus in multiplo contineatur $= m$, habetur ſinus anguli multipli univerſaliter

$$= \frac{mc^{m-1}b}{r^{m-1}} - \frac{m.\ m-1.\ m-2c^{m-3}b^3}{1.\ 2.\ 3.\ r^{m-1}} + \frac{m.\ m-1.\ m-2.\ m-3.\ m-4c^{m-4}b^4}{1.\ 2.\ 3.\ 4.\ 5.\ r^{m-1}}, \text{\&c.}$$

Unde habetur ſinus anguli dupli $= \frac{2bc}{r}$, anguli tripli $= \frac{3bc^2 - b^3}{r^2}$, ſeptupli $= (7c^6b - 35c^4b^3 + 21c^2b^5 - b^7) : r^6$ &c.

III. Ope harum formularum in quolibet caſu determinari poteſt angulus ad centrum in quocunque polygono, & conſequenter etiam latus deſideratum. Nam in quocunque polygono regulari, cujus laterum numerus par eſt, ſi angulus ad centrum per dimidium laterum numerum multiplicatur, factum eſt $= 180^\circ$. Sinus ergo anguli multipli, facto huic æqualis, erit $= 0$. Ponatur ergo angulus ad centrum $= b$, qui conſideretur ut angulus ſimplus, & quæratur inde ſinus anguli multipli ope formulæ, §. antecedente allegatæ, ita, ut m dimidium laterum numerum ſignificet. Cum ergo hicce angulus multiplus ſit $= 180^\circ$, ſinus ejus erit $= 0$. Unde habetur æquatio pro inveniendo ſinu anguli ſimpli, ſive anguli ad centrum, quo invento, habetur etiam latus polygoni deſideratum.

IV. Regulam, §. antecedente datam, exemplo, ab hexagono deſumto, illuſtrare licebit. In hoc angulus ad centrum eſt $= 60^\circ$, ideoque triplum hujus $= 180^\circ$. Ponatur igitur ſinus anguli tripli, §. II inventus, $= \frac{3bc^2 - b^3}{r^2} = 0$, quo facto, habetur $3c^2 = b^2$, &, ſubſtituto $\sqrt{(r^2 - b^2)}$ in locum c, erit $b = r\sqrt{\frac{3}{4}} =$ ſinui 60 graduum, uti jam aliunde ſatis conſtat.

V. Invento latere polygoni, cujus laterum numerus par eſt, facile etiam habetur latus polygoni, numerum laterum imparem habentis. Duplicetur enim iſte numerus impar, & quæratur latus polygoni ex hoc duplicato numero. Nam, data ſubtenſa anguli dupli, habetur etiam ſubtenſa anguli ſimpli. V. g. ſi quæritur latus heptagoni, inveniatur latus polygoni quatuordecim laterum, ponendo ſinum anguli ſeptupli $= \frac{7c^6b - 35c^4b^3 + 21c^2b^5 - b^7}{r^6}$ (§. II) $= 0$, unde $7r^6 - 56r^4b^2 + 122r^2b^4 - 64b^6 = 0$. Hac enim æquatione geometrice conſtructa, habetur angulus ad centrum in polygono quatuordecim laterum, cujus duplum dat angulum ad centrum in heptagono.

VI. Sed negari non poteſt, uti jam diximus, hoc modo ſæpiſſime oriri æquationes ſatis complicatas & moleſtas, quæ ne geometrice quidem conſtrui poſſunt. Nec ſperandum, legem quandam univerſalem & algebraicam detectum iri, cujus ope latus deſideratum in quolibet caſu arithmetice inveniri queat. Hocce enim naturæ Problematis adverſari videtur, ceu jam ſupra monuimus. Interim tamen quibusdam in caſibus calculus contrahitur, ſi nimirum quæritur latus polygoni, cujus angulus ad centrum eſt multiplum, vel ſubmultiplum anguli jam cogniti. V. g. ſi quæritur latus polygoni octodecim laterum, angulus ad centrum erit $= 20^\circ =$ ſubtriplo anguli 60 graduum, cujus ſinus eſt $= r\sqrt{\tfrac{3}{4}}$ (§. IV). Poſito itaque ſinu anguli tripli (qui eſt $= \frac{3bc^2 - b^3}{r^2}$. §. II) $= r\sqrt{\tfrac{3}{4}}$, & ſubſtituto $\sqrt{(r^2 - b^2)}$, loco c, habebitur $3br^2 - 4b^3 = r^3\sqrt{\tfrac{3}{4}}$, qua æquatione conſtructa, invenitur $b =$ ſinui 20 graduum, ex quo latus deſideratum, immo etiam latus enneagoni, inveniri poteſt.

VII. Sicuti autem ex ſinu anguli multipli hactenus angulum ad centrum invenimus; ita idem etiam ex coſinu anguli multipli inveniri poteſt. Quia enim, evaneſcente ſinu, coſinus fit ſinui toti æqualis, debebit tantummodo iis in caſi-

caſibus, in quibus ſinum anguli multipli poſuimus nihilo æqualem, coſinus ejus poni $= - r$, (ſignum enim negativum adhibemus, quia angulus multiplus ex hypotheſi eſt $= 180°$, & conſequenter recto major,) unde angulus ad centrum itidem habebitur. Et eodem modo, paucis mutatis, angulus ad centrum etiam ex tangente anguli multipli inveniri poteſt. Sed de his hactenus. Quamvis enim ſpecialiora, præſertim de numero radicum, in æquationibus, hoc modo inventis, contentarum, addi potuiſſent; tamen & tempori & ſpatio parcentes, fundamentaque methodi noſtræ indicaſſe contenti, reliqua aliis perpolienda relinquimus.

ΣΑΛΛΟΥΣΤΙΟΥ ΦΙΛΟΣΟΦΟΥ ΠΕΡΙ ΘΕΩΝ ΚΑΙ ΚΟΣΜΟΥ.
Traité de Dieux & du Monde, par SALLUSTE, le Philoſophe, &c.
hoc eſt,
TRACTATIO DE DIIS AC MUNDO, PER SALLUSTIUM, Philoſophum, de ſermone Græco converſa, cum meditationibus philoſophicis & criticis.
Berolini, apud Chriſtian. Lud. Kunſt, 1748, 8.
Plag. 12.

Autor interpretationis hujus Gallicæ eſt elegantiſſimæ Vir doctrinæ, *Formeius*, Regiæ Sapientum Berolinenſium Societati a ſecretioribus literis, qui dudum aliis ſibi jam ſcriptis nomen comparavit inter eruditos & autoritatem. *Salluſtius* ille Græcus diu fuit in doctiorum cœtu magni factus. *Gabriel Naudæus* in Epiſtola quadam, *Fortunium Licetum* ad ipſi manus accommodandum excitare laborans, maxime eum prædicavit. *Athanaſius Kircherus Tomo II Oedip. Ægypt.* libellum ipſius penitus aureum vocat, cujus non ſtili magis, quam ſententiarum, elegantiæ ſint admirabiles. Noſtro teſte, ſtilus eſt conciſus ac brevis, ita vero, ne fiat obſcurus: animus autem Philoſophi, quamvis profani, tam fuit moderatus, ut & *Julianum*, a quo A. 363 ad Conſulatum evectus fuerat, a Chriſtianis perſequendis evocaret. Editionum libelli quinta iſthæc numeratur. Prima *Gabr. Naudæi* lucem vidit Romæ A. 1638 in 12, cum interpretatione *Leonis Allatii*, &

obſervationibus *Lucæ Holſtenii*, repetita Lugduni A. 1639, 4. Hinc *Thomas Galeus* Opuſculis ſuis mythologicis inſeruit Cantabrig. A. 1671, 8, & curis poſterioribus Amſtelædami A. 1688, 8. Hæc itidem ſequitur interpretationem *Allatianam*, cujus defectus in Gallica ſua *Formeius* ſupplevit. Ipſe libellus *XXI* comprehenditur *Capitibus*. *Cap. I* agitur de charactere auditoris, communibusque notionibus; *Cap. II*, quod Deus ſit immutabilis, non factus, æternus, incorporeus, nec in loco exiſtens; *Cap. III* de fabulis, quod ſint divinæ & quare; *Cap. IV*, quod quinque ſint fabularum ſpecies, & de exemplis cujusque ſpeciei; *Cap. V* de cauſa prima; *Cap. VI* de Diis, ultra mundum evectis, deque Diis in mundo; *Cap. VII* de natura mundi & æternitate; *Cap. VIII* de intelligentia & mente, quæ ſit immortalis; *Cap. IX* de providentia, fato, & fortuna; *Cap. X* de virtute & vitiis; *Cap. XI* de gubernatione bona & mala; *Cap. XII*, unde veniant mala, quodque natura mali non exiſtat; *Cap. XIII*, quo modo de rebus æternis dici poſſit, quod ſint productæ; *Cap. XIV*, quomodo Numina, nullis mutationibus obnoxia, iraſci queant ac mitigari; *Cap. XV*, quare Deum honoremus, rei nullius indigentem; *Cap. XVI* de ſacrificiis, aliisque divini cultus partibus, quod ad Deos inde nulla, ſed ad homines, utilitas redundet; *Cap. XVII*, quod per naturam ſuam corrumpi nequeat mundus; *Cap. XVIII*, qua in re conſiſtat atheiſmus, & quod inde divinitas non lædatur; *Cap. XIX*, quare non actutum malefici puniantur; *Cap. XX* de μετεμψυχώσει, & qua ratione animalium in corpora tranſire poſſint animi; & *Cap. XXI*, quod boni hac ſint in vita felices, ab obi-
Pag. 36. tu pariter futuri. Summa libelli capita contemplati, ſpecimina quoque obſervationum aliqua ſubjungemus. De fabulis, ad materiam ſpectantibus, monetur, illarum primos fuiſſe inventores Ægyptios: quippe quorum *Iſis* terra, *Oſiris* aqua, *Typhon* ignis, ſit, id quod & *Salluſtius* tangat, fuſius autem explicent *Euſebius de Præp. Evang. I, 9, II, 12, V, 3*, *Macrobius Saturn. I, 21*, *Plutarchus de Iſ. & Oſir.* *Syneſius* in *Libris II de Providentia*, ceteri, quos inter præſertim emineat *Warburtonus*
37. in libro de Hieroglyphis Ægyptiorum. Uſum fabularum ſpectans diviſio, qua θεολογικοὶ μῦθοι Philoſophis, φυσικοὶ & ψυχι-

ψυχικοὶ Poetis, μικτοὶ cerimoniis & ſacris, tribuuntur, judicii pleniſſima videtur Editori, cum ſola Philoſophorum ſpeculatio fabulas, ad eſſentiam divinam pertinentes, penetrare queat, quibus & ſolis, in republica ſua, locum conceſſerit *Plato*; cumque animales fabulæ ad animos commovendos pertineant; ubi regnet Poeſis. Laudatur hic loci *Heracliti* parvum, ſed elegans, opuſculum περὶ ἀπίστων: nec reticetur, easdem vituperatas a *Platone*, *Proclo*, *Euſebio*, *Auguſtino* (*de C. D. VI, 8*), atque omnibus, qui contra profanas gentes ſcripſerint. Diſcedit ab his doctiſſimus Obſervator, cum inexhauſtum aperiant fontem, qui figuras tam abundantes, tam incantantes, tam amabiles, tam terribiles, tam ad animum capiendum accommodatas, præbeat. Ad mixtas fabulas commendatur lectio Metamorphoſeon *Ovidii*, tanquam ſyſtematis Theologiæ profanæ, quod vel inprimis *Banierii* juvent labores. Ad *Caput VI* obſervatur, *Proclum* in Theologia ſua *Platonica* quatuor veluti Deorum ordines memoraſſe, νοητοὺς, νοεροὺς, ὑπερκοσμίους, ἐγκοσμίους. Quatuor functiones, ad fabricam & conſervationem hujus univerſi requiſitæ, tres veluti ſingulæ gradus habebant. Unde duodecim ſupremis divinitatibus occaſio nata fuit. Sed illa XII Numina fuere ſolum diverſi fines unius ejusdemque Numinis occupationum; quorum ideo & ſtatuæ primo non niſi emblemata virtutum divinarum exſtitere. *Plato* ſingulatim de providentia tam feliciter cogitabat, ut antiqui Patres crederent, eum ſacris libris doctrinam ſuam debere: quippe qui fuſius in opere de legibus probet, ad res quoque minimas providentiam divinam extendi. Hinc *Plato*, ait *Salvianus de Gubernatione Dei Lib. I, & omnes Platonicorum ſcholæ moderatorem rerum omnium confitentur Deum.* Conf. *Auguſtin. de C. D. X, 14.* *Ariſtotelem* contra priſci Chriſtianorum doctores accuſarunt, quod providentiam omnino negarit, qua quidem in re a veritate videntur aberaſſe, cum is in libri *de Mundo Cap. 2* profiteatur aperte ſatis: ἡ τῶν ὅλων τάξις καὶ διακόσμησις ὑπὸ θεοῦ δὲ καὶ διὰ θεὸν φυλαττομένη, ut epiſtolam ipſius ad *Alexandrum* doctrinamque morum taceamus. Idem ille laudatus

Pag. 38. 61. 62. 84. 85. 163.

dictus *Plato* cum aſſeclis ſuis animorum μετεμψύχωσιν adoptabat. Vid. *Lactant. Epit. Cap. 36.* De diſcipulis maxime *Anticles* & *Empedocles* docebant, eſſe mortales infelices, in alio corpore qui peccarint, & contra. Ipſe vero *Plato* ſententiam præcipue ſuam patefacit in opere de Rep. inque *Phædro* ac *Timæo.*

DE NOVA JOANNIS CAP. I, VERS. XIII, LECTIOne ad P. CASTUM INNOCENTEM ANSALDUM, Ord. Præd. Epiſtola PETRI ANTONII BARZANI, Presbyt. Brix.

Brixiæ, ex officina Rizzardi, 1749, 8 maj.
Plag. 9½.

Amicam hic Clariſſimus Autor inſtituit diſceptationem
cum doctiſſimo *Anſaldo*, lectionem novam, uti ſatis
jam conſtat, in *Joannis Cap. I, 13*, ex docta quadam
conjectura moliente, & Patrum lectione illam confirman-
Pag. 6. te. Monetur hic ab Autore ex criticis *Clerici* præceptio-
nibus, excitationes Patrum ita non eſſe comparatas, ut fallere
5. neſciant, ſiquidem Patres ita, uti memoria tenebant, rem per-
ſcripſerint, verba Scripturæ ſæpius mutantes, ſenſum modo,
11. ut memoriter callebant, literis mandantes. Nec deſunt aliæ
12. cauſæ, quare diverſitas quædam dictorum Biblicorum in Pa-
tribus occurrens recte ſtatuatur, licet nulla plane ratione cum
19. *Millio* varia inde lectio peti queat. Ad rem ipſam ſe accin-
gens Autor, *Tertulliani* primo locum genuinum explicare
tentat, ab *Anſaldo* excitatum, ut probare ſibi exinde videretur,
in dicto *Joanneo* lectum fuiſſe quondam *natus eſt*, pro *nati
ſunt*. Sollicitus hic eſt Noſter de vera lectione hujus loci, ubi
Pamelius priorem, *Rigaltius* contra poſteriorem, amat lectio-
20. nem. Manifeſto inde apparet, aliquam hic mendoſam eſſe le-
ctionem. Deinde docet Autor, commodam non dari explica-
tionem in ſequentibus *Tertulliani* verbis, niſi *nati ſunt* lega-
tur, licet facile amico ſuo largiatur, interpunctionem, cujus
29. ipſe novam affert rationem, eſſe commutandam. Connexio &
31. res ipſa, ubi de credentibus, in filios Dei adoptatis, ſermo in-
32. ſtituitur, atque de hac generatione ſpirituali, æque ut de nati-
vitate

Digitized by Google

vitate Chriſti, naturalis apud *Tertullianum* removetur geneſis, ſatis oſtendunt, quandoquidem *Valentinus*, ejusque aſſeclæ, non adulterium ſtili, ſed ſenſus, Scripturæ committere, exiſtimentur rectius. Quodſi etiam legatur, *natus eſt*, liquido tamen conſtat, non ex varia Scripturæ lectione id provenire, ſed ex *Tertulliani* oppugnatione, in *Ebionem* irruente, qui dicebat, Chriſtum humano more eſſe genitum, ubi nemo ſponſionem facere poteſt, num Afer iſte ex *Joanne* partim, partim aliunde, reſponſionem, per Spiritum Sanctum *Ebioni* datam, ſumſerit. Ad *Irenæum*, cujus quinque teſtimonia pro re ſua adduxerat *Anſaldus*, Autor tranſit, & plane concedendum non eſſe putat, ἐγεννήθη hic legendum eſſe, ex *Irenæi* ſententia, ideo, quia exacte Lugdunenſis hujus Epiſcopi verba cum Codice ſacro non conveniunt, lectoremque incertum relinquunt, an dictum *Joanneum* petat, nec ne. Hinc, de Chriſti ut intelligatur generatione, cauſa nulla ſubeſt. Denique de *Vigilii*, Epiſcopi Tapſenſis, agitur teſtimonio, ad quod idem plane reſpondetur, quod antea jam in ſuperioribus teſtimoniis dixerat. In tranſcurſu docet Autor, locum *Joannis* ita poſſe explicari: *Sicut (&) verbum factum eſt caro; vel ita verbum caro factum eſt*, quando teſtimonium *Vigilii* recte inſpiciamus. Præterea hic etiam locus ſua laborat difficultate, ubi obſcurum plane eſt, an Chriſti ſolam geneſin ſpectaverit, nec ne. Ex his omnibus, in Amicum amice diſputatis, colligit Autor, nulla Biblia eandem lectionem, *natus eſt*, olim inter Catholicos tenuiſſe, &, ſi quæ hujusmodi verſio exſtitiſſet, certius indicium aliunde appariturum eſſe. Hoc vero plane fit aliter, dum omnes omnino Codices, Verſiones, quin & clariſſimæ Patrum excuſationes, receptam lectionem tuentur; hinc unicus Veronenſium Codex *Vigilii*, antiquus quidem ſatis, rem non conficit, licet etiam aliter legatur in argenteo Regii Monaſterii S. *Juliæ* Codice, venerandam præ ſe ferente autoritatem. Suſpicio tamen adeſſe poteſt, ex quodam ſcriptore eccleſiaſtico eandem lectionem in alios Patrum Codicumque rivos eſſe derivatam. Interim negari non poteſt, *Tertulliani* temporibus genuinam lectionem ex avtographo *Joannis* libro potuiſſe afferri, quæ unica atque ſola ſtatuenda eſt, ea ſcilicet, ubi ἐγεννήθη-

Pag. 35. 37. 41. 45. 48. 57. 58. 60. 65. 67. 69. 70. 73. 76. 77. 79. 83. 87. 91.

Pag. 96. νήθησαν legitur, ideo, quoniam Pater ille Africanus potius le-
ctione iſta uti voluit, inſtar validiſſimi teli adverſus *Ebionis* hæ-
97. reſin. Hinc factum eſt, ut omnes Græci manu exarati Codi-
99. ces Harmoniæ, & variæ translationes in diverſis mundi par-
tibus, eandem innuerent legendi rationem, quam in univer-
ſum tenemus. Conceſſo etiam, duplicem tunc temporis circa
iſtum locum fuiſſe lectionem, genuina tamen altera, altera ſpu-
101. ria, ab ipſo *Tertulliano* tacite indigitatur, ex margine nempe in
110. textum illata. Poſtea oſtendit Autor, ad Hebraiſmum confugien-
111. dum non eſſe, veram lectionem ob *Valentinianorum* impetus
eſſe ſuppreſſam in Eccleſia Chriſtiana, utpote quod moribus
atque conſuetudini Chriſtianorum plane non reſpondet, quia
116. etiam nova lectio nihil re ipſa *Valentinianis* favebat. Deni-
120. que docte monet Noſter, contextum & ſeriem rerum in Ev-
angelio *Joannis* ſi inſpiciamus, utique cenſendum eſſe, nihil
lectionem communem præ ſe ferre, quod ab orationis Evan-
121. gelicæ ſerie, aut ſenſu, abhorreat, ut critica inde manu nobis
126. hic opus ſit, quod in calce Epiſtolæ amplius expeditum legi-
mus, vereque affirmare poſſumus, & inſigne quoddam artis
criticæ, & amicum modeſtiæ atque humanitatis egregiæ,
ſpecimen edidiſſe Autorem in conſcribenda hac Commen-
tatione epiſtolari, & Proteſtanti & Pontificiæ eccleſiæ ma-
gni omnino æſtimanda.

JO. ZACH. PLATNERI, MEDICI NUPER LIPSIENſis clariſsimi, Orationes Academicæ. Acceſſit Elogium ejusdem.

Lipſiæ, literis Jo. Chriſt. Langenhemii, 1746, 4.
Plag. 18½.

Tanta ſunt immortalis *Platneri* medicam in rem, inque Lipſienſem Academiam, merita, ut non ſolum ſcripta ejus propter internam præſtantiam evolvamus cupidiſſime, verum etiam ob Autoris gloriam gratiſſime revolvamus, inprimis autem vitæ rationes amplexemur & oſculemur. Inſignibus ergo meritis ſuis haud parum addidit *Jo. Aug. Erneſti*, Profeſſor, Philoſophus, ac Philologus, apud Lipſienſes itidem perquam celebris, quod, precibus *Platnerianis* concedens, lectiſſimas ejus

Ora-

Orationes X, ab Autore ante obitum & a ſeſe perpolitas, cum eruditis communicarit. Duplicavit gratiam, amico defuncto debitam, ejusdemque præfixit elogium; cujus ut elegantiam, Autore nominato, non eſt, cur laudemus, ita fidem vel intima conſuetudo confirmabit. Attamen, cum nos alio tempore vitam ſimus plenius commemoraturi, ad ipſas ſtatim *Orationes* convertemur ex merito laudandas. Harum *prima* ſiſtit Medicum, ad mores ſeculi compoſitum. Requiruntur nempe Pag. 1.
valetudo firmior, corpus procerum, amplior forma, vox magna & canora, ingenium facile, flexibile, multiplex, paupertinum, injuriarum patiens, quod omnibus lenocinari, cum inſanientibus furere, ac omnis patientiæ legem accipere, poſſit, quale olim Crotoniatis fuiſſe legimus. Iſtis attributionibus, 4.
quæ ad futuri Medici educationem pertinent, per jocum datæ regulæ accommodantur, e. g. quod nutricem habere debeat quam loquaciſſimam, ut quam diutiſſime inter mulierculas verſetur, quo ipſe garrulus earum ingeniis tanto celerius aſſueſcat, quarum autoritate gloriæ ſplendorem, ac rei familiaris copias, olim conſequi poſſit, quæque hujus generis ſunt aliæ. *Oratione II*, de Medico moderno, profitetur, prima 5.
ætate fuiſſe neminem, qui ſe ſcientia iſthac efferre, multo minus ex ea quæſtum facere, ſit auſus: cum inter bonos, nullaque adhuc luxuria vitiatos, mores bona plerumque hominibus contingeret valetudo, corporaque valentia & vegeta non opus haberent medicina, ſed alimento. Fuit autem tunc medicina ſine medicis, cum omnes pauciora promtioraque remedia vulnerum aliarumque valetudinum in auxilia noſſent, quorum pleraque ab animalibus, ſua ſibi ſponte medentibus, didicerant. *Oratio III* de ægris meticuloſis curandis præcipit. 12.
Agitur hic præſertim de conditione timoris, ac mirabilibus illius effectibus, quorum nonnulla documenta ſatis inſignia proferuntur. Quidam cani facti ſunt præ metu; *Crœſi* filius mutus in periculo bellico patris loqui cœpit; alii metuentes obmutuerunt; nonnulli ipſam oppetierunt mortem. Ægri porro meticuloſi ſunt varii tum ex cauſis, quibus naſcitur timor, tum etiam ex moribus, quos ſibi induunt. Suadet autem Noſter, quoniam hoc genus hominum corrupta imagines formandi facultate laboret, cui mens ita ſit addicta, ut vix, nec niſi 28. 32. 34. 40.

tem

tempore atque aliis per ſenſus genitis ſpeciebus, ab ea deduci queat, ut Medicus iſtis ægrotis ſæpius aſſentiatur, quam repugnet, quo illorum miſeria motus ipſe videatur, interea vero fictionibus ac ſimulationibus eos inducat, quo, ſe illo, quod im-
Pag. 44. minere viſum eſt, malo eſſe levatos, opinentur. *Oratio IV*, de crudeli miſericordia medentium, memorabile producit, quod
45. quidem fabellis addere mallemus, exemplum, a *Plinio* memoratum, quod olim *Archagathus*, *Lyſaniæ* filius, cum Romam veniſſet, atque ex Græcia medicinam attuliſſet efficacem, omnibus ab initio fuerit gratus, & vulnerarius dictus: hoc vero nomen, propter urendi ſecandique ſævitiam, in carnificem transiiſſe, *Archagathumque* Roma fuiſſe pulſum. Unde patere putat Orator noſter, fortes etiam alioqui, effœminato mollique animo, triſtiora medicæ artis auxilia, propter brevis doloris metum, hor-
58. ruiſſe, talique miſericordiæ anſam pariter præbuiſſe. *Oratio V*
59. de Medicina, in Academiis inter ceteras ſplendidiores diſciplinas haud toleranda, ſed abroganda, non ſine ſale ſatirico, diſputat. Ubi fingit Autor initio, ſe ſuam artem laudare ac vindicare voluiſſe; quem in finem plurima evolverit aliorum ſcripta. Nominat inter hæc apologias, á *Jo. Baptiſta Pellegrino*, Bononienſi, & *Zach. Nic. Gatſio*, Medico Cygnæo, adverſus Medicinæ contemtores editas, *Franciſci Tidicæi*, Dantiſcani, & *Joannis Freytagii* Querelas de abuſu Medicinæ, aliasque *Gerhardi Goriſii* de Medicina contemta, & *Raimundi Mindereri* Threnodiam medicam, neque minus quæ *Andreas Tiraquellus* & *Hippolytus Obicius* de nobilitate Medicorum, & ante aliquot annos *Henr. Lampius*, ſed haud ita pridem magno literarum detrimento ex
69. hac vita evocatus, illorum de honore, privilegiis, & juribus, ſint commentati. Omnibus rite ponderatis, ſe in aliam, eamque contrariam, abiiſſe, ait, ſententiam. *Oratio VI* agit de loco *Celſi Lib. VII Cap. 13: In medicina etiam, ubi perpetuum eſt, quod fie-*
73. *ri debet, non tamen perpetuum eſt id, quod conſequi convenit;* quam ſententiam, dicit Autor, ſemper ſibi pulcherrimam ad artis agnitionem, ad adminiſtrandas vero moderandasque morborum curationes neceſſariam atque perutilem, eſſe viſam; quippe quæ tum ad tironum animos confirmandos, tum ad
82. malevolorum obtrectatorum criminationes contemnendas exercen-

ercendasque, non proſit parum. *Oratio VII* valetudinem eorum tangit, qui, gerendis negotiis deſtituti, otiantur. Sane, dum in corporis exercitatione maximum ad valetudinis proſperitatem tuendam, varioſque & pernicioſos morbos avertendos, auxilium invenimus, dum otioſi vel nihil agendo torpent, vel agunt vitia, quorum quodque pœnam ſecum, ut domum teſtudo, gerit, facile conjectu eſt, quid talium de valetudine ſtatuere queat Noſter, neque otium literarium penitus excludens. Intellexerunt id veteres, qui gymnaſticas exercitationes coluerunt, & gymnaſiarchas iſtiusmodi locis præfecerunt, qualis fuit *Herodicus*, vel, ut eum alii vocant, *Prodicus*, quo artis medicæ parens præceptore dicitur uſus, qui, cum infirma eſſet conſuetudine, gymnaſticam emendationi adhibuit opem. *Oratio VIII*, de ſuperſtitione, falſaque religione, arti medicæ ſemper peſtilentiſſima, hiſtoriam Medicinæ priſcam & mediam ſimul erudite percenſet. Non patrocinium ſuſcipit *Mich. Serveti*, *Hier. Cardani*, *Theophraſti Paracelſi*, *Jo. Bapt. Helmontii*, *Oſwaldi Crollii*, *Bern. Connori*, aliorumque, qui, falcem in alienam meſſem immittere auſi, propter graviores in rebus ſacris errores, ignominia merito premuntur. Iſtis potius confutatis, alio tela vertit, ſuperſtitionem non tam eluens, quod *Carolus Drelincurtius* jam fecit, ſed, per ſecula eundo, peſtilentem oſtendens. *Oratio IX*, de docta inſcitia in arte medendi, occaſionem accipit ex *Joſephi Scaligeri* Poemate, ubi ſic legitur:

Pag. 85. 93. 94. 95. 102. 104.

Ne curioſus quære cauſas omnium,
Quæcunque libris vis Prophetarum indidit,
Afflata cœlo, plena veraci Deo:
Nec operta ſacri ſupparo ſilentii
Irrumpere aude, ſed prudenter præteri.
Neſcire velle, quæ magiſter optimus
Docere non vult, erudita inſcitia eſt.

Decima, eademque poſtrema, *Oratio* pudorem Medici perſequitur. Quælibet autem illarum Orationum ita eſt comparata, ut vividum atque erectum ingenium, judicium perquam limatum, exquiſitam elegantiam, atque aliquid minus exſpectatum, præ ſe ferat, adeoque hunc Oratorem omnibus ſive auditoribus, ſive lectoribus, commendatiſſimum efficiat. 114.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INCREmentum ſcientiarum ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.

Voluminis VII Pars III.

Lipſiæ, apud B. Lanckiſii hæredes, 1750, 8.
Plag. 12.

Scenam hujus *Partis* aperit *Jo. Chriſtoph. Harenbergii Expoſitio Odæ Davidicæ XVI.* Inſcriptio, Odæ præfixa, illuſtratur,& vocis מכתם genuina vis ac poteſtas eruitur. Additur nonnihil de modo ſcribendi, & re nummaria orbis priſci. Meſſiam induci loquentem, partim ad eccleſiam, partim ad Deum
Pag. 379. patrem, oſtenditur. Autori viſum eſt, vocem אָמַרְתְּ *verſ. 2* reſpicere ad ecceleſiam Judaicam, fœminæ inſtar conſideratam. Solicite demonſtrat, Meſſiam hic exhiberi pronuntiantem, quæ ad utriusque ejus ſtatum potiſſime attinebant. Offert lectori metaphraſin Odæ, additis annotationibus, quæ ſenſum muniunt ac illuſtrant. Subjicitur expoſitio vocum & formularum
391. loquendi difficiliorum. Additur ei disquiſitio in interpretationem Alexandrinam Græcam, quantum ad Odam attinet. Lege pro *antequam pag. 392 lin. 5 poſtquam.* Calcis locum occupat Theologia, ex ſingulis hujus Odæ enuntiationibus conflata.
397. Succedit huic tractationi *Gottlob Friderici Gudii, V. D. M. Laubæ Luſatorum, Tentamen, in Pauli verbis Ebr. VI, 1 - 2, occupatum.* Quæritur, an ibi de rudimentis Chriſtianæ inſtitutionis diſſerat *Paulus. Impoſitio manuum*, cujus ſimul fit meutio, doctrinis fideique capitibus haud poteſt inſeri. Et cur ibi nil
400. de Deo ac Chriſto ſignificatur? *Tellerus* igitur aliique, ad cerimonias Leviticas & typos, per antitypum completos, reſpexiſſe *Paulum*, monuerunt. Generatim inſiſtit Noſter huic ſententiæ pariter ita, ut in artubus diverſos ſequatur calles. Θεμέλιον, ipſo judice, eſt complexus doctrinarum potiorum, ſaluti æternæ inſervientium, piis Vet. Teſt. hominibus cognitarum.
404. Hiſce initiis & rudimentis *Paulus* oppoſuit τελειότητα, inſtitutionis N. Teſt. rationem luculentiorem ac perfectiorem, in qua nemo deſiderare quidquam poteſt. Vocem διδαχὴν per comma a voce βαπτισμῶν credit eſſe ſeparandam. Tandem
408. hanc expromit paraphraſin: *Quapropter, quia de Pontificatu Chri-*

Digitized by Google

Chriſti nobis multus eſt & explicatu difficilis ſermo, licet vosmet ipſos illi percipiendo fere impares reddideritis, miſſam facientes priorem, Chriſtum non niſi promiſſum, & in carne nondum revelatum, docendi, rationem, ad complementum feramur: non iterum fundamentum reſipiſcentiæ, fidei in Deum, baptiſmorum, doctrinæ evangelicæ, impoſitionis manuum, reſurrectionis mortuorum, & æterni judicii, jacientes. Idque annuente Deo faciemus. Fieri enim nequit, ut quis ſemel illuminatos, cœleſtis gratiæ participes, & Spiritus Sancti compotes, optimo præterea verbo Dei tinctos, & virtutes futuri ſeculi adeptos, iterum (ſive *alia ratione*) *ad reſipiſcentiam præparet, ſi relapſi fuerint, & Chriſtum, quaſi denuo ipſimet in crucem egerint ipſum, opprobrio habuerint.* Sequitur eam Commentationem *Petri Zornii Diſſertatio poſthuma de Notariorum primæ eccleſiæ in conſignandis SS. Martyrum Actis ſpectata fide, quod ad Deitatem attinet, adverſus Autorem Platoniſmi detecti.* Illa Martyrum Acta ſunt potiora, quæ proconſularia & præſidialia dicuntur, ideo quod ab officio Præſidum componerentur. Cum eis conveniunt, quæ a Martyribus ipſis ſunt adornata. Non minoris fidei ſunt ea, quæ a teſtibus adſtantibus ſunt conſcripta. Tertii ordinis ſunt, quæ ab Eccleſiis Martyrum ſunt confecta. Damnavit hæc Actorum verba quædam Scriptor *Platoniſmi detecti*, &, veluti a librariis & calligraphis temere & mala fide inſerta, rejecit, inprimis vocem Θεȣ̃. In *Actis Martyrum ſelectis* tamen, quæ *Theodoricus Ruinartus* edidit, ſæpiſſime Chriſtus a Martyribus *Deus* fuit appellatus, vel ei virtutes Deo convenientes tribuuntur ac infinitæ. *Polycarpi* teſtimonium truncavit Autor ille nefandus, ratus, ſub *Adriano* demum Chriſtum vocatum fuiſſe Deum. In Actis Martyrii S. *Ignatii* egregia legitur doxologia in Dei triunius laudem. Smyrnenſis eccleſia in Actis *Polycarpi gloriam* tribuit Deo & Patri & Spiritui ſancto cum Jeſu Chriſto. Carmen primi Chriſtiani Chriſto ut Deo cecinerunt, teſte *Plinio* & *Euſebio H. E. V*, 27. Excipit hanc Diatriben *Chriſtoph. Aug. Heumanni Emendationum Minucii Felicis Ferculum tertium*. Fit ibi initium a *Capite 16.* Subſiſtitur in *Capite 27.* Obſervationes ſingulæ ſuo ſtant pretio. Exſpectare nos juſſit diligentia Autoris porro *Ferculum quartum & quintum*, reſcribentis in verbis *Berengarii*,

Pag. 409.

Digitized by Google

garii, quæ laudantur in *Hiſtoire literaire de la France Tom.*
Pag. 478. *VIII pag. 218* pro *caruerunt* potius *corruerunt*. Illa ſic vulgo leguntur: *Si dæmones hoc vitio* (ſuperbia) *caruerunt*. Offert ſeſe hinc Lectori *Henrici Auguſti Zeibichii Obſervatio in locum Herodoti II, 47, qua ritus, in profanarum gentium ſacrificiis rece-*
479. *ptus, breviter ſtrictiſſimque explicatur*. Perſpicitur exinde, in ſacris gentium ſimulata pro veris fuiſſe accepta, picta & ficta pro animantium corporibus. Videntur homines ſubſtitutiones ejusmodi ex *Abrahami* exemplo, qui victimæ filio arietem ſubſtituit, traxiſſe malo inſtituto. Ægyptiorum pauperiores immolabant ſues,
486. quas e farina finxerant, ὗς σταιτίνας πλάσαντες. Σταὶς eſt farina, nondum fermento imbuta. *Pythagoras* bovem farinaceum immolavit, βοῦν σταίτινον. *Empedocles* & *Apollonius* boves ex cupediis confectos immolarunt, ex myrrha præcipue conflatis. Bos igitur erat placenta, figuram bovis referens. Hermupolitani e placentis equum formarunt. Qui fingebant victimas ſimulatas, dicti ſunt καθηλωταὶ, πλάσται, κηροπλάσται, *fictores*. *Pythagoræ*
498. hecatomben vivos boves complexam fuiſſe, negatur. Conſtitit illa e farina triticea, in bovis formam efficta. Omittimus plura,
514. accurate expoſita. Succedit Obſervationi huic *Frid. Ott. Menckenii Notitia libri rarioris, quo Hermanni Buſchii Lipſica, cum Scholiis Philippi Noveniani, continentur*. *Buſchius* id Carmen Lipſiæ A. 1504, 4, edidit, poſtea A. 1521 iterum prelo datum a *Noveniano*. Prima editio ſine Annotationibus prodiit, repetita a B. *Joanne Burchardo Menckenio* A. 1727 Lipſiæ, ſiquidem altera ipſe haud erat inſtructus. Evulgavit Seculo ineunte XVI *Richardus Crocus Academiæ Li-*
526. *pſienſis encomium congratulatorium*. *Reuſchius* A. 1518 ibi evulgavit *Orationem de Laudibus Eloquentiæ*. *Buſchius* triennio docuit Lipſiæ literas humaniores frequentiſſimo auditorio, ſtipendio Principis *Georgii* ſublevatus. *Philippo Noveniano*, Poetæ docto, patria fuit Hasfur-
528. tum, Franconiæ oppidulum. Patruus ei fuit *Joannes Novenianus*, Arctophrygienſis, artium Magiſter, ſacrarumque literarum peritiſſimus, cujus *Philippus* laudes brevi elegia cecinit, obvia inter ejus *Lucubratiunculas & Carmina nonnulla*, Lipſiæ A. 1516 publicata. Gentilitium nomen utrique fuit *Neumanni*. *Philippo* fuit nomen *Philippi Michaelis*, licet ipſe ſe in ſcriptis bene multis vocaverit nude *Philippum*. Vitam ejus, reliquamque fatorum ſeriem, quoad ejus fieri potuit, *Menckenius* æque ac ſcripta ſic illuſtravit, ut operæ pretium feciſſe ſit exiſtimandus. In calce hujus *Partis* apparet Epiſtola *Bohuslai Balbini* ad *Ottonem Menckenium*, A. 1682 Pragæ ſcripta.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLI.

Pars I.

ΧΑΡΙΤΩΝΟΣ ΑΦΡΟΔΙΣΙΕΩΣ ΤΩΝ ΠΕΡΙ ΧΑΙρέαν καὶ Καλλιῤῥόην Ἐρωτικῶν διηγημάτων λόγοι η̄. *JAC. PHILIPPUS D'ORVILLE publicavit, animadverſioneſque adjecit.*

Amſtelodami, apud Petrum Mortier, 1750, 4 maj. Alph. 6 plag. 13.

Cum omnis antiquitatis qualeſcunque reliquiæ caræ & jucundæ & ſint, & eſſe debeant, iis, qui antiquæ eruditionis intelligentes eſſe haberique velint; egregio munere ſe donatos literati homines exiſtimare debent, cum beneficio *Jac. Philippi Dorvillii*, Viri eruditiſſimi, & bonis literis ſtudio, exemplo, liberalitate denique, utiliſſimi, contigit, ut *Charitonis Aphrodiſienſis Amatoriæ Narrationes* publicarentur. Atque id munus cum per ſe gratum futurum erat, tum auctius & ornatius factum eſt, eoque nomine longe jucundius, acceſſione Commentarii longe eruditiſſimi, & non modo *Charitoni*, ſed permultis aliis quoque Scriptoribus, & monumentis antiquis, omninoque Græcis literis, & arti criticæ, abunde profuturi. Itaque prævidemus, fore, ut hoc Opus, non tam *Charitonis*, quam *Dorvillii*, nomine expetatur, ſitque in manibus eruditorum hominum. Id vere a nobis dictum eſſe, ut appareat, preſſius de toto Opere videtur dicendum.

Digitized by Google

In Bibliotheca Florentina Monaſterii Caſſinenſis, vulgo *Abbatiam Florentinam* vocant, eſt Codex bombycinus, literis minutiſſimis ille quidem & obſoleti coloris, ſed tamen nitide & emendate, Seculo, ut viſum eſt iis, qui inſpexere, tertio decimo, ſcriptus, *Montefalconio* dudum commemoratus in Diario Italico. Is, quoniam, præter alios ſacri profanique argumenti libellos, fabularum amatoriarum ſcriptores nondum editos duos continet, inprimis convertit in ſe oculos eruditorum hominum: quorum alterum, *Xenophontem Epheſium*, jam editum cura *Anton. Cocchii*, Viri Doctiſſ. habemus; alterum, *Charitonem*, edendi conſilio diligenter deſcripſerant *Ant. Mar. Salvinus*, idemque, quem diximus, *Cocchius*. Verum, cum ille ante mortuus eſſet, quam deſtinata perfeciſſet, *Cocchius* autem aliis negotiis implicatus occupatusque teneretur, facile impetravit ab hoc *Dorvillius*, ut ſibi apographum ſuum publicandum permitteret: quod tanta diligentia perfecit, ut deſiderari amplius nihil poſſit.

Charitonis noſtri nomen, etſi non nunc demum innotuit, tamen ab antiquis nuſpiam, recentioribus autem perpaucis, commemoratum reperimus. Quo tempore ille, quave ætate, vixerit, dici non poteſt, niſi hactenus judice *Dorvillio*, ut poſt *Heliodorum*, *Tatium*, *Longum*, atque adeo *Xenophontem*, vix ante Seculi V initia vixiſſe ſtatuatur: quanquam hoc maxime argumento, quod illi puriori & terſiori dictione uſi ſunt. (Vid. tamen etiam *pag. 121.*) Ipſe, in capite libri, ſe *Aphrodiſienſem* dicit, patriam Aphrodiſiada, Cariæ, literis florentem, urbem, haud dubie indicans. In quo valde probabilis eſt conjectura *Dorvillii*, & *Charitonis*, & patriæ, nomen eſſe, ita ut fabulam ipſam, confictum. Nomen *Charitonis*, & patria *Aphrodiſias*, optime convenit amatoriæ fabulæ ſcriptori, ſimiliterque alia in hac fabula nomina apte conficta reperias; de quo paſſim admonuit doctiſſimus interpres, *pag. 78*, ubi ſimilem elegantiam in *Apulejo* laudat, *pag. 130*, &c. Nam, quod ſe *Athenagoræ* Rhetoris ὑπογραφέα vocat, recte putat, intelligi Syracuſanum illum Demagogum, de quo eſt apud *Thucydidem VI, 35*, ubi *Patronus* ac *Defenſor plebis* vocatur: etenim

Comm. pag. 7.

etenim Græci promiſcue ῥήτορας, δημαγωγὺς, & προςάτας δήμυ, vocant: adverſarius *Hermocratis*, cujus filiam *Callirrhoen* facit *Charito*, & de quo multa *Thucydides*, *Xenophon*, & *Diodorus*, prodidere. Ὑπογραφέα autem, *amanuenſem*, non neceſſe eſt, intelligere ſervilis, aut ſordidæ, conditionis hominem: quippe honeſtiores apud Græcos Syracuſanosque ſcribæ, quam apud Romanos; neque puduerit *Charitonem* muneris apud *Athenagoram*, quo apud *Philippum Eumenes*, apud *Herodem Nicolaus Damaſcenus*, functi tradantur. Non alienum fuiſſe a Chriſtianis ſacris, ſaltem non rudem ſacrarum literarum, arguunt loca nonnulla, in quibus ſcribenti loca ſacrorum librorum obverſata videntur. Vid. Vir Clariſſ. ad *II, 6, pag.* 192, & *III, 3, pag.* 258. Narratio ipſa neque tractandi artificio, neque dicendi genere, æquat ſuperiores ex eo genere fabulas. *Chariton*, hiſtorici modo, potius capere lectores voluiſſe videtur narrandi veriſimilitudine, quæ tamen & ipſa non ſemper ſatis retinetur, quam rerum admirabilium varietate oblectare. Nulla hic epiſodia, & in ceteris quoque ornamentis, quæ fabula talis deſiderat, magna moderatio & parſimonia. Dicendi autem genus non habet illud quidem multa, quæ non poſſint idoneis Autoribus defendi, ut in Notis demonſtrat *Dorvillius*: neque tamen ceteros Eroticos aſſequitur hac ex parte: etſi idem illud ſtudium floſculorum, in verbis, & ſententiis, e priſcis decerpendorum nectendorumque, apparet, ſæpeque aliquid dictum eſſe, non aliam ob cauſam, niſi ut locus floſculo alicui tali pararetur. Verecundiam quidem, & in verbis, & in ſententiis, retinuiſſe reperietur diligentius *Achille* & *Xenophonte*.

Hanc igitur narrationem, in *octo Libros* deſcriptam, rogatu *Dorvillii* Latinam fecit *Jo. Jac. Reiskius*, Vir doctiſſimus, qui tum in Batavis erat, cum de edendo *Charitone* conſilium ſuſceptum eſſet a *Dorvillio*. Hæc verſio & in ſenſu Græcorum verborum reddendo, orationisque charactere ſervando, diligentiam, & in verbis deligendis puritatem, abunde præſtat. Si in locis nonnullis aut non aſſecutus eſt Autor veram verborum ſententiam, aut non aſſecutus fuiſſe viſus eſt Clariſſimo

Digitized by Google

Dorvillio; primum, nulli hoc facile interpretum contigit, nedum qui primus ad vertendum Græcum ſcriptorem acceſſit, ut omnia aſſequeretur, multoque minus adeo mirandum in hoc, qui unius menſis ſpatio totam verſionem abſolvit; deinde vel correctione *Dorvilliana*, vel commentario, cautum eſt, ne lectoribus obeſſet. * Acceſſere ab eodem emen-

* Id ſane plurimis in locis fecit Vir Celeb. Incidi tamen in loca, in quibus idem facere ſi voluiſſet, exiſtimarem, bene actum mecum fuiſſe. E. c. *pag. 71 lin. 4* Latinæ interpretationis dederam: *omnes narrabant, quæ norant; pag. 7 lin. 18* pro illis, *dum tibi bene ſit*, dederam, *es enim, fortunæ beneficio, commune*, &c. eoque ſpectat notula mea ad illum locum, quam egregie confirmat locus *Æliani Hiſt. Anim. IV, 41;* pro illis *pag. 163 lin 14, obruentes aſſluebant*, dederam, *celeuſmatibus urgebant*. In genere tenendum de mea interpretatione, me pæne ubique conjecturas meas expreſſiſſe, a quibus ſi quid diſcrepare Latinorum deprehendetur, id confidenter pro non meo haberi poterit. Deinde id quoque ignorari nolim, in *primo* maxime *Libro* emendatricem Viri Clariſſ. diligentiam ſe exercuiſſe; in reliquos deinceps *Libros* parcius calamum ſtrinxiſſe. Lætarer profecto de tanto beneficio, ſi ubique contigiſſet Viro Clariſſ. ut loca tantum ea, quæ correctione indigebant, attingeret, & ſic refingeret, ut oportebat. Mallem equidem, eum a quibusdam manus omnino abſtinuiſſe: quorum exempla dare certis de cauſis nolo. In quibusdam aliis humani aliquid non minus, quam ego, paſſus fuit. En luculentum locum. *Pag. 70 verſ. 14* legitur: *quis te, Deus eripiat? παραδοθήσῃ γὰρ, ἂν παραςῇ, τυράννῳ, traderis, ſi quis adſit, tyranno.* Ita tunc vertebam. Male procul dubio. Sed nihilo meliora ſunt, quæ Vir Celeb. ad hunc locum in *Animadv. pag. 391* affert. Impoſuit nobis ambobus prava ſcriptio, quam librarius dederat. *Charito* autem dedit παραδοθήσῃ γὰρ ἀντιτεχνῃ τυράννῳ, *traderis enim æmulo tyranno* (non ſimpliciter *æmulo*, ſed æmulo, qui ſimul *tyrannus* eſt,). Aliis in locis non ſolicitavit Vir Clariſſ. meam interpretationem, in quibus cum fiducia id potuiſſet facere. E. c. *pag. 12 lin. 20* textus Græci, ubi τὰς ἀπὸ γῆς non perceperam, & *pag. 18, 17,* ubi dictionem, περιέςησαν τὴν πόλιν, non ſatis fac-

emendationes & conjecturæ in *Charitonem:* in quibus peccata librarii manifeſta tolluntur, & de ceteris locis ſuſpiciones eruditæ proponuntur, partim probatæ illæ *Dorvillio*, partim excuſſæ in Commentario.

Commentarius autem *Dorvillianus* occupatur in *Charitone* vel emendando, vel illuſtrando. Inprimis autem agit hoc V. C. ut contextum muniat contra leves novaturientium inſultus: ideoque etiam ſæpe non magnopere raras formulas dicendi aliis exemplis illuſtrat, quod inſtitutum probabili oratione defendit *pag.* 42. Eadem ſæpe ratione uſus eſt in aliis Autoribus a criſi ſupervacua defendendis, quod hoc ſeculo nullum frequentius, aut majus, malum in bonas literas graſſatur. Nam, cum *Charitonis* neque ſtilus ſingularis, neque eruditio exquiſitior, nec contexti corruptio ejusmodi, ſit, ut magnum commentarium deſiderent, degreſſus eſt ſubinde ad alios ſcriptores, eorumque loca vel ope Critiçæ conjecturalis, non levis illius & ſubitariæ, quam deteſtatur, ſed juſtæ, hoc eſt, idonea linguæ ac rerum ſcientia, & diuturno uſu, nixæ, vel auxilio Codicum, reſtituere inſtituit, quorum magnam copiam vel ipſe habet, vel cum editis contulit; ita, ut omnibus prope in paginis lectiones vel veteres confirmatas, vel novas prolatas e Codicibus *Dorvillianis*, videas. Ex hoc fonte fere fluxere, quæ ad *Heliodorum*, *Alciphronem*, *Eunapium*, *Nemeſium*, *Xenophontem Epheſium*, *Epigrammata*, & *Inſcriptiones*, inprimis *Græcas*, ſanandas protulit. Conjecturis in aliis uſus eſt neceſſariis, inprimis in *Manethonis Apoteleſmaticis*, in quibus, deficientibus libris ſcriptis, aliam viam ingredi non licuit. Atque libentius hanc operam navavit huic Aſtrologo, *Scaligeri*, *Salmaſii*, & *Bentleji*, ſummorum virorum, exemplo, qui in *Manilio*, aliisque Aſtrologis, diligenter elaborarunt,

fueram aſſecutus; *pag.* 45, 23, ubi certam emendationem *Dorvillianam* νοσήσῃ (pro νοήσῃ) non dubitaſſem exprimere, ſi in tempore ſuccurriſſet; & *pag.* 63, 8, ubi τοὺς αὖθις recte per *poſteros* exponit Vir Celeb. Mitto alia. *J. J. R.*

rarunt, quod parva ſpes eſſet novæ editionis: quo nomine etiam gratiæ debentur Viro Celeberrimo, quippe ita in hac re verſato, ut prope nil aliorum ingenio ac diligentiæ reliquiſſe videatur. Vere poſſumus igitur de hoc Commentario prædicare, eum eſſe theſaurum emendationum & obſervationum in magnam partem Græcorum Scriptorum, quo in poſterum vix carere ſtudioſiores literarum, Græcarum inprimis, homines poſſint. Nunc, quoniam ſatis de univerſo Opere dictum videtur, ingrediamur florentiſſimum hujus Commentarii hortum, & quosdam quaſi flores hinc inde decerpamus.

Pag. 10, cum breviter monuiſſet, τὸ γενόμενον eſſe verbum hiſtoricum, degreditur ad vindicandum a ſupervacua *Bergleri* criſi locum *Herodoti Lib. I* init. Ὡς μήτε τὰ γενόμενα, inquit *Herodotus*, ἐξ ἀνθρώπων τῷ χρόνῳ ἐξίτηλα γένηται, μήτε ἔργα μεγάλα τε καὶ θωυμαςὰ - - - ἀκλεᾶ γένηται, &c. In hoc loco *Berglerus* in *Act. Erudit. A. 1716 pag. 38* pro γενόμενα legi voluit λεγόμενα, præter alia argumenta, non difficilia ad refellendum, veluti, in vulgata bis idem inepte dictum, quaſi ἔργα μεγάλα καὶ θωυμαςὰ nil differant a τοῖς ἁπλῶς γενομένοις, & idem eſſet μὴ ἐξίτηλα τῷ χρόνῳ γενέσθαι, maximum præſidium emendationis propoſitæ ponit in loco *Dionyſii Halic.* in *Ep. ad Pomp. Tom. II pag. 206*, ubi dicit, *Herodotum* res Græcorum & Barbarorum ſcripſiſſe ὡς μήτε τὰ γενόμενα ἐξ α. ε. χ. μήτε τὰ ἔργα, καὶ ἅπερ αὐτὸς εἴρηκε. Putes, hunc locum confirmare vulgatum. At *Berglerus* putat, vocem γενόμενα, in *Dionyſio* depravatam, inde a librario illatam *Herodoto*, quod eſt ſane valde argutum, & vix credibile. Sed rationem hujus opinionis affert hanc, quod clare diſtinguat inter τὰ ἔργα καὶ ἅπερ αὐτὸς εἴρηκεν. Nam, ſi γενόμενα legatur, non eſſe, quo referas, καὶ α. α. ει. Primum recte monet doctiſſimus *Dorvillius*, verba κ. α. α. ει. reſpicere tertium membrum, quod ſequitur τάτε ἄλλα, &c. deinde λεγόμενα eſſe dicta ab aliis, ἅπερ α. ει. ab *Herodoto*, adeoque diverſa. Τὰ γενόμενα & ἔργα ſunt res, quæ a quovis Chronographo ſcribi poſſunt; quæ *Herodotus* dixit, ſunt

causæ

cauſæ rerum geſtarum & ſimilia, quæ ab Hiſtorici prudentia & ingenio accedunt, & breviter præclareque explicantur in nobili *Ciceronis* ad *Lucceium* Epiſtola, & alibi. Porro, quid fiet loco *Luciani de ſcrib. hiſt.* §. 54, quem ignorare *Berglerus* non potuit, cum in nota *Gronoviana* laudetur? Dicendum etiam non ſimpliciter fuiſſet, λεγόμενα, ſed cum adjectione ἐν ἀνθρώποις: nam λεγ. ὑπ' ἀνθρώπων ſunt apophthegmatum ſcriptoris. Denique, quod *Berglerus* dicit, *Herodotum* poſuiſſe λεγόμενα, ne ſibi vitio verteretur, ſi falſi quid narraſſet, ſtultus ſane *Herodotus* fuerit, qui profeſſus ſit, ſe non vera traditurum, aut hauſta ex fidis monumentis, nec accepta ab hominibus fide dignis, αὐτόπταις, aut per ſe cognita, ſed τὰ λεγόμενα, *fabulas vulgi, famæ ludibria.* Nam τὰ λεγόμενα, hoc modo oppoſita τοῖς ἔργοις, ſunt *falſa, mendacia.* *Pag.* 44 ad verba *Charitonis*, τὴν ἅβραν τῆς Καλλιῤῥόης προσπίπτων φιλεῖν ἐποίει, primum προσπίπτων hic putat dictum *adulandi* ſignificatione, *Ariſtophani Eccl.* 690 *Xenophonti*que K. π. I, 14, uſurpata; quod non improbamus: etſi fortaſſe nihil impedierit, quo minus ſignificatione *aggrediendi* capiamus: non, ut violentiæ ſit, ſed *conatus cujuscunque*, etiam decipiendi, ut Latini dicunt, *fictis dolis aggredi*, & *aggredi aſtute*, item ſimpliciter. Atque ita cepit interpres *Reiskius*, Vir Doctiſſ. Deinde Viro Clariſſ. non videtur τὸ ἐποίει ſtare poſſe: neque enim paraſitum *feciſſe*, hoc eſt, *coegiſſe* ancillam, amare ſe: mavultque legi προσεποιεῖτο, orto mendo, cum τὸ πρὸς, ob præcedens προσπίπτων, excidiſſet: niſi quis malit προσπίπτοντα legere, ut ἐποίει referatur ad Acragantinum. Quod nobis non videtur neceſſarium. Simulabat ille ſane amores, ſed tamen & ſimulando ἐποίει φιλεῖν, neque in verbo ποιεῖν ſemper *cogendi* ſignificatio, ſed etiam *inducendi, perſuadendi.* Paraſitus quomodo ἐποίησε φιλεῖν ἑαυτὸν mox docet. Sequitur morem Scriptorum, qui, cum primum rem univerſe propoſuerunt, deinde modum rei perfectæ explicant. Illud autem recte monet, mox, in verbis, μόλις μὲν ἐπείθετο, legendum, ἔπεισε, vel ἔπεισε: item, pro ποῖτε λέγειν, τότε λέγειν, *tum vero dicendo*, ut *Theopraſt. Char.* 9 δανείζεσθαι

θαι κριθάς, τότε δὲ ἄχυρον, niſi forte etiam hoc loco addendum δὲ: τότε δε λ. Nec tamen omnino ſpernenda Interpretis opinio, τῶτε λέγειν: ſed illud exquiſitius, ideoque ingenio ſcriptoris, de quo ſupra diximus, aptius. Hæc de lectione loci: ſed non ſunt prætereunda, quæ ad vocem ἄβραν profert V. C. e copia doctrinæ. Primum affert titulum Latinum, editum a *Gorio*, in quo clare *Habrocomas:* unde confirmantur, quæ in *Miſc. Obſ. Tom. III pag.* 403 de adſpiratione verbi Græci dicuntur. Deinde occaſionem hinc ſumit, de variis Autorum locis dicendi. Recte dicit, apud *Heliod. VIII pag.* 389 αὔρα in ἄβρα mutatum: non, in illo *Plutarchi Cic. pag.* 470 e *Solani* ſententia idem faciendum: φήσαντος ἀκόλυθον Πομπηΐας ζητεῖν, Αὔραν τὔνομα. Nam *Plutarchus* non dicit ἄβραν ſimpliciter, ſed αὔραν τὔνομα. *Auram* eſſe cognomen fœmininum, Inſcriptiones plures docent apud *Fabrettum pag. XI, Vignolium Inſcr. ſel. pag.* 267, *Muratorium pag. MVI*, 7, &c. Ceterum notum eſt, quam ſæpe in his duabus literis turbatum ſit. Recte Καλαβρία in Καλαυρία mutatum in *Plutarchi Demoſt. pag.* 436. Difficilior res eſt in ejusdem *Timol. pag.* 139, ubi *Timoleon* dicitur ϛρατεύσαι εἰς Καλαυρίαν, quod interpres vertit in *Calabriam.* Id *Solanus* reprehendit: quod *Timoleon* non exceſſit Sicilia. Sed etiam debebat oſtendere, fuiſſe locum in Sicilia, qui Καλαυρία diceretur. *Dorvillius* eleganter judicat, legendum εἰς Καυλωνίαν, quæ urbs ſita fuit in mediterraneis verſus meridiem, ubi hodie dictum flumen *Murallo*, vel *Amurello*, influens in hodie dictum flumen *Salſo*, antiquum *Himeram* auſtralem. Hic ſitus optime convenit iis, quæ narrantur a *Plutarcho.* Atque adeo probabiliſſimum eſt, fluvium, quem tranſiit *Hicetas*, dum *Timoleon* erat ad *Cauloniam*, eſſe illum ipſum Δαμυρίαν, *Plutarcho* commemoratum, quem ante diximus vocari hodie *Murallo*, item *Amarellum, Amurelium.* Similiter Καλάυροψ & Καλάβροξ legitur. Sed illa ſcriptura, e judicio doctiſſimorum virorum, melior & antiquior. Etiam apud *Apoll. Rhod. IV*, 974, antiquiſſimum Codicem Florent. habere docet καλάυροπα, quod eſt etiam in Codice Guelpherbytano, quem

Digitized by Google

quem & aliis locis conſentire obſervavimus cum lectionibus Cod. Florent. a Viro Doctiſſ. in hoc Commentario prolatis, ut *pag. 114, 234, 665*. Diſcedit tamen etiam, ut *I, 917*, ubi plane ἀῤῥήτως, cum ille ſervet vulgatum ἀῤῥήκτως, pro quo legendum ἀῤῥήτως, putabant *Bizetus* & *Dorvillius pag. 476*. Nec dubitat *Dorvillius*, quin apud *Strabonem Lib. VII pag. 449, 8*, ὕλη γαύβρητα, quam *Ptolemæus* γαβρῆται vocat, vitioſa ſit, irrepſeritque vel υ, vel β, ex duplici orthographia. In *Lexic. Coisliniam. pag. 437* eſt λάβρα ϛενωπὸς, pro λαῦρα: & in *Etym. M.* pro λαβρόσσυτος recte reponitur λαυρόσσυτος, adſtipulante Cod. MS *Dorvillii*, accuratiſſime ſcripto, & prima editione, non agnoſcentibus vocem iſtam. Plura ejusmodi loca reperiuntur, ubi de talibus variationibus copioſe & erudite agitur, veluti de permutatione τῦ ι & ει in πορθμεῖον & πόρθμιον, aliisque ſimilibus, ejusque variis cauſis, vel a derivationis diverſitate, vel a librariorum imperitia, *pag. 83*, & *pag. 405* in nominibus primæ declinationis, item τῦ η & ει *pag. 102*, τῦ προ & προσ in compoſitis *pag. 144, 145*, λ & ν *pag. 235*, aliarumque literarum & verborum, quæ Index Græcus indicabit.

Pag. 62 disquirit, quid ſignificet ἀπόῤῥητον in verbis *Charitonis*, ζητήσατε τρόπον κολάσεως ἀπόῤῥητον. *Reiskius* explicavit *pœnas ſacrilegorum & parricidarum*, verteratque *indictum*. Si ἀπόῤῥητος eſt *indictus, arcanus*, non convenit, judice *Dorvillio*, notæ enim horum pœnæ. Si *horribilis, magnus;* ſunt ſane tales ſacrilegorum pœnæ. Foret igitur κόλασις ἀπόῤῥ. *exquiſita, gravis.* Sed propter verbum ζητήσατε *Dorvillius* vertit *novum*: quia & *novus* pro *magnus* & *terribilis* dicatur. Ceterum, ſibi aliquando veniſſe in mentem, fatetur, legendum forte ἐπίῤῥητον, hoc eſt, ut interpretatur *Heſychius*, ἐπίψογον, αἰσχρόν. Sed, ſi hic ſenſus placet, ἀπόῤῥητον quoque eſt *contumelioſum. Demoſt. Cor. §. 37:* κακῶς τὰ ἀπόῤῥητα λέγωμεν ἀλλήλυς. *Iſocrat. c. Lochit. init.:* ὥςε περὶ τῆς κακηγορίας νόμον ἔθεσαν, ὃς κελεύει, τὺς λέγοντάς τι τῶν ἀποῤῥήτων πεντακ. δράχμας ὀφείλειν. *Pag. 72 ſeq.* ad locum de *Callirrhoes* ſepultura, multa erudite

diſputantur, ad rationem ſepeliendi veterum pertinentia. *Chariton* fingit, *Callirrhoen* incombuſtam ſepultam eſſe, ut piratarum raptui locus fiat. At tamen, veluti oblitus ſui, dicit, *Chaream* cupiviſſe omnes divitias ſuas συγκαταφλέξαι τῇ γυναικί. Hunc nodum ita ſolvit *Dorvillius*, ut dicat, res pretioſas, quæ non proprie ad ornatum ipſius mortuæ pertinerent, crematas in mortuæ honorem, cetera cum mortua condita, quod apud Græcos & Romanos moris fuiſſe docet, eaque de cauſa licuiſſe *Charitoni* tale quid fingere, præſertim cum ejus ætate prope exoleviſſet comburendi conſuetudo. Hac occaſione oblata, etiam diſſerit de ſenſu verbi θάπτειν, & ſimilium, in vetuſtioribus libris, & *pag.* 75 de verbo θήκη ad locum *Platonis de Leg. XII pag.* 447, & de *Cryptis Syracuſanis*, quæ ſub tota *Achradina* longe lateque diſcurrunt, & loculamenta, unius corporis capacia, in vivo ſaxo inciſa, in plano ſolo juxta ſeſe exciſa pleraque, nonnulla duo, vel tria, unum alteri ſuperimpoſitum, oſtendunt. Has ille putat olim factas ad ſaxa inde extrahenda, quæ ædificationibus ſervirent, ſed poſtea, cum integra corpora ſepelire cœpiſſent, in uſum ſepulcrorum converſas. *Pag.* 85, 86, agit de verbo κροτεῖν & συγκροτεῖν ſenſu *cogendi* & *congregandi*, quem *Hemſterhuſius* tantum in compoſito agnoſcit: tum de altera ſignificatione *denſandi* & *ſpiſſandi*: quam non aſſecuti ſunt interpretes *Strabonis Lib. XIV*, 1044, in σινδόσι λίαν κεκροτημένοις. Etiam nupertus editor *Luciani* reprehenditur, qui *de Gymnaſ. Cap.* 29 συγκεκροτημένος, *compactus*, tentaverat (cum tamen idem verbum ſit in *Sympoſ. Cap.* 19, ubi aſſecutus eſt verum ſenſum *Guietus*,). Poterunt hinc etiam Lexica locupletari verbis εὐκρότητος, & συγκεκροτημένος; quibus, ut hoc obiter addamus, accedat ἐκκροτεῖν e *Joſeph. A. J. VI*, 2, 2. *Pag.* 132 exemplis idoneis docet, non ſemper eosdem modos in verbis ſervari, ſed indicativum conjungi optativo, vel conjunctivo, ſentienda magis, quam explicanda, de cauſa, quod tenendum, ne ſana tententur. *Pag.* 147 negat, ſe capere ſatis vel ſenſum, vel venerem, verborum, quibus *v.* 14 *Callirrhoe* queſta fatum ſuum, cum exoſculata eſſet imaginem *Chareæ* in annulo, dicit

Digitized by Google

dicit ἀληθῶς ἀπόλωλας, ὦ Χαιρέα, τοσούτῳ διαζευχθεὶς πάθει. Arbitramur, interpretem Latinum ſatis aſſecutum eſſe: *tanto caſu ſejunctus a me:* niſi forte τοιούτῳ legere quis malit. Πάθος vocant Græci omnia genera adverſæ fortunæ, quæ alicui eveniunt. *Thucyd. III, 113,* οὐ γὰρ ᾔδει τὸ πάθος: inprimisque in clauſulis narrationum talium ea voce utuntur. *Thucydides II, 54,* abſoluta de peſtilentia narratione, τοιούτῳ μὲν πάθει οἱ Ἀθηναῖοι περιπεσόντες ἐπιέζοντο &c. *Pag. 158* ineditum & non intellectum aliis Epigramma *Aſclepiadæ,* vel *Poſidippi,* proponit, & eleganter explicat: qualia & alibi aliorum profert, ut *pag. 24, 324, 332, 338, 348, 560, 516, 523, 529, 530 ſeq.* tria ex Itinerario *Pocockii* Ægyptiaco, tentata ab aliis, ſed parum feliciter, *pag. 628,* &c. *Pag. 193* verba *Charitonis* ἐγκεχαραγμένον μεγάλως recte interpretatur: *ſcriptum cum magnifico elogio in libro regio,* in quo Evergetæ conſignabantur, de quo alias verbo ἀναγράφειν uti veteres docet. Conf. *pag. 692.* Nempe verbum ἐγχαράσσειν non referendum ad tempora, quibus *ſculpebant* modo, nondum *ſcribebant,* ſed ponitur pro ἐγγράφειν. Simplex χαράσσειν manſit in numis, ſigillis, lapidibus, unde χάραγμα, *nummus, pecunia,* docente *Salmaſio* ad *Hiſt. Aug. Tom. II pag. 337, 518,* & *Du Cangio;* qua ſignificatione etiam uſus eſt *Antipater Anthol. VII, 16, pag. 480.* Sed ἐγχαράσσειν etiam ad ſcripturam tranſiit. Servavit autem ſcripturam, ſive Codicis, ſive Apographi, ἐγχαράσσειν, ſæpiſſime in Codd. lapidibus, & numis, obviam, ut jam *Falconerius* & *Spanhemius* docuere. *Pag. 198* admonet, *II, 7, pag. 33,* e προενεκεχυριασμένη, ſcriptura vitioſa, ſe feciſſe προηνεχυριασμένη: poſſe etiam ſcribi προεγκεχυριασμένη, quod ſane ſcripturam libri propius eſt, vel προηνεχυριασμένη. Forte etiam non ineptum ſit προσηνεχ. vel προσεγκεχ. quod verbum *Demoſth. c. Androt. pag. 707 ed. Wech.* ubi fluctuant libri inter προσενεχ. & προσηνεχ. Compoſita ex προ & προσ ſæpe permutantur, ut multis exemplis docet *Dorvillius pag. 111, 144.* Compoſitum ἐκ τοῦ πρὸ nuſpiam alibi reperitur. Attingit etiam controverſiam de *Phædro,* genuinus, an ſpurius, ſit, &, ſublata una & item altera dubitatio-

ne, *pag.* 113, 291, judicat, ſibi argumenta contra elegantiſſimum ſcriptorem, blandientia magis, quam idonea, videri. *Pag.* 234 pro ἀναλήψας rectiſſime reſcribendum cenſet ἀνανήψας: (etſi ἀναλαμβάνειν quoque dicitur pro *recipere ſe, recreari*; tamen ἀναλήψας nihili eſt,) idque vellemus in textum receptum. Similiter 2 *Tim. II*, 26, pro ἀνανήψωσι Cod. Claram. habet ἀναλήψωσι, ubi Vir doctiſſimus interpungendum putat poſt ἀνανήψωσιν, ut ἐκ παγίδος referatur ad ἐζωγρημένη cum *H. Stephano.* Legitimam enim locutionem & metaphoram eſſe ζωγρεῖσθαι ἐκ παγίδος: ἀνανήφειν ἐκ παγίδος, niſi, quatenus quem *conſternatum, non captum,* fingas, non æque bene dici videri. *Lucianum de Saltat. Tom. II pag.* 313 habere ἀνανήψαντα μετανοῆσαι. Quæ ſane valde probabiliter dicta ſunt; niſi forte cui verbum ἀνανήφειν videatur ab eo, quod eſt *recipere ſe*, accepiſſe valde conjunctam huic ſignificationem, *liberationis ab incommodo, finis facti malorum.* Apud *Joſephum* quidem *A. J. VI*, 11 *extr.* eſt ἀνανήψαντες ἐκ θρήνων, quod poſſis capere *cum deſiiſſent lamentari*, & οἱ ό *Thren. III*, 49. ἔκνηψιν dixere de *fine* ac *modo*, οὐκ ἔκνηψις. Ebr. לֹא תִדְמֶה: quod verbum habet ſignificationem *ſubſiſtendi, deſinendi, quieſcendi. Symmachus:* οὐκ ἐπαύσατο, τοῦ μὴ εἶναι ἄνεσιν: ſed illud ſane melius, propter verbum ζωγρεῖν, quod non eſt *capere maleficii cauſa*, ſed *conſervandi cauſa. Pag.* 241 attingit locum *Herodoti IV*, 191, καὶ ἄλλα πλῆθεϊ πολλὰ θηρία ἀκατάψευστα, & *aliæ multæ feræ non ementitæ. Monteſalconius, Paleogr. pag.* 343 agens de crebra permutatione ſyllabarum αυ & ευ, in compoſitis, reponendum cenſet ἀκατάψαυστα, *intractabiles. Gronovius* hanc ſententiam improbat, ex eo, quod ἀκατάψαυστος autoritate careat. In quo recte ei repugnat *Dorvillius*, nixus analogia vocis: ἀνατάψευστα autem negat locum habere, quod *Herodoti* non tam anilis credulitas fuit, ut animalia, de quibus dixerat, uſpiam fuiſſe crederet, qui paulo ante alia indicaverit, ὡς δὴ λέγεται γε ὑπὸ Λιβύων. Etenim non magis probat, ἀκατάψαυστα hic reponi, ſed, *Herodotum* dediſſe, cenſet, εὐκατάψευστα, *de quibus facile eſt mentiri*, in tanta longinquitate

loco-

locorum, quæ nemo adiit, aut adire poſſit, uſus, præter ſenſus elegantiam, loco *Strabonis Lib. I pag. 47, A*, ubi *Eratoſthenes* dicit, *Homerum* narraſſe multa fabuloſa de locis remotis, διὰ τὸ εὐκατάψευστον. In quo, nemo, aliquid intelligens, erit, quin prorſus Viro acutiſſimo aſſentiatur. Rectiſſime porro *pag.* 244, pro πάντων τῶν πραγμάτων ὀξύτατος ἐστιν ἡ Φήμη, reponendum cenſet ὀξύτατον. Etenim in hac forma adjectivum refertur ſemper ad genitivum, non ad ſequens ſubſtantivum: quod ſi eſſet, ſtare poſſet ὀξύτατος: quando ſatis conſtat, ſuperlativum maſculinæ terminationis jungi ſolere ſubſtantivo fœminino. *Pag. 258 ſeq.* erudite agitur de opinione veterum, formoſiores inprimis ab inferis, aliisque Diis, rapi, præcipue ſi ſubito, aut in prima ætate, mortui eſſent, qua perſuaſione ſe & alios conſolabantur, ſi quis in venando, natando, periiſſet, præſertim ſi corpus non inveniretur, unde multis locis lux. *Pag. 289* oſtendit, ſibi non placere *Scipionis Maffei* ſententiam, qui in opere *de Amphith. pag. 67* exiſtimat, ſolos Romanos Amphitheatra habuiſſe: ſibi veroſimile videri, Romanos Amphitheatri formam a Siculis ſumſiſſe. Nam *Curionem*, qui primus Romæ Amphitheatrum, ſed ligneum, fecit, in Sicilia aliquandiu fuiſſe: Syracuſis quidem rudera Amphitheatri conſpici, cujus ichnographiam ſe in Siculis ſuis exhibiturum. *Pag. 305* bene diſputat contra Virum doctiſſimum (is eſt *Taylor* ad *Lycurg. Or. pag. 328, 329*; vide *Acta* noſtra *A. 1748 Menſ. Febr. pag. 56*, ubi ſimiliter, nobis ſententiam Viri doctisſimi non probari, indicavimus,) qui verbis φθείρεσθαι πρὸς τινὰ εἰς κατὰ, & compoſitis εἰσφθείρεσθαι, παραφθ. ἐκφθειρ. ἀποφθειρ. eripere tentavit vim, quæ ipſis vulgo tribuitur, & deduxit a φθειρί. Primum negat, analogiam hoc pati, per quam a φθείρ non poteſt fieri a φθείρω, ſed φθειρόω, φθειριάω. φθειρίζομαι. *Heſychianum* illud: περιφθείρεται, τοὺς φθεῖρας συλλέγει, ἢ μειοῦται, ἐλαττοῦται, vel eſt e Comico, qui magis ſimilitudinem ſoni, quam analogiam derivationis, ſpectavit, vel legendum: περιφθειρίζεται τ. φ. σ. περιφθείρεται, μειοῦται, ἐλ. Verba φθείρω, σπείρω, & ſimilia, non ſunt a ſubſtantivis, ſed a verbis primiti-

vis. Uſus forte hic, aut illic, *lentum motum* non plane reſpuat, ſed tamen fere ubique *impetum & violentiam* deſiderat, neque adeo verbum hoc quidquam commune habet cum τῷ ἕρπειν; quod tamen ipſum non *tardum motum* per ſe indicat, ſed *motum* ſimpliciter, *in*, vel *juxta*, *terram*, unde pro *ire* etiam *feſtinanter ire* reperitur poſitum. Uſus ſcilicet in his ſequendus, non etymologicæ argutiæ. *Pag. 319 - 322* diſputatur de *Synchyſi*, plurimis locis prolatis, (quæ legant, velimus, novitii & acerbi Critici,) tali Synchyſi laborantibus, in quibus non temere aliquid tentandum demonſtrat. Inter alia etiam ſanum pronuntiat locum in *Luciani Abd. Tom. II pag. 180*, varie tentatum a viris doctis in verbis καὶ πρῶτος αὐτῆς ἀπολέλαυκας, quia ſtant alieno loco: quod nobis quoque dudum viſum, exiſtimantibus, hic data opera iſta verba οὐδὲν παρὰ σοῦ πρὸς τὸ μαθεῖν ἔχων, poſteriori loco poſita a *Luciano*, ut oratio melius cohæreret cum ſequentibus: τίνα διδάσκαλον ἐμισθώσω. Pariter commendanda eſt diſputatiuncula *pag. 394 - 401* de locis iis, in quibus verbum aliquod pluribus jungitur, quibus omnibus proprie non convenit, ut in illo *Charitonis*, quod huic diſputationi locum fecit: κατασπένδω τῶν γραμμάτων δάκρυα καὶ φιλήματα. Jam porro, cum aliis locis vel medicinam, vel lucem, afferat *Luciano*, (in quem cum totum Commentarios Cel. *Hemſterhuſii* negat deſituros deſiderare, qui, quid diſtent æra lupinis, judicare poſſint, vere & nobiſcum judicat *pag. 392*,) tum *pag. 370* loco, qui eſt in *Aſino Tom. II pag. 597*, ubi aſinus queritur de uxore heri ſui, a qua ſe coactum dicit ἀλεῖν καὶ πυροὺς καὶ κριθὰς ὅλας, ita eſt in editis: mox addit de eadem, μάζας ὅλας ποιοῦσα κατέπινεν, ἐμοὶ δὲ πίτυρον ἄριστον ἦν. Vertunt *hordeum omne*, *totas placentas*. *Moſes Solanus*, utrumque ſibi diſplicere, dicit, ſed multa in hoc libello eſſe imperite dicta. Id Cel. *Dorvillius* in hanc partem accipit, ut ὅλος ſignificatione *omnis* damnet, quæ poſteriori ætati propria eſt. Ceterum recte monet, vitium non eſſe ſcriptoris, ſed interpretum, qui non viderint, eſſe legendum ὀλάς. Nobis dudum venerat in mentem οὐλὰς, haud difficili conjectura: quippe notiſſimæ οὐλαὶ κρι-

Digitized by Google

κεῖθαι: quod eodem redit; illa ſcriptura inſolentior eſt, adeoque corruptelæ ſubjectior. Ceterum, ut hoc obiter addamus, in Cod. Gorlicenſi eſt τὸ ἄριστον ἦν. In ejusdem *Merced. C. Tom. I pag. 663* illuſtrans verbum θηρεύειν, oſtendit, non neceſſariam eſſe conjecturam Celeberrimi, &, ut merito vocat, de *Luciano* optime meriti, *Geſneri*, pro ἐκ παντὸς θεραπεύειν ἡδονὴν, legendum cenſentis θηρεύειν. Etenim, θεραπεύειν ἡδ. eſſe formulam uſitatam *Platoni Phæd. pag. 233*, ipſique *Luciano Bis Acc. pag. 818*. *Geſnerus* videtur τὸ ἐκ παντὸς ſpectaſſe, & ad verbum retuliſſe, in animoque habuiſſe formulas ſimiles Græcas & Latinas, veluti *Ciceronis, ex omni occaſione triumphum quærere*. Cel. autem *Dorvillius* haud dubie τὸ ἐκ παντὸς adverbialiter capit, intellecto τρόπου, quod addit *Ælian. V. H. III, 7, omni modo*, quo ſenſu etiam paſſim *Lucianus* dixit. Vid. *Perizon.* ad *Ælian. II, 4*. Utrumque in ſe rectum & bonum. Itaque libris ſtandum. Et, quoniam in hoc Dialogo ſumus, *pag. 661*, ut monet Noſter, *pag. 658*, ὅσον αὐτίκα non ſatis intellectum ab interpretibus, quod eſt nihil aliud, niſi *ſtatim, mox*. *Pag. 568* indicat, ſibi non placere quorundam egregiorum virorum opinionem, qui e varietatibus Codicum majoribus ſuſpicati ſunt de diverſis editionibus, olim ab Autore factis in *Achille Tatio, Maximo Tyrio, Lucano*, & aliis. *Heliodori* libros ſcriptos non minores varietates habere, quam illorum ſcriptorum, neque tamen propterea eo ſe deſcenſurum, ut earum cauſam ad ipſum *Heliodorum* referat. *Pag. 612, 613*, diſputat de voce συγκλὺς, per occaſionem citati *Scholiaſtæ Thucydidis* ad *V, 8*. Eam viri quidam docti ex omnibus libris proſcriptam vellent, repoſito συνήλυδος verbo: quod *Dorvillio* non placet. Nam, cum in trecentis locis illam exhibeant etiam antiquiſſimi Codices *Thucydidis, Platonis, Luciani, Strabonis, Dionyſii, Philonis, Joſephi*, aliorumque, cum in ſua ſerie literarum occurrat apud *Heſychium* & *Suidam*, cum habeat *Michael Apoſtolius* in ſuo Lexico, *Etymologicon M.* in Codice *Dorvilliano*, *Theodorus Prodromus VIII, pag. 346* in verſu, qui non conſtaret, ſi ξύνηλυς reponeretur, non eſt credibile, eam vocem ab his confictam, in illos autem

Digitized by Google

tem per conſpirationem librariorum inuſitatam invectam. Non negat, in nonnullis locis peccaſſe librarios, ſcripto συγκλὺς pro σύμηλυς: in omnibus quidem ita eſſe, non concedit. Si κλύζω facit κλὺς apud *Nicandr. Alexiph.* 170; cur non συγκλύζω etiam συγκλύς. *Pag.* 639 explicat locum *Valerii Fl. VII*, 560, non intellectum, de confeſſione ipſorum interpretum. Sermo eſt de *Jaſone*, cum tauris Colchicis depugnaturo:

Fixerat ille gradus, totoque ex agmine ſolus
Stabat, ut extremis deſertus ab orbibus axis,
Quem jam laſſa dies, auſtrique ardentis arenæ,
Aut quem Rhiphæas exſtantem rurſus ad arces
Nix & cærulei Boreæ ferus abſtulit horror.

Comparari dicit *Jaſonem* plauſtro, quod ſolitarium, & a ceteris deſtitutum, hæſit in agro, ſub veſperam. Ejus rei cauſas poetice adjici. Vel enim hoc accidiſſe in agris verſus auſtrinum polum, per excitatos ſubito arenarum cumulos, vel contra, (id eſt, *rurſus*,) per nivem & glaciem ſub polum arcticum. *Extremos orbes* eſſe ultimos currus: in iſtis enim regionibus multos ſimul iter facere *Caravanen;* in auſtrali regione arenas currum *abſtuliſſe*, i. e. obruiſſe; in ſeptentrionali nivem & glaciem; *exſtantem* dici ſecundo loco, quia plaga borealis altior, auſtrina depreſſior. Pace Viri ſummi dicamus, explicatio *ultimorum orbium*, & τῦ *abſtulit*, non ſatis nobis probatur. *Ultimus currus* potius dicendus foret is, qui deſtitutus eſt, & ſolus relictus, quam qui iter perſecuti in ſtabula venerunt. Tum ſignificatio obruendi non ſatis conveniret *Jaſoni* deſerto & ſoli, ſed oppreſſo & victo, propterea que a ſociis relicto. Univerſa ratio interpretandi perplacet: nam Poetæ fere calorem & frigus, & inde ortam noxam & periculum, ſic ſolent exprimere. *Horat. C. I*, 22, *Virg. Ecl. X*, 65. Sed *ultimi orbes* videntur eſſe regiones calidiores & frigidiores verſus ſeptentrionem & meridiem, qui ſane *orbes ultimi* dici poſſunt a Poeta. Tò *ab* etiam de loco & regio-

gione dicitur. *Abſtulit* autem referendum putamus eo, ut currus ille, propter laſſitudinem, vel ab æſtu in regione arenoſa, vel a frigore & nivibus in gelida, diſtractus ſit a ceteris, nec eos conſequi potuerit. Veriſſimum autem eſt, quod dicit, *Valerii* comparationes aliquid interdum obſcuritatis trahere ex eo, quod comparationes, præſertim jam occupatas ab aliis, novis coloribus illuſtrare & commendare conetur: veluti eam, quæ eſt *IV*, *287*, & *VII*, *605*, quas dextre explicat.

Etſi ſatis longi fuimus, tamen non poſſumus, quin aliquot ſpecimina proponamus criſeos *Dorvillianæ* in *Manilii* lectionibus vulgatis vel defendendis adverſus *Bentleji*, magni alioqui viri, conatus, vel emendandis. *Lib. IV v. 634* Pag. 283. deſcribit terrarum orbem, monſtraturus, quibus ſignis ſingula climata & ſingulæ regiones ſubjectæ ſint, enumeratque poſt majores inſulas, Siciliam, Sardiniam, &c. minores, his verbis:

Totque minora ſolo tamen emergentia ponto
Littora et æquales Cycladas Delonque Rhodonque.

Non recte ſe habere locum, id quidem apparet: nuſpiam enim verbum eſt, ſine quo ſenſus non conſtat. *Bentlejus* ergo ſic mederi voluit, ut reponeret in primo verſu *ſola &*, pro *ſolo*, in altero autem *Prætereo Ægæas*, ab initio. *Dorvillius* autem primo negat, *ſola* pro inſulis dici, bene contra *litora*, putat: *tamen* etiam in hac emendatione abſonum: pro *litora &* *æquales* autem reſcribere *Prætereo Ægæas*, id vero nimis audax eſſe. Ipſe contra, primo in verſu, pro *tamen* reponit *taceo*, & in altero *inæquales* pro *æquales*: quæ ſunt multo leniora & veriora. Eleganter item *Lib. II*, *666*, pro *metuit* 284. *ſine corpore quemquam* legendum cenſet *ſine compare*, id eſt, ſocio, comite; ubi *Bentlejus*, tribus verbis mutatis, legi vult, *meruit ſibi nectere quemquam*. *Lib. I*, *228*, de luna ſic editur in *Bentlejana*: 286.

Quod ſi plana foret tellus, ſemel orta per omnem
Deficeret pariter toti miſerabilis orbi,

P pro

pro vulg. *ſimul iſta per omnes deficeret*, ut jam viſum *Carioni*, nec repugnantibus libris. Sed ulterius progreditur *Dorvillius*. Primum in Cod. Oxon. & *Ald.* eſſe, *toto orbe* in altero verſu, eamque varietatem miratur non commemorari ab editoribus. Hanc lectionem habet etiam Codex Lipſienſis & editio Veneta *Mazochiana* anni 1510, 4, quam valde conſentientem Lipſienſi Codici reperimus. Deinde hinc ſuſpicatur legendum *toto merſabilis orbe:* cujus emendationis elegantiam facile omnes agnoſcent, ſi quidem ſuperiora de ortu & occaſu lunæ ſunt accipienda: ſin de eclipſi, *miſerabilis* com-
Pag. 287. mode explicari poteſt. Sed illud verius. *Lib. II, 226*, porro oſtendit, non male *alas* tribui *Lunæ:* quod *Scaligero ἰδιωτικὸν* videbatur, *Bentlejo* autem ita ineptum, ut totum verſum ſpurium pronuntiaret. *Lib. IV, 258*, in verſu:

Liliaque & Tyrias imitata papavera luces,

Bentlejus obtrudit nobis *Tyrios fucos;* male: cum *lumen, lux, lucere, ardor, ignis*, de purpura paſſim dicantur. Sed in eodem libro locus deſperatus omnium judicio feliciter ſanatur a *Dorvillio, verſ. 406:*

Cenſibus æquantur conchæ: rapidumque notari
Vix quisquam eſt locuples: oneratur terra profundo.

Quia in Cod. Lipſ. & *Voſſ.* pro *notari* eſt *notori*, *Dorvillio* felix in mentem venit conjectura, ut legendum putaret: *lapidumque nitori*, id eſt, margaritis, quas lapillos vocari, jam dudum docuit *Broukhuſius*. Ita perſpicuus & elegans exiſtit ſenſus. Plura qui volet, inſpiciat *pag. 327, 388, 473, 507, 542, 543, 589, 638*, &c. Non eſt etiam prætereunda notitia Codicis antiquiſſimi *Euclidei*, manu ſcripti, quæ *pag. 49* reperitur.

Ceterum gratulamur Viro Celeberrimo hoc illuſtre ingenii doctrinæque monumentum, optamusque, atque rogamus adeo vehementer, ut eruditum orbem quamprimum *Itinere Siculo*, & *Anthologia* nova editione, donare atque exhilarare velit.

MARMO-

MARMORA TAURINENSIA, DISSERTA-tionibus & Notis illuſtrata.

Pars I.

Auguſtæ Taurinorum, ex typographia Regia, 1743, 4 maj. Alph. 1 plag. 15, cum 23 Tabb. æn.

Libri hujus Autores, quos eſſe geminos, Societati Jeſu addictos, juvenes, *Antonium Rivautellam*, & *Jo. Paulum Ricolvi*, ex dedicatione, ad *Carolum Emanuelem*, auguſtiſſimum Sardiniæ Regem, directa, & ex Præfatione, patet, ad hunc librum ſcribendum & evulgandum permovit amor patriæ, & quod videret, omnes pæne urbes Italiæ ſingularibus libris expoſitas & declaratas ſuas inſcriptiones habere. Indignum itaque judicarunt, permittere, ut Auguſtæ Taurinorum marmora, & præſtantia, & numero, ſi usquam ulla alia, memorabilia, diutius ignoratione publica premerentur. Qua in re efficienda quo uſi fuerint conſilio & inſtituto, docet Præfatio, unde colligitur, tironum uſibus hanc operam maxime deſtinatam eſſe. Fallitur profecto, qui multa nova, inedita, haud in vulgus nota, hic requiſiverit, quamvis, eorum adeſſe quædam, non negemus. Demas aliena & non neceſſaria omnia, faſtidioſas omnes in mythologiam excurſiones, operoſas rerum per ſe luculentarum declarationes, & longas in rebus non controverſis citationes, non multum libro reliquum facies. Præfatio ſat longa eſt, & iſagogen quaſi aliquam in ſtudium epigraphicum præſtat. *Primum* marmor inter hic recenſita Taurinenſia *Jovem* ſiſtit haſtatum; unde Autoribus occaſio facta de *Jovis* haſta diſſerendi; *ſecundum Eutociam* aliquam tauroboliatam; unde ipſis natus ſermo de Tauroboliis & Crioboliis ſacris, & figuram, hæc ſacra exhibentem, ex *Boſio* allegandi occaſio. Sequentes *ſex*, vel *ſeptem*, tabulæ *Bacchas*, & Bacchanalia, exhibent, faciuntque noſtris locum, de feſto illo amplius diſſerendi. Inter alia recte monent *pag. 76*, imaginem illam, quæ in *Theſauri Antiquit. Græcar. Vol. I pag. 6* conſpicitur, non eſſe

Parcarum, quod exiſtimavit *Gronovius*, ſed *Baccharum*. Memorabile præſertim eſt ordine *nonum* monumentum, *Orpheum a Bacchis* Thraciæ diſcerptum monſtrans. Ea enim occaſione data, fuſe Noſtri de *Orpheo* diſſerunt, & ineditum adhuc opuſculum Græcum *Conſtantini Laſcaris*, prælectiones nimirum, quas ille Mediolani olim recitavit, Poetam iſtum publice expoſiturus, utroque ſermone ex Bibliothecæ Regiæ Pariſienſi Codice MSto produnt. Dignumne fuerit regiis typis chartisque, certe ſplendidis & elegantibus, commentum Græculi ſordidum & nugamentis obſitum, judicent alii. Curaſſent modo, vellemus, id minus vitioſe prodire, ſed enormibus nunc mendis ſcatet. Implet libellus iſte longum ſpatium a *pag. 93* ad *105*. Notas illi quoque addiderunt a *pag. 105* ad *119*, in quibus levia explanant, ſalebroſa transſiliunt, cum tamen ſuperſint in illo opuſculo nodi vindice digni, ſi quis, eos vindicare, ſe dignum putet, neque prorſus leve Schediaſma contemnat. Ita e. c. *pag. 96* Græca: Πρῶτος μυςήριον τȣ̃ Βάκχȣ καὶ τῶν ἄλλων θεῶν τοῖς Θραξὶ καὶ τοῖς Ἀριςοφάνȣς βατράχοις ἐφεῦρε, καὶ ταῦτα ἐν Σαμοθράκῃ τῇ νήσῳ συνέςησε, ſic vertunt: *Primus (Orpheus) Bacchi aliorumque Deorum myſteria, quæ Thracibus ſolennia fuerunt, & ab Ariſtophane in Ranis celebrantur, adinvenit.* *Pag. 96* Græca, ſic expreſſa: ὡς δηλοῖ τὸ Κνιδίȣ τῆς Μακεδονίας ἐπίγραμμα ἡρωελεγοῖων, vertunt: *ut Cnidii Macedonis diſtichon oſtendit epigramma*, & paulo ante in eadem *pag.*: ἐτελεύτησε - - παρὰ γυναικῶν ἀποκλανθεὶς ὡς Βηβαῖος, καὶ ὁ δοθεὶς χρησμὸς Κύρῳ τῷ Πέρσων βασιλεῖ ἐν Λυρνήσσω τῆς Λέσβȣ, ὅπȣ μαντεῖον ἀψευδὲς παρὰ μαθητȣ̃ τινὸς τȣ̃ ποιητȣ̃ συςάθη, τὴν κεφαλὴν αὐτȣ̃ ἐκεῖτε νομίζαντος, *diſcerptus profecto eſt a mulieribus, ut conſtans docet oraculum, Cyro, Perſarum regi, datum Lyrneſſi prope Lesbum, ubi haud incertum vaticinium a quodam Poetæ diſcipulo, illius caput illic eſſe, opinante, factum fuit.* Atqui debuerat ἀποκτανθεὶς. ὡς βεβαιοῖ καὶ ὁ δοθεὶς, &c. & ἐκεῖσε κομίσαντος, legi, & verti: *peremtus fuit a mulieribus, quemadmodum etiam perhibet & affirmat claro argumento datum Cyro regi Perſarum oraculum Lyrneſſi, ubi ab Orphei quodam diſcipulo inſti-*

inſtitutum fuerat ejusdem oraculum mentiri neſcium, qui diſcipulus nempe ſui magiſtri caput eo ſecum attulerat. Pag. 97 illa Græca: καὶ γὰρ ἀοιδικοῖς καὶ περιβοήτοις πράξεσι κατεργάσεται, bene quidem vertunt *magna & præclara facinora peraget*, debuerant tamen etiam emendare, ἀοιδίμȣς καὶ περιβοήτȣς πράξεις κατεργάσεται, modo recentioris Græculi ſolœciſmo correctione opus ſit. *Pag. 101* mortem *Eurydices*, & *Orphei* ad inferos, ejus recuperandæ cauſa, deſcenſum, explicaturus, Græculus ita nugatur. Referemus autem omnia, ut jacent, fideliter: Τȣ̃τ' ἐςὶν ὁ 'Ορφεὺς ἠγάπησεν ἐπιθυμίαν καὶ ἦχεν αὐτὴν ἣν ἐδίωκε ἡ ἀρετὴ καταλάβειν. ἐκείνη δὲ ἔφυγε καὶ καταχλάνθη ὑπὸ τῶν κηρύκων καὶ κατῆλθεν εἰς τὴν ἀφανείαν ἀνενέγκειν αὐτὴν εἰς τὸ φῶς, καὶ ἐνερχομένην πάλιν διεδέξατο ἡ κακία. Hæc ſic vertunt: *Fabulæ hic ſenſus eſt: Eurydice, quam Orpheus adamavit & duxit, concupiſcentia eſt; hanc virtus, ut caperet, perſequebatur, at illa fugiens a cerycibus interfecta eſt, (a cenſoribus morum correpta & diffamata,) deſcendit Orpheus in obſcurum, ut eam iterum in lucem adduceret, jamque emergentem malitia rurſus excepit.* Egregii illi *ceryces* etiam notam ſatis amplam merebantur *pag. 113* & *114*. Atqui parum attentionis requiritur ad deprehendendum, pro κηρύκων legendum eſſe κήρων, *a vitiis ſtrangulata fuit concupiſcentia.* Quod confirmant ſequentia: *Improbitas rurſus eam reſorpſit.* Sed, ne nimii ſimus, procedamus. *Decimo* loco proponitur ara *Silvano* ſacra, & ſimul adjecta imago ſacrificii, *Silvano* facti, ex Theſauro *Begeri* transſumta, explicatur: in qua imagine quare canis inter alia conſpiciatur, docetur. Ipſius marmoris Taurinenſis initio legitur *Silvano Aug.* Poſterior vox quomodo legenda ſit, videri poſſet ambiguum. *Fabrettus Auguſti* maluerit; ſed cum ideo Noſtri taxant, qui tantum *Silvano Auguſto* probant. *Undecimo* loco repetierunt monumentum, a *Grutero* & *Guichenono* jam editum, ſaxum ſcilicet votivum, genio municipii Seguſini ſacrum, ſimulque de geniis diſſerunt, de juribus municipiorum, de Seguſio, & regno *Cottiano*. *Pag. 149* rurſus exhibent jam ſæpius editam arcus Seguſini inſcriptionem, ſed ſollicite reviſam, &

Digitized by Google

tanta cura expreſſam, ut literæ, in arcu deficientes, colore obſcuriore deſignatæ fuerint. In Præfatione promittunt novam hujus ipſius Seguſini arcus editionem, & in eum Commentarium. Quod tandem in illo Seguſino ſaxo votivo legitur U. P. legendum eſſe *Urbis præſes* aſſeritur. *Duodecima* tabula Taurinenſis Tritones exhibet; *decima* autem *tertia* hermam *Menandri*, eique adjunctam *Homeri*, jam a *Grenovio* & aliis editas. Iſtius enim *Menandreæ* fragmentum Taurinum venit; cetera quo devenerint, incertum. Simul de vita *Menandri* & *Homeri* diſſeritur. *Quarto decimo* loco fragmentum occurrit Græci lapidis, quod ſupplere ſtudent. In eo legitur & hoc inter alia: ΦΙΛΗΠΙΣΤΗ, quod pro una voce, & nomine viri, accipiunt, & reddunt. Sed præſtat ipſa eorum verba exponere. φιληπίςη, *vocabulum hoc*, inquiunt, *quod nec* H. Stephani *Theſaurus, nec ullum Gloſſarium, habet*, * fidei amantem virum, *cujus nimirum fides corrumpi non potuerit, qui nullo periculo deterreri potuerit, ne datam fidem exſolveret, commiſſumve ſibi negotium ad finem perduceret, ſignificat.* Erunt procul dubio, qui Latina hæc mirabuntur, ac, intelligere ſe, negabunt; ſed mirabuntur plures, ab editoribus hujus monumenti deprehenſum non eſſe, quod φίλη πιςὴ duæ ſint voces, & uxorem *caram fidamque* notent. *Decimo quinto* loco venit marmor, *Tiberio* Imperatori poſitum A. C. 42. Tam frequentes ſunt huic erecti lapides, ut, eos collegiſſe ex parte, & collecturos porro ſe eſſe, Noſtri ſcribant, &, aliquando edituros, promittant *pag. 189.* Quod *ſextum decimum* locum occupat, eſt tabula marmorea, *Trajano* Imper. inſcripta, & A. C. 103, aut 104, erecta. *Septimo decimo* loco columna apparet, *Trajano* eidem, *Æſculapio*, & *Hygeæ*, inſcripta, in qua explicanda ſibi aquam hærere, ipſi fatentur. En, ea hæc eſt:

DIVO

* Mirum id nobis non eſt. Miraremur e contrario & ſtuperemus, ſi compoſitionem inauditam & monſtroſam φιληπίςη haberent.

DIVO TRAIANO

C. QVINTIVS.
ABASCANTVS.
TEST. LEG.
MEDICIS TAVR.
CVLTOR
ASCLEPI. ET
HYGIAE.

Dignum eſt, interpretes ipſos audire *pag.* 217. *Hæret pane nobis aqua*, inquiunt, *Inſcriptione iſta interpretanda, quæ eſt eo obſcurior, quo brevior. Nec enim facile eſt, dijudicare, quid ſibi velint verba illa* Divo Trajano, *& quid commune habeant cum reliqua Inſcriptione, a qua tamen ſejuncta data opera fuiſſe videntur. Obſcuritas autem bujus Inſcriptionis non ex ullo ejus oritur vitio, at potius ex ignoratione loci, in quo poſita fuerit, quem ſi divinare poſſumus, tunc perſpicua erit, & ne voculam quidem unam tanquam neceſſariam deſiderabis. Nos conjectamus, ſtetiſſe hoc marmor aut in veſtibulo, aut in adytis, alicujus ædis, vel templi,* Trajano *nuncupati, in quo Æſculapius etiam & Hygia ut contubernales Dii colerentur, ita ut hæc ſit epigrammatis ſententia: Ædem banc Divo Trajano ſacram Cajus Quintus Abaſcantius cultor Æſculapii & Hygiæ teſtamento legavit Medicis Taurinenſibus, ut fortaſſe in ea ſtatis anni diebus epulentur, & Divo Trajano, Aſclepio, & Hygia, ſacra faciant.* Differunt deinceps de Diis medicis, & oſtendunt, Medices, quorum, quod Taurini olim fuit, Collegium hic memoratur, non tam eos fuiſſe, qui pharmacis ægros, quam qui vulnera manu, curaverint. *Decimo octavo* loco proponitur columna, *Conſtantio* Imperatori & *Gallo Cæſari*, fratri *Juliani*, dicata A. C. ferme 353. Simul amborum res geſtæ breviter exponuntur. Quod idem quoque fit in columna, *Juliano* Apoſtatæ circa A. 361, aut 362, conſecrata, quæ loco *XIX* prodit. *Vigeſimum* tandem monumentum eſt, quod

quod ex *Guichenono* jam vulgaverat *Sponius*, ſed non emendatiſſime; & ex quo, ut ajunt Noſtri, clare intelligitur, *balneum publicum & piſcinam apud Taurinos olim exſtitiſſe, templumque Divæ* Druſillæ *ſacrum, & inſtitutas ſacerdotes fœminas, quæ cœleſti religione Auguſtam ſtato die tanquam Deam colerent*. Inde de gente Aſprorum, de Sacerdotibus fœminis Auguſtarum, ut *Fauſtinianis, Mammæanis* puellis, de Flamine & Flaminica, de balneorum inſtauratione, Diisque, diſſeritur.

COMMENTARII DE REBUS, PERTINENtibus ad Ang. Mar. S. R. E. Cardinalem Quirinum, Partis ſecundæ Liber primus.

Brixiæ, ex typographia Jo. Mariæ Rizzardi, 1749, 8 maj. Plag. 18.

Pergit in enarrando vitæ ſuæ curriculo Eminentiſſimus Pater Purpuratus, atque huic labori alacrius perſequendo difficilis ille, cui per plures menſes implicitus fuit ipſe, morbus adjumenta tulit. Imas quippe pedis utriusque partes præcipue circa malleolos contraxerat, corrugarat, & quodammodo aduſſerat, jugis ad ignem commoratio hiemalis. Iſte morbus adeo benignus erat, ut tunc non unum ſingulis hebdomadibus folium, quod ante ſolebat, ſed duo, Em. *Quirinus* prelo committeret. Pendet hinc fuſior nonnullorum momentorum conſignatio, quam ſequentia, de more noſtro repetenda, demonſtrabunt. Sunt inprimis Epiſtolæ Italicæ, ſeu Latinæ, quarum fide conſiſtunt narrationes. Illas qui ſcripſerunt, ſunt, ex ordine literarum, hi: *Benedictus XIII*, Pont. Max. *Benedictus XIV*, P. M. *Corn. Bentivolus*, Purpuratus, *Andr. Cornelius*, Venetus Legatus, *Coſmus III*, M. D. Etrur. *Cæſar Eſtreus*, Purpuratus, *Franc. Fenelonius*, primarius Antiſtes Cameracenſis, *Andr. Herc. Fleurius*, Purpuratus, *Greg. Galliſius*, Abbas Montis Caſini, *Car. Majella*, Præſul Romanus, *Jo. Bapt. de Miro*, Congr. Caſin. Præſes generalis,

Bern.

Bern. Montfauconius, Ord. S. Bened. *Lud. Ant. Noallius*, Purpuratus, *Petrus Otthobonus*, Purpuratus, *Fabric. Pauluccius*, Purpuratus, *Cæleſtinus Pezzangherus*, Antiſtes Imerienſis, *Leander de Porzia*, Purpuratus, *Jo. Bapt. Ptolemæus*, Purpuratus, *Jo. Quirinus*, D. *Marci* Procurator, *Euſeb. Renodotius*, *Alamannus Salviatus*, Purpuratus, *Joſeph. Maria Sandius*, Bibliothecæ S. *Juſt.* præfectus, *Scalionus*, a ſecretis epiſtolarum ad Principes, *Nic. Maria Tedeſchus*, primarius Antiſtes Apamenus, *Cath. Felicitas de Torcy*, Marchioniſſa, quo publicis typis antea mandatas conſcriptiones reticeamus. Complectitur autem *Liber* ille *prior* res Noſtri poſt Italiam repetitam a menſe Majo A. 1714 usque ad 25 Nov. A. 1727, idque *XVI Capitibus*. *Primum* agit de itinere, Janua Venetias usque confecto, & mora ibidem transacta; *alterum* de Venetiis ineunte Julio relictis, Tarviſium, indeque Patavium, adeundi cauſa; de ſuſcepto poſt itinere Florentiam verſus per Ferrariam, Mutinam, & Bononiam; *ſequens* de ſeceſſu Florentino ab Octobri ad Novembris exitum; *quartum* de actis in urbe Roma a medio Decembri ad Septembrem usque anni 1715; *quintum* usque ad finem Novembris; *ſextum* de luſtratis a menſe Decembri ad Octobrem anni ſequentis regni Neapolitani ſacrorum Ordinum tabulariis, Caſinenſi, Averſano, Neapolitano, Cavenſi; *ſeptimum* de reditu ſub initium Novembris ad urbem, deque luſtratis a Pontifice ſolenni ritu libris orientalibus, Bibliothecæ Vaticanæ addictis, nec minus de nuncupata ipſi oblataque menſe Aprili A. 1717 Diſſertatione de monaſtica hiſtoria; *ſequens* de adito Cœnobio Farfenſi eodem menſe medio, deque hiſtoria illius a reditu imprimi cœpta, & impedimentis, publicationi objectis; *nonum* de Græcorum officiorum emendatione per Pontificem A. 1718 injuncta, & aliqua ex parte tribus conſecutis annis effecta veterum Codicum manu ſcriptorum ope, mirisque Pontificiæ beneficentiæ documentis compenſata; *decimum* de exhibito poſt annum medium 1721 *Innocentio XIII*, & ejus fratri, purpurato patri *de Comitibus*, officii quadrageſimalis Græcorum Volumine, deque controverſiis, quibus idem paulo poſt obnoxium fuit, & illarum

rum ergo capto Romæ A. 1722 deſerendæ conſilio; nec minus de vita S. *Benedicti* Latino-Græca, Venetiis evulgata A. 1723; tandemque de primarii Antiſtitis Corcyrenſium delata dignitate; *ſequens* de Romam ſuſcepto itinere ſub initium Octobris, & conſecratione propter recens acceptum munus; de Venetiis intra Decembrem repetitis, deque profectione ad inſulam Corcyram menſe Martio A. 1724; *duodecimum* de appulſu ad inſulam ineunte Junio, ſuſceptisque novi muneris partibus; de conſiliis item, ob vacantem ſedem patriarchalem Venetorum captis, ſed a Noſtro, propter amorem erga ſuam ſponſam, non æque probatis; *tertium decimum* de mora Lycienſium in urbe menſibus Auguſto binisque autumnalibus anni 1725 ducta, de repetita Corcyra menſe Decembri, de profectione Romam ac legatorum Chriſti limina viſitandum menſe Junio anni 1726, ac tandem de incredibili benignitate *Benedicti XIII*, quæ profectionem illam fortunavit; *antepenultimum* de cura Pontificis ad purpuram ſacram evehendi Patricii Veneti, de adito Sublacenſi Cœnobio poſt inviſas Tuſculi, Albani, & Tiburtis, civitates, de verſione, deque reliquis ſub exitum anni 1726 peractis; *penultimum* de Beneventano itinere, præſtitisque ibi jugiter Pontifici officiis, deque aliis, intra Martium & Majum A. 1727 peractis, e. g. expreſſis Pontifici ænea de tabella exemplaribus, edito Enchiridio Græcorum, aditis Neapoli, Capua, Caſino, hujusque Cœnobii ædis ſacræ dedicatione. *Extremum* denique tractat ab anni dicti Junio menſe ſuſcepta & peracta: quo pertinent iter Romanum, conatus Antiſtitis Brixienſis ergo, poſt ejus obitum ſucceſſionis gratia motus, animi Pontificii ab oratore Veneto alieni reconciliatio, hiſtoriæ *Petri Comeſtoris* editio ſuſcepta, tandemque ad Patris Purpurati dignitatem evectio. Pertinent eodem duæ paſtorales Epiſtolæ, quarum altera Corcyrenſi ſponſæ ſuæ valedixit Emin. *Quirinus*, altera novam Brixianam ſalutavit, de junctis ſibi cum eadem nuptiis gratulatus. Utriusque exordium hic inſeritur. At longe plura ſunt, quæ, nobilem *Quirini* animum indicantia, paſſim inſeruntur, inprimis eodem *ultimo Capite*, quo ſublimem ad Purpuram evectionem vivide eleganterque ſummus Vir depingit.

ICO-

ICONUM ANATOMICARUM PARTIUM corporis humani Faſciculus tertius. Arteriæ Capitis, Thoracis, Meſenterii, Renum. Autore ALBERTO HALLER, Phil. & Med. Doct. Med. Anat. Bot. Chirurg. Prof. Publ. Ord. Archiat. & Conſil. Aulic. ſupremi Senatus Bernenſis Ducentumviro, Soc. Reg. Angl. & Suec. Sod.

Gœttingæ, apud Abram. Vandenhoeck, Academiæ typogr. 1747, fol. maj.

Plag. 17½, cum Tabb. æri inciſ. 6.

Anatome vaſorum, per corpus humanum excurrentium, ab omni quidem tempore ſimul cum aliis Anatomes partibus, ſed minus accurate, tradita fuit, ita ut illa hoc inprimis ſeculo evoluta videatur. Quem latet, Celeb. *Ruiſchium*, qui ſuo quidem tempore in arte vaſa corporis replendi excellebat, in evolvendis minimis vaſorum ſurculis, iisque curate depingendis, inſignem operam adhibuiſſe, ſed partes ſingulares, hinc inde depromtas, examinaſſe, nexum autem ſitumque vaſorum omnium nullibi declaraſſe. Præ omnibus reliquis laudandus eſt *Winslovius*, qui vias vaſorum, a corde ad omnes corporis partes tendentium, egregie definivit. Laudabilem hanc induſtriam imitatur & perficit Ill. *Hallerus*, qui in Faſciculis ſuis icones egregias & deſcriptiones concinnas exhibet, omniaque cum ſcriptis aliorum Anatomicorum comparat, ut continuationem laudandi hujus inſtituti avide exſpectemus. *Tabula prima* hujus Faſciculi nobis ſiſtit iconem Arteriæ pharyngeæ, a nemine adhuc ſatis accurate deſcriptæ. Effractum nimirum eſt jugum, & late patent ea, quæ inter maxillas & proceſſum maſtoideum poſita ſunt, inprimis carotis conſpicitur, & multi rami, qui ex ea procedunt, delineantur. Pharyngea, de qua potiſſimum hic agitur, ſupra thyroideam ſuperiorem, quæ anteriori loco exit, poſterius educitur, & minor ramus eſt, qui tamen a latere usque ad ſummum pharyngem excurrit, & præter ramum ſuperficialem ad glan-

 dulam

dulam parotidem & ramum ad nervum octavi paris, ganglion intercoſtale, ſcalenum muſculum, rectum internum, & longum colli, variis ſurculis excurrentem, variis aliis ad pharyngem & partes vicinas abit. *Tabula altera* Carotidis externæ iconem tertiam, quam Autor dedit, ſcilicet arterias faciei, ſiſtit. Arteriam labialem, quam alii cum *Winslovio* maxillarem externam dicunt, cum ramis variis, quos ante, quam ad maxillam inferiorem accedit, dimittit, cum jam præcedenti icone illuſtraverit; nunc ulteriores ejus ramificationes a latere menti proſequitur, eodem modo arteriam transverſalem faciei, ex temporali ortam, cum ſurculis variis depingit, arterias, circa orbitas erumpentes, addit, temporalem profundam & veram temporalem majorem, cum omnibus ramificationibus, ad frontem & ſinciput excurrentibus, deſcribit. Delineatio vero omnium harum Arteriarum faciei eo præſtantior redditur, quod plurimarum venarum faciei deſcriptiones adduntur. *Tabula tertia* Arteriarum, anterius in pectore ſitarum, delineationem ſiſtit, & venas primarias quoque addit. In pectore aperto & pericardium, & thymus, & quidem duplex, nec non majora vaſa venoſa, conſpiciuntur, omniaque in collum usque ad thyroideam glandulam producuntur, inprimis vero mammaria, thymica, pericardio-diaphragmatica & alia vaſa, nitide delineantur. *Tabula quarta* Arteriarum bronchialium binas figuras exhibet. In utrisque pulmones cum corde & mediaſtino exemti, aſperæ arteriæ, œſophagi, & aortæ, partes, quæ in thorace a parte poſteriori conſpiciuntur, delineantur. In prima figura aorta ad ſiniſtrum, in altera ad dextrum, latus reflectitur, quo vaſa utriusque lateris bronchialia eo melius conſpici poſſint. Venæ azygos nonnullæ ramificationes, & œſophagea, & intercoſtalia vaſa, ſimul adumbrantur. *Tabula quinta* Arteriarum meſentericarum delineationem ſiſtit. Colon cum meſocolo reclinata ſunt, ut omnis coli ambitus conſpiciatur, & duodeni etiam pars inferior transverſa appareat, inteſtina tenuia reſecta ſunt, ita ut vaſorum, tum arterioſorum, tum venoſorum, arcus, ex quibus rami ad tenuia ducuntur, conſpician-

Digitized by Google

ciantur. Coli vero vaſa omnia ad ipſum inteſtinum usque deducta exhibentur, & anaſtomoſes accurate indicantur. *Tabula ſexta* Arteriarum renalium & vicinarum iconem ſiſtit. Abdomen apertum oſtenditur, ſeparatis hepate, liene, ventriculo, inteſtinis cum annexis partibus, ita ut fornix diaphragmatis, renes cum ſuprarenalibus glandulis, & vaſa majora, in conſpectum prodeant, & ex his vaſa minora undique deducantur. Phrenica, capſularia, renalia, adipoſa, ſpermatica, tandem nonnulla quoque vaſa, in pelvi poſita, exhibentur.

DE UNIVERSALI PRINCIPIO ÆQUILIbrii & motus, in Vi viva reperto, deque nexu inter Vim Vivam & Actionem, utriusque Minimo, Diſſertatio, Autore SAM. KOENIGIO, Profeſſ. Franeq.

Cum nuper hic Aquisgrani, quo valetudinis cauſa veni, ab amico primum mihi referretur, (in noſtra Friſia enim talibus de rebus aut ſero, aut nunquam, auditur,) multum in Germaniæ quæri de *Minimo Actionis, tanquam univerſaliſſimo Mechanicæ principio;* cupide admodum ea, quæ hactenus acta ſunt, ex illo cognovi, multum ſane lætatus tam præclaris tentaminibus ad conſtituendum momentoſiſſimum Philoſophiæ naturalis locum, quem propter imperitum odium Virium vivarum, in hujus generis quæſtionibus plane regnantium, ſummo nobiliſſimæ ſcientiæ damno, vel negligi, vel contemni, jam dudum dolebam.

Quoniam itaque & ego multum quondam ſtudii temporisque in his rebus examinandis conſumſi, nonnullaque, ni fallor, ad liquidum perduxi, quorum naturali obſcuritate, etiam nunc poſt tantos progreſſus, ſolertiam acutiſſimorum Geometrarum retardari intelligo; non cunctandum putavi, in honorem Clari Viri, quem de his rebus maxime egiſſe audio, & a cujus libris non ſemel doctior diſceſſi, in hoc itineris otio, pauca, forte memoriæ adhuc inhærentia, his de rebus

Digitized by Google

ſcribere; idque adeo, quod cum fructu nunc maxime dici poſſe intelligo, laudato hoc Viro ad verum appropinquante, cujus ingenii luce non ſolum has res mirifice illuſtrari, ſed autoritate etiam ingenioſorum ſtudiis commendari poſſe, intelligo. Perſuaſus, pro candore Viri, mihi familiaritate quondam & amicitia conjuncti, notoque ejus veritatis ſincero ſtudio, me, ſi quid recte dixero, magnam ab eo gratiam initurum; cujus appetentior qualibet laude, laborem ſcribendi, quem ſemper maxime deſugi, ſuſcipio, ut amicitiæ tribuam, quod laureolæ ſemper negavi.

Quæ itaque de *Minimo Actionis*, in modificationibus motuum obtinente, in genere proferuntur, vehementer laudo. Incluſa enim ſuis limitibus, de quibus dicturus ſum, vera ſunt; continentque fœcundum, longeque pulcherrimum, Dynamicæ ſublimioris principium, cujus vim in difficillimis quæſtionibus ſæpe expertus fui.

Quando autem, Minimum Actionis in ſtatu Æquilibrii locum habere, affirmatur, ſi ſtricte hoc aſſertum ſumitur, diſſentio. Comperi enim, ſtatus Æquilibrii proprietatem eſſentialem hanc eſſe, ut in eo *Vis viva ſit abſolute nulla*, quod idem de *Actione* valet. Adeoque, ſi accurate loqui velimus, Æquilibrium promanat ex *principio nullitatis Vis vivæ & Actionis*, *minime* vero ex principio *Minimitatis earundem*.

Quoties autem in caſu motus actualis, ſollicitationibus continuis ad centrum, aut centra, virium geniti, datur re vera Vis viva & Actio, tum, ſyſtemate in ſitum, alias Æquilibrio reſpondentem, delato, regulis de Maximis & Minimis locus quidem eſt; ſed tum & Vis viva & Actio non *Minimum* efficiunt, ſed *Maximum*; quo fit, ut illa ſapientis parſimoniæ ſpecies, quæ conſilium oſtendere videtur, hoc ſenſu accepta, prorſus evaneſcat.

Sed illa maxime, quæ ad commendandam univerſalitatem principii de Minimo actionis, de defectu principii Virium vivarum, proponi audio, ſtare, meo judicio, non poſſunt, quin naturæ vis inferatur, & aditus ad ipſum fontem harum veritatum præcludatur. Etenim tam arcta & naturali ſocietate Actio

Actio Vi vivæ conjuncta eſt, ut diſtrahi non poſſint, quin fundamentum, cui Viri Clariſſimi ſua ſuperſtruxerunt, ſimul ruat; quod eorum acumini ſe ſubduxiſſe, non credo.

Aſſumunt enim, conſentientibus *Leibnitio*, *Wolfio*que, qui primi his de rebus recte ſcripſerunt,* *Actionem eſſe ut velocitatem ductam in ſpatium.* Quoniam itaque *ſpatium eſt ut velocitas ducta in tempus*; ſequitur, *Actionem eſſe ut quadratum velocitatis in tempus*, id eſt, ut *Vim vivam ductam in tempus*; ut iisdem hujus doctrinæ autoribus placuit. Ex quo efficitur in caſu æqualitatis temporum, *Actiones eſſe ut Vires vivas.* Quo dato, confitendum eſt, quotiescunque Actio Maximum Minimumve exhibet, non poſſe non, in caſu temporum æqualium, Vim vivam idem Maximum Minimumve complecti.

Quæ ſola conſideratio ſatis oſtendit, nihil in conflictu corporum e principio minimæ Actionis derivari poſſe, quod iisdem verbis ex minimo Virium vivarum deduci non poſſit. Quod leges motus, quas corporibus perfecte duris ex principipio minimæ Actionis aſſignari video, prorſus evertit; fallaciam argumento ſubeſſe oſtendens, ni modus reperiatur, easdem leges ex Viribus vivis derivandi, quod fieri poſſe, ego non arbitror. Sed de his explicatius paulo poſt.

Palmarium autem argumentum, quo utuntur ad ſegregandum principium Virium vivarum a principio Minimæ Actionis, hoc eſt: leges Statices, ſeu Æquilibrii, e principio Minimæ Actionis derivari poſſe, ex theoria Virium vivarum autem non poſſe. Quod longe aliter ſe habere, certum habeo. Fateor equidem, primo ipſum doctrinæ Virium vivarum parentem, *Leibnitium*, deinde derelictæ hujus veritatis tutorem & defenſorem, *Jo. Bernoullium*, horumque exemplo reliquos ejusdem fautores & amicos, *Hermannum Bulfingerum*, ſeu *Graveſandium*, &c. liberaliter hoc dediſſe adverſariis, in univerſa Statica Vim vivam non obtinere, ſed aliam pror-

* *Commentar. Acad. Petropolit. Vol. I pag.* 217, ibidemque in *Scholio pag.* 232, 233.


proſſus diverſam, quam dixerunt *mortuam*, facto maſſæ in velocitatem initialem æſtimandam; & ſic omnium conſenſu hanc provinciam regendæ Staticæ Viribus vivis fuiſſe ademtam. Sed in hoc nimis feſtinanter omnes: ignoratione enim juris Virium vivarum in univerſam Mechanicam adverſariis conceſſerunt, quæ nunquam concedere debuiſſent, quandoquidem ſalva natura concedi non poſſunt. Sed, quod ingenii humani fatum eſt, nimis alte inhæſerat ſummorum hominum mentibus antiquum præjudicium, leges Staticas ex facto velocitatis initialis in maſſam æſtimandas eſſe, quoniam probabilior ratio non occurrebat, hæc vero experientiæ videbatur conſentanea; hasque ob cauſas adeo a novis principiis, nondum multorum autoritate firmatis, haud facile eradicandum. Ego, cum veri falſique inter ſe pugnantibus conſequentiis multum diuque conflictatus, tandem decernere coactus fui, non ſolum illam Virium æſtimationem *Carteſianam* per *velocitatem in maſſam* falſam eſſe, ut mira ingenii felicitate *Leibnitio* primum innotuit; ſed etiam, quod hactenus adverſariis quaſi tranſigendi cauſa de Viribus mortuis datum fuit, concedi amplius non poſſe. Illamque adeo æſtimationem Vis mortuæ ex celeritate in maſſam hypotheſin pronuntio omnino ſenſu carentem, natam e præpoſtero & perverſo uſu iſtius motus infinite parvi, machinis æquilibratis cogitatione impreſſi, pro rationibus ponderum explorandis, æquilibrium efficientium: quæ perverſitas adeo fuit obvia, & ſenſui communi aperta, ut eam multi excellentium Geometrarum paſſim reprehenderint, alias demonſtrationes Elementorum Staticæ quærentes; quamvis, quid huic principio inſit veri, quid admixtum ſit ſpurii, nemo unquam diſtincte expoſuerit.

Itaque, cum quondam in Gallia Illuſtris tum fœminæ Marchioniſſæ *du Chatelet* ardenti Virium vivarum ſtudio ſatisfacturus, harum difficultatum originem diligentius ſcrutarer, cognovi, omnem Æquilibrii ſtatum, tam ſolidorum, quam fluidorum, ex theoria Virium vivarum derivandum eſſe, eoque fui perductus, ut, nulla alia ratione, ſalvis generaliſſimis Dynamicæ principiis, & naturæ ſimplicitate, idem fieri poſſe,

cre-

Digitized by Google

B. I ad Nov. Act. Erud. A. 1751 M. Mart. P. I. pag. 129. ſeq.



Digitized by Google

credam: quod fuſe in Tractatu, quem his de rebus ſcripſi, perſecutus ſum, qui apud ipſam, me diſcedente, remanſit, &, ſi renuntiata vera fuere, interiit, neque poſtea, aliis negotiis immerſus, de talibus cogitandi, ante hunc diem occaſio fuit. Adeo autem perſpicue, plane, & uniformi ratione, e viribus vivis leges Staticæ dimanant, ut, hac via inventa, puduerit, tantum mihi temporis in rei tam obviæ inveſtigatione periiſſe. Hanc itaque momentoſiſſimam rem, qua univerſa Dynamica continentur, hac occaſione, eximiorum Virorum ſcrupulis invitatus, proponam; &, quo facilius intelligar, agam primo craſſiori Minerva, proponendo Problema ſequens:

Problema.

Dato vecte ponderibus A & B *onuſto, circa hypomochlion* C *mobili; determinare per Methodum Virium vivarum rationem diſtantiarum ponderum ab hypomochlio* C, *in caſu Æquilibrii.* TAB. I Fig. 1.

Solutio.

Supponatur, vectem non æquilibrari, ſed deſcendere pondus *A* in *a*, & deſcendendo elevare alterum *B* in *b*. Dicantur pondera *A* & *B*, *gA*, & *gB*, (nominando gravitatem naturalem *g*) diſtantiæ eorundem *CA* & *CB* ab hypomochlio *C*, *a* & *b*, deſcenſus autem ponderis *A*, ſeu linea *aP*, dicatur *x*. Et erit propter triangula *CaP*, *CbQ* ſimilia, *Qb*, ſeu linea adſcenſus ponderis $B = \frac{bx}{a}$. Conſequenter, quoniam Vis viva, ſyſtemati *ACB* nunc inhærens, æqualis eſt Vi vivæ, deſcenſu libero ponderis *A* ex altitudine *Pa* genitæ, ſubtracta Vi viva adſcenſu libero ponderis *B* per altitudinem *Qb* deſtructæ; erit illa (ductis nimirum ponderibus in altitudines deſcenſus & adſcenſus) $gA.\,x - gB.\,\frac{bx}{a} = \frac{gx}{a}\,(aA - bB)$.

Quodſi itaque ponatur, hanc Vim vivam eſſe nullam, ſeu $= 0$, quo caſu ſyſtema quieſcit, adeoque in æquilibrio manet, prodibit $aA - bB = 0$, ſeu $aA = bB$. Quod oſtendit, in caſu, quando pondera diſtantiis ab hypomochlio ſunt reci-

Digitized by Google

proce proportionalia, Vim vivam nullam generari, adeoque vectem in æquilibrio manere. Inventum itaque eſt Theorema fundamentale Staticæ per Methodum Virium vivarum, Q. E. I. Sed, quoniam in re controverſa maximique momenti verſamur, agamus accuratius, per Definitiones & Axiomata, ut in hac nova ratione hoc evidentiſſime pateat, quo argumenti genere ex motu actuali ſuppoſito ſtatus æquilibrii demonſtrative colligi poſſit.

Definitio I.

Corpora duo, aut plura, ita inter ſe quomodocunque connexa, ut unum moveri non poſſit, quin reliqua ſimul moveantur, *Syſtema corporum* appellamus. Tale eſt machina, virga, ſive rigida, ſive flexilis, ſive elaſtica, & multis in caſibus maſſa fluida.

Lemma I.

Elementum Vis vivæ, ſollicitatione, aut vi motrice quacunque *P*, generatum, aut deſtructum, æſtimandum eſt per hanc vim motricem *P*, ductam in ſpatiolum *dx*, quo mobile propius acceſſit ad centrum virium, aut longius ab eo receſſit. Itaque $+Pdx$ repræſentabit Elementum Vis vivæ generatum, contra $-Pdx$ Elementum Vis vivæ deſtructum. Demonſtrationem brevitatis gratia nunc omitto; res enim per ſe ſatis eſt obvia.

Corollarium. I.

Quoties itaque in Syſtemate uſu venit, ut aliæ ejus partes ad centrum, aut centra, ſollicitationum accedant, dum aliæ ab eodem, aut iiſdem, recedunt, hocque pacto in partibus accedentibus Vires vivæ generantur, in recedentibus vero deſtruuntur; Vis viva totalis, tempore minimo in Syſtemate generata, æſtimanda eſt per ſummam Elementorum Virium vivarum, acceſſu generatarum, ſubſtracta ſumma Elementorum receſſu deſtructarum; ut in exemplo vectis paulo ante videre licet.

Corollarium II.

In æſtimanda itaque quantitate Vis vivæ, ſive in unico corpore, ſive in pluribus continuis ſollicitationibus, genitæ, nulla omnino ratio viæ habenda eſt, a corporibus deſcriptæ, ſed ſollicita-

licitationum ſolum & linearum acceſſus & receſſus a dicto centro virium, & ſumma facienda omnium Elementorum Virium vivarum, quæ in ſingulis a centro diſtantiis mobili ſucceſſive impreſſæ, aut in eo deſtructæ, fuerunt. Quæcunque ſit via corporis, ſive liberi, ſive ſyſtemati innexi, eandem acquiret velocitatem, modo ex eadem diſtantia a centro, velocitate initiali, ſive eadem, ſive nulla, exierit, & ad eandem diſtantiam pervenerit. Sic grave cadens ex *A* verſus lineam horizontalem *BE* eandem ſemper Vim vivam hoc deſcenſu acquiret, ſive per rectam *AB*, ſive per quamlibet curvarum *AC*, *AD*, *AE*, deſcenderit. Eſt autem in hypotheſi *Galilæana* *AB* linea acceſſus ad centrum virium, quod ut infinite remotum ſpectari debet. TAB. I Fig. 2.

Definitio II.

Abſentia motus actualis, in ſyſtemate viribus quibuslibet continue ſollicitati, vocatur *Æquilibrium.*

Axioma I.

Quoties Vires ſyſtemati ita ſunt applicatæ, ut ab earum ſollicitationibus nulla Vis viva in eodem generari poſſit, ſyſtema moveri nequit, ſeu quieſcit, adeoque æquilibratur.

Theorema I.

Si in vecte pondera* A *&* B *fuerint reciproce ut diſtantiæ* CA, CB, *ab hypomochlio* C: *datur Æquilibrium.

Demonſtratio.

Negatur. Itaque movebitur vectis, & movendo ex ſitu *ACB* perveniet in ſitum quemlibet proximum, *aCb*, ut deſcenſus ponderis *A*, ſeu acceſſus ad centrum virium, ſit *aP*, adſcenſus autem, ſeu receſſus, ponderis *B* ab eodem, ſit *Qb*. Erit itaque (*Lem. I & Coroll.*) Vis viva in ſyſtemate genita $gA.\ Pa - gB.\ Qb$. Sed lineolæ *Pa*, *Qb*, ſunt ut *CA*, *CB*, propter triangula ſimilia *CPa*, *CQb*. Adeoque, ſurrogando æqualibus æqualia, Vis viva ſyſtematis erit ut $(gA.\ CA - gB.\ CB)$. Sed *per hypotheſin* propoſitionis $gA.\ CA = gB.\ CB$, ſeu $gA.\ CA - gB.\ CB = 0$. Quoniam itaque, ſtante hac hypotheſi, a ponderibus applicatis nulla Vis viva generari poteſt, vectis mo- Fig. 1.

veri nequit (*AX.*), adeoque propter abſentiam motus actualis datur in illo Æquilibrium (*Def. 2*). Q. E. D.

Theorema II.

Si pondus M *ſuper plano inclinato poſitum fuerit ad pondus* N *ſecundum directionem plani* AC *retrahens, ut longitudo plani* AC *ad ejusdem altitudinem* BC: *dabitur Æquilibrium.*

Demonſtratio.

TAB. I Fig. 3. Negetur. Ergo movebitur ſyſtema, & ſe movendo perveniet in ſitum quemlibet proximum *mn*, ut deſcenſus ponderis retrahentis *N* ſit *Nn*, contra adſcenſus ponderis *M* ſit *rm*. His poſitis, Vis viva in ſyſtemate ſic genita erit $gN.\ Nn - gM.\ rm$ (*Lem. I & Coroll.*) ſeu $gN.\ AC - gM.\ BC$, quoniam propter Δ^{la} *Mrm*, *ABC*, ſimilia *Nn*, ſeu *Mm*, & *rm* ſunt ut *AC* & *CB*. Sed $gN.\ AC = gM.\ BC$, ſeu $gN.\ AC - gM.\ BC = o$. *per hypotheſin.* Ergo, quoniam Vis viva generata nulla eſt, ſyſtema moveri nequit (*Ax. I*), adeoque datur Æquilibrium (*Def. 2*). Q. E. D.

Compoſitionem Virium ſimili modo eleganter demonſtrare licet ope Lemmatis ſequentis.

Lemma II.

Fig. 4, 5. *Si per Parallelogrammi angulum quemlibet* A *ducatur recta* YX *utcunque; in eandemque cum ab extremitatibus laterum* B & C, *angulum comprehendentium, tum a vertice oppoſiti anguli* D, *ducantur normales* BM, CN, DR, *ſumma rectarum* AN + AM = AR; *ſi modo normales* BM & CN *cadant intra Parallelogrammum, ut* Fig. 4, *aut differentia earundem* AN — AM = AR, *ſi dicta normales cadant extra Parallelogrammum, ut* Fig. 5.

Demonſtratio.

Obvium eſt, Triangula *DRL* & *CNL* eſſe ſimilia, & propter paralleliſmum laterum *AB*, *DC*, etiam Triangulo *BMA* ſimilia. Eſt itaque $CL : DL = LN : LR$ & componendo erit $CL + DL\ (CD) : CL = LN + LR\ (NR) : LN$, & alternando $CD : NR = CL : LN$. Sed, quoniam Triangula *CLN*, *BAM*, ſimilia ſunt, erit etiam $CL : LN = BA : AM$. Conſequenter $CD : NR = BA : AM$. Quoniam itaque $CD = BA$, erit etiam $NR = AM$; adeoque, addendo utrinque rectam

ctam MN, erit $RM = AN$, &, addendo rurſus utrinque rectam AM, prodibit in caſu primo $AN + AM = AR$. TAB. I Fig. 4.

In caſu vero altero, ſubtrahendo ab eadem recta MN æquales NR & AM, remanet $RM = AN$, &, ſubtrahendo rurſus utrinque AM, relinquitur $AN - AM = RA$. Q. E. D. Fig. 5.

Corollarium.

Quoniam, producta Diagonali DA in G, ut $DA = GA$, & dimiſſa ex puncto G in rectam LO normali GR' propter Triangula ADR, AGR', ſimilia & æqualia $AR = AR'$; conſequens eſt, eſſe etiam $AR' = AN + AM$, in caſu primo, aut $AR' = AN - AM$ in caſu altero.

Theorema. Fig. 6.

Si punctum A *ſollicitetur tribus viribus, quarum binæ, lateribus* AC, AB, *parallelogrammi proportionales, trahunt ſecundum directiones horum laterum, tertia Diagonali* AD (= AG) *proportionalis, trahit in directione* AG, *directionibus laterum* AC, AB, *oppoſita: punctum* A *erit in Æquilibrio.*

Demonſtratio.

Negetur. Itaque movebitur punctum A, & motu tranſibit in locum quemlibet proximum a. Jungantur puncta A & a recta XY, &, ut decet, arcubus circularibus abſcindantur lineolæ acceſſus & receſſus ad centra virium G, B, C, puta rA, ma, na, & ex dictis centris demittantur normales GR, BM, CN, ad rectam YX. Quandoquidem itaque punctum A ſollicitationibus cedit, tranſitque in locum a, ingenerabitur ipſi Vis viva $AG.\ rA - AB.\ ma - AC.\ na$ (*Lem. I*). Et, quoniam Triangula elementaria Ara, Ama, Ana, hypothenuſam communem Aa habentia, ſimilia ſunt Triangulis AGR, ABM, ABN, unum alteri, lineolæ, rA, ma, nr, ſunt, ut $\frac{AR'}{AG}$, $\frac{AM}{AB}$, $\frac{AN}{AC}$. Quibus rationibus ſurrogatis, erit Vis viva puncti A ut $AR' - AM - AN$, ſed $AR' - AM - AN = 0$ (*Lem. II* & *Coroll.*). Ergo Vis viva, *ex hypotheſi* genita, nulla eſt; conſequenter, cum abſque ea motus dari nequeat (*Ax. I*), punctum A in Æquilibrio eſt (*Def. 2*). Q. E. D.

En itaque Demonſtrationem compoſitionis virium ex theoria Virium vivarum deductam, quam qui expenderit, meliorem vix deſiderabit. Quando enim ex aſſumta diſpoſitione ſyſtematis & proportione virium oſtenditur, nullam Vim vivam, id eſt, nullum principium motus, in ſyſtemate naſci poſſe, nonne ex principio omnium clariſſimo ſimpliciſſima ratione Æquilibrium ſyſtematis ſollicitati evictum videtur? Sed adjungemus ſimili modo demonſtrationem principii Hydroſtatici, præmiſſa, Lemmatis loco, propoſitione ſequente, cujus latiſſimus uſus eſt per univerſam Dynamicam.

Lemma III.

TAB. I Fig. 7. * *Si fuerit ſyſtema lineæ inertis* M (M) *æqualium maſſarum infinite parvarum* M, M′, M″, *&c. quod ſollicitetur verſus centrum* O *ſollicitationibus* P, P′, P″, *&c. utcunque in diverſis a centro* O *diſtantiis variabilibus: Elementum Vis vivæ in tota linea inerte, dum in ſitum quemlibet proximum progreditur, a cunctis ſollicitationibus ſimul genitum: æquale erit Vi vivæ, quæ ſucceſſive in unico maſſæ Elemento* M *percurrendo recta via totam lineam acceſſus* (M) a *ab iisdem ſollicitationibus generaretur,*

Demonſtratio.

Ducantur rectæ MO, $M'O$, $M''O$ &c. $(M)\ O$, & centro θ, hisque rectis tanquam radiis arcus circulares Mra, $M'sb$, $M''c$. $M'''d$ &c. deſcribantur.

Quoniam itaque lineæ acceſſus maſſarum M, M', M'', M''' &c. ſunt ab, bc, cd, & eorundem ſollicitationes acceleratrices P, P', P'', P''' &c. ſequitur (*Lem. I & Coroll.*), Vires vivas in iisdem generatas fore, $M\ P\ ab + M'\ P'\ bc + M''\ P''\ cd$ &c. ſeu, quoniam maſſæ æquales ſunt $M\ (P\ ab + P'\ bc + P''\ cd)$, quandoquidem autem Vis viva unice dependet a quantitate lineæ acceſſus ad centrum virium, & ſollicitationibus in ſingulis ejusdem punctis mobili impreſſis (*Lem. I Coroll.*

* *Figura* hæc in *Tabula II, alteri Menſis Martii Parti* acceſſura, *n. 1* comparebit.

roll. 2); manifeſtum eſt, Elementum Vis vivæ in tota linea inerte (*M*) *M* acceſſu quolibet minimo, ad centrum virium *O* generatum, æqualem eſſe illi Vi vivæ, quæ Elemento unico *M* libere totam lineam acceſſus (*M*) *a* permeando ab iisdem ſollicitationibus ingeneraretur. Q. E. D.

Corollarium I.

Itaque hoc modo inveniri poterit Elementum Vis vivæ, tali acceſſu momentaneo in qualibet maſſa veluti congenitum; modo talis maſſa prius ad ejusmodi lineam inertem æqualium maſſarum reducatur. Quod qua ratione fieri debeat, Geometris notum.

Corollarium 2.

Quodſi diſtantia indeterminata veluti *Oc* dicatur x, & ſollicitatio in puncto *c* fuerit ut quælibet diſtantiæ functio X, & Elementum Maſſæ dicatur dM, Elementum Vis vivæ, hoc modo generatum, erit ut $dM\int Xdx$, &, ſi plura fuerint centra virium, ut $dM\int Xdx$, $dM\int Ydy + dM\int Zdz +$ &c.

Corollarium 3.

Si maſſa fuerit Cylindrus (*M*) *L* Vi gravitatis naturalis deſcendens per ſpatiolum *Mm*. Quoniam in hac Hypotheſi linea acceſſus, ab univerſis Elementis Cylindri deſcripta, eſt tota altitudo Cylindri (*M*) *M*, dabitur Elementum Vis vivæ ducendo Elementum maſſæ $M\lambda$ in altitudinem (*M*) *M*. Idem valet de adſcenſu, ut per ſe patet. TAB. I Fig. 8. *

Hujus *Corollarii* præclarus uſus eſt in definiendo tam motu, quam æquilibrio fluidorum in tubis communicantibus. Declaratur poſterius Theoremate ſequenti. †

MONITUM AD ASTRONOMOS, AUTORE DE LA CAILLE, ex Academia Scientiarum Regia, occaſione obſervationum, quas juſſu Regis Chriſtianisſimi trans Æquatorem eſt habiturus, ex Gallico Latine redditum.

Ex quo tempore mihi contigit, in Aſtronomis Academiæ Scientiarum Regiæ numerari, aggreſſus & proſecutus ſum la-

---

* Et hæc *Figura* accedet *Tabulæ II*, quæ cum *Menſis* hujus *Parte II* prodibit, ibidemque locum *ſecundum* occupabit.

† Cetera, quæ reſtant, *altera* hujus *Menſis Parte* legentur.

Digitized by Google

laborem diuturnum circa ſtellas, in horizonte Pariſienſi conſpiciendas. Optaverat Academia, abſolvi hoc opus, obſervando eadem methodo ſtellas auſtrales, fierique obſervationes loco tali, ubi eodem tempore parallaxis lunæ determinari, & in oppoſitione Martis perigæi, nec non conjunctione Veneris inferiori, denuo tentari, quousque parallaxis Solis ſtabiliri queat. Juſſu proin Regis, conſentientibus Statibus Fœderatis, annum agam in Bonæ Spei promontorio. Parallaxis vero ſummo rigore determinari nequit, niſi per obſervationes plurium inter ſe convenientes, habitasque eodem tempore in duabus extremitatibus arcus cujusdam meridiani. Invito proin omnes Uraniæ devotos, ac idoneis gaudentes inſtrumentis, aggrediantur has disquiſitiones, perquam utiles ad progreſſum Aſtronomiæ & navigationis. Rogo præcipue, obſervent altitudines meridianas adjectorum ſiderum, diebus adſcriptis; aut determinent minimum micrometro teleſcopii 6, aut 7, pedum, differentias, declinationum dictorum ſiderum circa tempus tranſitus per meridianum, ſumma notantes cura verum tempus cujusvis obſervationis. Ego meo officio qui ſatisfacturus ſim, jam dicam, & cauſas ſimul aperinum, cur has elegerim obſervationes, quibus, ut ſint in Europa, qui mecum ſuum ſtudium adhibeant, vehementer opto. Ipſum momentum tranſitus aſtri per meridianum monſtrabit inſtrumentum tranſitus. Horum altitudines obſervabo ſextante, radii 6 pedum, ſtructuræ perquam ſolidæ, cui ſuum micrometrum, lampas, lens perquam convexa, & in genere nihil deeſt eorum, quæ excogitata ſunt, quo obſervationes cum exactiſſimæ redderentur, tum commodiſſimæ. Cum Mars obſervandus, aut Venus, attendam provide, quo filum pendulum radat idem diviſionis punctum, nec minimam patiatur alterationem, toto temporis intervallo, præterlapſuro inter tranſitum planetæ & tranſitum ſtellæ, cum qua iſtum comparabo. Sic ut ſolus micrometri curſor itu ſuo differentiam parallelorum metiatur. Semper obſervabo altitudinem meridianam marginis Lunæ, aut Veneris, ejus, qui rotunde terminatus; in Marte vero marginis borealis.

Pro Parallaxi Lunæ.

Stellarum, quotidie in Lunæ parallelo exiſtentium, eas reliquis prætuli, quæ 1) magnitudinis primæ, aut ſecundæ; obſer-

vari

vari enim poſſunt filis non illuminatis; 2) quæ fere una cum Luna per meridianum tranſeunt; 3) quarum declinatio borealis eſt 7, aut 8, graduum, cum tranſeant per meridianum ſub eadem altitudine Pariſiis & in promontorio, daturæ proin maximas parallaxium ſummas, & a refractione omnium minime affectas; 4) quæ non tranſeunt per meridianum, niſi tribus horis ante, aut poſt Lunam circiter, cum alteratio magna, in temperie aeris, tanto inconſtantiores reddet refractiones, quanto longius eſt intervallum inter tranſitus Lunæ & ſtellarum; 5) quæ daturæ parallaxes in oppoſitione, aut quadraturis, Lunæ in apogæo, aut perigæo, quæcunque ſint diſtantia a Luna; 6) quæ circa limitem maximæ declinationis lunaris obſervantur; tunc enim ipſum veriſſimum momentum tranſitus Lunæ per meridianum minus neceſſarium eſt. Hæ ſunt rationes, ſequentes cur prætulerim fixas. Tempora ſunt pro meridiano Pariſienſi; & nota manus obſervationes, quæ maximi ſunt ponderis, deſignat.

1751 Martii. Tranſ. per merid.

		H.	M.
4	☾	5	53
	ν ♊	6	59
	μ ♊	7	7
5	☾	6	51
	ν ♊	6	55
	μ ♊	7	3
	δ ♊	8	0
6	ζ ♊	7	41
	☾	7	48
8	☾	9	28
	α ♌	10	39
9	☾	10	16
	π ♌	10	27
10	☾	11	4
	β ♍	13	20
11	☾	11	49
	ε ♌	11	50
	γ ♍	13	1
13	☾	13	15
	α ♍	13	37

1751 Martii. Tranſ per merid.

		H.	M.
17	δ ♏	15	56
	☾	16	19
20	ο ♓	18	49
	☾	18	50
Aprilis.			
6	☾	9	11
	δ ♍	11	40
7	☾	9	55
	γ ♍	11	23
	ζ ♍	12	19
13	δ ♏	14	18
	☾	14	22
14	δ ♏	14	14
	☾	15	12
Maji.			
9	☾ ☞	11	35
	β ♏	12	45
10	☾	12	24
	δ ♏	12	36
11	δ ♏	12	32

1751 Maji. Tranſ. per merid.

		H.	M.
	☾	13	12
12	δ ♏	12	28
	☾	14	1
Junii.			
7	δ ♏	10	44
	☾	11	7
8	δ ♏	10	40
	☾	11	55
9	δ ♏	10	36
	☾	12	45
10	☾	13	34
	π ♓	13	40
Julii.			
4	δ ♏	8	52
	☾	8	56
7	☾	11	24
	π ♓	11	48
Auguſti.			
2	☾	8	26
	π ♓	10	1

1751 Auguſti. Tranſ. per merid.

		H.	M.
3	☾	9	16
	π ♓	9	57
13	γ ♈ ☞	16	7
	☾	17	40
Septembris.			
2	β ♑	9	21
	☾	9	40
7	ζ Pegaſus	11	24
	☾	13	51
8	γ Pegaſus	12	52
	☾	14	45
Octobris.			
3	☾	10	57
	γ Cetus	13	53
10	☾	17	41
	ζ ♊	17	45
Novembris.			
1	ζ Pegaſus	8	2
	☾	10	31
3	γ ♈ ☞	11	5

1751 Novembris. Tranſ. per merid.		H.	M.
	☾	12	27
	ε ♉	12	39
4	☾	13	29
	ζ ♉ ...	14	44
	ζ ♊ ...	16	11
5	☾	14	31
	ζ ♉	14	40
	ζ ♊ ...	16	7
6	ζ ♉ ...	14	36
	☾	15	33
	ζ ♊ ...	16	3
	Decembris.		
2	☾ .. ☞	12	4
	ζ ♉	12	45
	ζ ♊ ..	14	14
3	ζ ♉ ...	12	41
	☾	13	7
	ζ ♊ ...	14	10
6	α ♋ ...	15	51

1751 Decembris. Tranſ. per merid.		H.	M.
	☾	16	2
7	α Orion	12	43
	☾ ...	16	51
27	☾	7	14
	γ ♉ ...	9	41
	α ♉ ...	9	57
29	☾	9	30
	♃	9	30
	ζ ♉ ..	10	49
	ζ ♊ ...	12	16
30	☾	10	33
	ζ ♉ ...	10	45
	ζ ♊ ..	12	12
31	ζ ♉ ...	10	41
	☾	11	35
	ζ ♊ ..	12	8
	1752 Januarii.		
2	☾	13	34

1751 Januarii. Tranſ. per merid.		H.	M.
	α ♋ ...	13	52
4	Procyon	12	25
	☾	15	18
7	☾	17	34
	α ♍ ...	17	56
24	☾	6	11
	α ♉ ...	7	56
25	☾	7	8
	♃	7	28
	ζ ♉ ...	8	53
	ζ ♊ ...	10	19
26	☾	8	7
	ι ♉	8	14
	ζ ♉	8	49
	ζ ♊ ...	10	15
27	ζ ♉	8	45
	☾	9	8
	ζ ♊ ..	10	11
29	α ♉	7	34

1751 Januarii. Tranſ. per merid.		H.	M.
	☾	11	8
30	α ♋ ...	11	53
	☾ ...	12	4
31	α Orion ..	8	45
	☾	12	56
	Februarii.		
1	☾	13	45
	β ♍ ...	14	37
6	☾ ...	17	38
	ι ♎ ...	17	41
22	☾	5	59
	ζ ♉ ...	7	1
	ζ ♊ ...	9	27
23	ζ ♉ ☞	6	57
	☾	6	58
	ζ ♊ ...	9	24
26	☾	9	52
	α ♌ ...	11	17

Declinationes ſtellarum præcedentium, pro anno 1751.

	D.	M.			D.	M.			D.	M.			D.	M.	
γ ♈ ..	18	4	B	μ ♊ ..	22	37	B	γ ♍ ...	0	6	A	σ ♐ ...	22	4	A
α ♉ ..	15	53	B	α ♋ ..	12	48	B	δ ♍ ...	4	45	B	β ♑ ...	15	33	A
ζ ♉ ..	20	58	B	α ♌ ..	13	11	B	ζ ♍ ...	0	39	B	γ Pegaſus	13	47	B
ε ♉ ..	18	36	B	ε ♌ ...	1	38	A	ι ♎ ...	18	50	A	ζ Pegaſus	9	33	B
ι ♉ ..	21	12	B	π ♌ ..	9	13	B	β ♏ ...	19	6	A	γ Cetus ..	2	10	B
δ ♊ ..	22	25	B	α ♍ ..	9	51	A	δ ♏ ...	21	54	A	α Orion ..	7	20	B
ζ ♊ ..	20	54	B	β ♍ ..	3	11	B	π ♐ ...	21	23	A	Procyon	5	51	B
η ♊ ..	22	31	B												

Menſura diametri lunaris circa tempus ſui tranſitus per meridianum nunquam negligenda, ubi data fuerint occaſio, & inſtrumenta idonea, quæ eam accurate ſatis valeant ſuppeditare.

Pro Parallaxi Martis in oppoſitione.

	1751.		Tranſ. per merid. H.	M.	Declin. auſtr. D.	M.	1751.		Tranſ. per merid. H.	M.	Declin. auſtr. D.	M.
Aſteriscus * notat parvam ſtellam, cui nulla litera in Bayero.	30 Aug.	* ♓	1	21 mane	7	10	1 Sept.	* ♓	1	6 mane	7	26
		♂ ..	1	22 mane	7	9		♂ ..	1	13 mane	7	21
		* ♓	1	17 mane	7	10	2	* ♓	1	3 mane	7	21
	31	♂ ..	1	17 mane	7	15		♂ ..	1	8 mane	7	22

1751.		Tranſ. per merid. H.	M.		Declin. auſtr. D.	M.
3 Sept.	✱ ♓ ..	0	59	mane..	7	26
	♂	1	4	mane..	7	31
14	♂	0	13	mane..	8	24
	Rigel ..	5	36	mane..	8	31
15	♂ ...	0	8	mane..	8	28
	Rigel ..	5	32	mane..	8	31
16	♂	0	4	mane..	8	32
	ρ Eridan.	3	19	mane..	8	37
	Rigel ..	5	29	mane..	8	32
	♂ ...	11	59	veſperi	8	36

1751.		Tranſ. per merid. H.	M.		Declin. auſtr. D.	M.
17 Sept.	ρ Eridan.	3	12	mane..	8	37
	ρ Eridan.	3	15	mane..	8	41
	Rigel ..	5	25	mane..	8	31
	♂ ...	11	55	veſperi	8	40
18	ρ Eridan.	3	8	mane..	8	37
	ρ Eridan.	3	11	mane..	8	40
	♂ ...	11	50	veſperi	8	43
19	ρ Eridan.	3	4	mane..	8	40
	ρ Eridan.	3	7	mane..	8	37
	♂ ...	11	45	veſperi	8	46

A 22 Septembris usque ad 8 Octobris Mars parum abit a parallelo λ ♒, cujus declinatio auſtralis *8°. 58′*. & quæ culminat 22 Septembris, *10ʰ. 35′*. veſperi. Tribus diebus ante & poſt 1 Octobris Mars *7′* circiter abeſt a parallelo *x* ♒, quæ culminat 1 Octobris *10ʰ. 38′*. veſperi; & a parallelo λ eridani culminantis *2ʰ. 38′*. mane ambarum fixarum declinatio auſtralis circiter *9°. 7*.

Pro Parallaxi Veneris.

1751. Octob.		Tranſ. per merid. H.	M.		Declinat. auſtr. D.	M.
13	♀	1	31	veſperi	23	19
	ζ ♑	7	58	veſperi	23	28
21	γ Libra	4	14	mane	22	32
	♀	0	55	veſperi	22	33
	c ♒	9	11	veſperi	22	31
24	♀	0	38	veſperi	21	54
	υ ♒	8	25	veſperi	21	58
	b ♒	0	17	veſperi	22	0
25	♀	0	32	veſperi	21	38
	b ♒	9	10	veſperi	21	27
27	β Libra	3	12	mane	20	59
	δ Libra	3	35	mane	20	55
	♀	0	20	veſperi	21	2
Novemb.						
4	α Libra ...	2	47	mane..	18	1
	β Canis major	3	35	mane..	17	53
	♀	11	37	mane..	18	6
5	β Canis major	3	32	mane..	17	53
	♀	11	21	mane..	17	43
6	♀	11	16	mane..	17	18

1751. Novemb.		Tranſ. per merid. H.	M.		Declinat. auſtr. D.	M.
	δ ♒	7	54	veſperi	17	8
7	♀	11	10	mane..	16	52
	f ♒	9	8	veſperi	16	50
8	Syrius ...	3	45	mane..	16	23
	♀	11	4	mane..	16	24
10	♀	11	53	mane..	15	26
	ω ♒	8	24	veſperi	15	36
12	✱ Eridan.	1	21	mane..	14	48
	♀	10	42	mane..	14	40
	ψ ♒	7	56	veſperi	14	48
13	γ Eridan...	0	36	mane..	14	14
	♀	10	37	mane..	14	18
17	♀	10	18	mane..	13	4
	ι Cetus ...	10	52	veſperi	12	56
18	♀	10	14	mane..	12	47
	ι Cetus ...	10	52	veſperi	12	56
24	♀	9	51	mane..	11	32
	η Cetus ...	8	57	veſperi	11	30
25	♀	9	48	mane..	11	22
	η Cetus ..	8	54	veſperi	11	30

In ſcripto quodam, Transactionibus Philoſophicis inſerto *n.* *348*, Ill. *Hallejus* affirmat, per tranſitum Veneris ſub Sole, menſe Junio anni 1761, determinari poſſe parallaxin Solis ad $\frac{1}{500}$, modo tranſitus hic obſervetur certis circumſtantiis loci & temporis, in dicto ſcripto expoſitis. Quantumcunque alias magni viri effata venerer, tanta *ἀκρίβεια* abſolute impoſſibilis mihi videtur. Si enim per caſum prorſus incredibilem contingeret, exercitatiſſimum obſervatorem in ultimo Americæ ſeptentrionalis extremo tam vix ſperanda gaudere fortuna, ut videat Venerem intrantem in diſcum Solis mox occaſuri, & altero mane eandem exeuntem ex Sole oriente; vix tamen credere poſſum, fieri poſſe, ut hæc momenta determinet inter duo temporis ſecunda, prout Ill. *Hallejus* in ſuo ſupponit calculo. 1) Margines Solis horizonti vicini in perpetua ſunt undulatione, & irregulares refractiones perpetuo parvas quaſi ſiſtunt portiunculas, a Solis diſco ſe ſeparantes. 2) Motus celerrimus Solis & Veneris in campo teleſcopii, multum amplificantis, difficillimum reddit determinatu, accuratiſſimum momentum duorum limborum, ſe contingentium. Aſt caſus in terminis omne ablaturus eſt dubium. Motus horarius Mercurii in nodo adſcendente & diſco Solis, ad motum horarium Veneris, ut 3 ad 2, conſequenter momentulum inſtantaneum contactus interioris limborum Solis & Mercurii, longe tutius deſignari debet, quam contactus interior Solis & Veneris. Nihilo minus A. 1743, cœlo ſereniſſimo, Sole *23°* alto, exercitatiſſimi Aſtronomi, excellentiſſimis tubis contactum interiorem Mercurii & Solis obſervantes, multum inter ſe diſtabant, differentia ad plus quam *40″* adſcendente. Venere tamen in diſco Solis non deſcribente niſi 4 minuta per horam, & unum ſecundum gradus, 15 ſecundis temporis; qua tandem acie hoc ſecundum, vix ſenſibile in longo teleſcopio, ſubdividi poterit in plus quam 7 partes determinabiles? Quod ipſum tamen neceſſe eſt, quo nanciſcamur phaſes tranſitus Veneris per Solem intra duo temporis ſecunda. Quæcunque tamen hic dixerim, haud eo prolata animo ſunto, quo cenſor habear magni *Halleji*, cujus memoriam pie colo, nec quo opinio diminuatur, quam ſemper de utilitate celebratiſſimi hujus tranſitus Veneris habuimus: ſed unice, ne forſan autoritas immortalis Aſtronomi

mi excuſationi inſerviat, ad negligendam occaſionem determinandi parallaxin Solis, per propoſitas a me obſervationes.

DOMINI DE L'ISLE LITERÆ CIRCULARES AD Aſtronomos Europæ, ex Gallico Latine redditæ.

Siſto tibi Monitum ad Aſtronomos Domini *de la Caille*, quo nanciſcatur, undecunque modo poterit, obſervationes, reſpondentes iis, quarum habendarum cauſa iter ſuſcepit in promontorium bonæ ſpei, pro parallaxi Lunæ, aliiſque disquiſitionibus, infinitum conducentibus perfectioni Aſtronomiæ. Præcipuæ obſervationes, de quibus nobiſcum communicent alii, exoptamus, ſunt differentiæ declinationum marginum lunarium & fixarum, prope Lunæ parallelum hærentium, quas Dom. *de la Caille* in Monito ſuo notavit. Nulla hic alia re opus, quam obſervatione altitudinum meridianarum Lunæ, & fixarum, omni, qua fieri poteſt, cura, maximisque, quæ adhibere demum datur, inſtrumentis, quo habeantur differentiæ declinationum apparentes in meridiano, intra unum, vel duo, ſecunda, ſi hoc poſſibile factu. Ne te turbet diſtantia loci tui a meridiano promontorii, aut aliarum Europæ urbium, ubi ſimiles inſtituentur obſervationes. Modo harum obſervationum quævis ſuo proprio habeatur meridiano, perbene una ad alteram reduci poterit, computatis differentiis meridianorum, cum de differentia meridiani, per promontorium tranſeuntis, rigide conſtabit. Unum neſſarium: quilibet, obſervationes in particulari ſuo habens meridiano, ſollicite notet momenta, quibus cum Luna, tum fixæ, cum quibus iſta comparanda, transeant per meridianum. Quoad latitudinem, aut elevationem poli, locorum, ubi hæ habebuntur obſervationes, perquam equidem foret oportunum, ſi fierent in locis, quantum poſſent, borealibus, comparatæ nimirum cum latitudine auſtrali promontorii daturæ parallaxin abſolutam; non minus tamen utile erit, ejusmodi obſervationes inſtituere in locis meridionalioribus, daturas nimirum obſervationes intermedias inter eas, quæ in promontorio bonæ ſpei, ac ſeptentrionalioribus in regionibus, habebuntur. Ejusmodi obſervationes intermediæ non tantum inſervituræ ſunt parallaxi confirmandæ, quam ex obſervationibus locorum extremorum deduxeris; ſed inde quoque figura terræ magis magisque ſtabilienda. Hanc enim aut noſſe,

aut notam ſupponere, oportet, ſi per has ipſas, quas proponimus, obſervationes exacta quantitas parallaxeos, cuique loco competentis, ſit eruenda. Differentia parallaxium, quas eædem exhibebunt obſervationes pro diverſis figuris, telluri tributis, tam ingens eſt, ut ii, qui rem examinabunt, calculosque inibunt, prout a me factum, abſolute neceſſarium ſint pronuntiaturi, ejusdem habere rationem, quo in omni dato loco parallaxis, ei competens, tali queat determinari certitudine, qualem noſtro ævo exigit Aſtronomia. Non penitius tecum hoc caput theoriæ examinabo, explicandum in literis meis poſterioribus. Jam non quæſtio eſt niſi de obſervationibus, reſpondentibus nimirum illis Abbatis *de la Caille*, habendisve in, quantum fieri poteſt, multis locis, omnique humana diligentia. Rogo te proin, quantocyus reſcribas, quid de hoc negotio in te ſuſcepturus, quibus methodis, inſtrumentisve, opus aggreſſurus ſis, quo in anteceſſum ſciamus, quæ certitudo nobis inde ſit ſperanda. Haud neceſſe eſt, latitudinem loci, in quo fient obſervationes, perfecte noſſe. Sufficit, noſſe circiter altitudinem meridianam apparentem Lunæ, quovis tempore, quando eam cum fixa quadam comparare libuerit. Res princeps, quam omni poſſibili perfectione determinari decet, eſt differentia declinationis marginum Lunæ & fixarum, a Dom. *de la Caille* indicatarum. Huc omnis Aſtronomus animum mentemque convertat, et, ſi Quadrantes, Sextantes, aut alia quævis inſtrumenta, cum fixa, tum mobilia, quæ habebunt fortaſſis, & quorum auxilio altitudines meridianæ capiuntur, ſi hæc inſtrumenta, inquam, nec ſat magna, nec ſat exacte ſint diviſa, quo de uno, aut duobus ſecundis, ſecuri ſimus; adhibeant, ſuadeo, teleſcopia 6, vel 7, pedum, elegantibus micrometris munita. Hi tubi, mobiles licet in plano meridiani, valide ibi firmandi tempore cujusvis obſervationis, fixi remaneant, nulli, ne minimæ quidem, agitationi obnoxii, toto intervallo fluente inter appulſum Lunæ & fixarum, cum quibus eam animus eſt comparare. Quæ jam de Luna dixi, a potiori valent de obſervationibus, quarum ope Dom. *de la Caille* proponit examen parallaxeos Solis, per eam Martis & Veneris. Error unius, aut duorum ſecundorum, non eſt negligendus in re tantæ ſubtilitatis; ipſe proin vides, id quanta cura ſit obſervandum, nec ſatis commendare poſſum Aſtronomis, quam poſſunt modo, adhibeant attentionem. Poſſet & parallaxis Solis inveniri immediate, non adhibitis planetis Marte & Venere, idque comparando Solem tantum cum fixis, parallelo ſuo perquam vicinis. Præſtabit id Dom. *de la Caille* in promontorio bonæ ſpei. Quamvis hujus rei in Monito ſuo mentionem fecerit nullam; me tamen rogavit, ut id Aſtronomis notum facerem, qui hoc opus aggredi valerent debita perfectione, quam exigit tam delicatum negotium. Obſervatio huc redit, ut habeatur differentia declinationis Solis, & præcipuarum fixarum, per quarum parallelum is movetur. Hoc fiet firmando teleſcopium in meridiano ſub altitudine, quam Sol attinget, ibique immobile relinquendo, donec fixa primæ, aut ſecundæ, magnitudinis perquam vicina parallelo unius, aut alterius, marginis Solis quoque tranſeat, menſurando tandem micrometro, quo tubum ſuppono munitum, differentiam declinationis marginis Solis. Multa alia adhuc eſſent communicanda tecum circa Monitum Dom. *de la Caille*; ſed prius a te docendus ſum, an ſymbolam tuam collaturus ſis tam utilibus laboribus. Verba feci, Vir Cl. de fructu obſervationum

inter-

intermediarum, aut habitarum in locis Europæ meridionalioribus, ad ſtabiliendum inde veram parallaxeos lunaris magnitudinem, & ſimul ad examinandum veram terræ figuram, modo hæ obſervationes intermediæ comparentur cum iis, quæ habebuntur in maxime poſſibili elongatione cum boream, tum auſtrum, verſus. Poſſet & idem obtineri ſcopus ſatis rigide, ſi placeret Aſtronomis, inquirere in quantitatem parallaxis horizontalis per parallaxes horarias, ex methodo Illuſtris *Caſſini* in Tractatu de Cometa anni 1680. Datur enim ratio inter parallaxin horizontalem, quæ æquatori convenit, & quæ ſub quavis latitudine datur, hæc vero pendet ex figura terræ. Hæc non propono, ut diverſi nimirum Aſtronomi obſervent parallaxin horizontalem, quo illam ipſam determinent rationem; aſt ſuppono, ex figura terræ cognita calculo fuiſſe deductum, in quantum parallaxis horizontalis, quæ competit cuivis latitudini, minor ſit, quam iſta æquatoris. Diſcrimen non adſcendit niſi ad pauca ſecunda, in latitudine 20, 30, & 40, graduum. Hæc tamen parallaxis horizontalis, quæ competit æquatori, ſi ſupponatur cognita, ratio, quam habet ad parallaxes altitudinum pro diverſis latitudinibus, tam vehementer differt pro differente figura terræ, ut inde concluſiones haud dubiæ deduci queant circa figuram telluris, ſi jungatur præcipue determinatio parallaxium horariarum, nec non parallaxium altitudinum per differentias declinationum, de quibus ſupra ſum locutus. Commendo propterea cuivis Aſtronomo, iis præcipue, qui Europæ meridionaliores, caute obſervent parallaxes Lunæ horarias, aut parallaxes adſcenſionis rectæ ejuſdem, & ſumma cura, ut inde perveniatur ad parallaxin horizontalem. Hæ obſervationes conſiſtunt, ut notum, in determinandis differentiis inter tranſitum marginum Lunæ & fixæ cujuſdam vicinæ, idque non modo circa meridianum, ſed & longe ab eo, tam ortum, quam occaſum, verſus. Huc uſque cumprimis laborarunt de obſervandis parallaxibus horariis circa circulum horæ ſextæ, quoniam tunc parallaxis adſcenſionis rectæ omnium eſt maxima, nec eſt, quod ultra tentemus, Luna in æquatore hærente, quippe tunc, cum in circulo horæ ſextæ verſatur, ſimul horizonti vicina eſt. Contra, ubi Lunæ declinatio ſeptentrionalis magna, facilis eſt obſervatu prope horizontem, & multum tamen a circulo horæ ſextæ, quo ſitu parallaxis adſcenſionis rectæ ipſam parallaxin horizontalem vincere poteſt, prout Dom. *Caſſini* in Elementis Aſtronomiæ demonſtravit. Immo, repetendo easdem obſervationes cum in horizonte orientali, tum occidentali, haberetur inde duplum parallaxeos horizontalis, &c. Unicum eſt, quod objici queat contra hanc determinandi parallaxin Lunæ methodum, nempe quod neceſſario menſura temporis in cenſum venire debeat, in qua error unius ſecundi aliam gignit quindecies majorem in partibus circuli. Interim, habendo has obſervationes omni, qua fieri poteſt, perfectione circa menſuram temporis, & multiplicando appulſus, quo horum quantitas tanto majorem certitudinem ſiſtat, crediderim, ſperandum eſſe ſufficientem rigorem, cujus en argumentum per parallaxes horarias planetarum Veneris & Martis, quas experientiſſimi Aſtronomi, & exercitatiſſimi Obſervatores, tam accurate auſi ſunt determinare, quo inde eruerint parallaxin Solis pauciſſima inter ſecunda. Lutetiæ, 29 Jan. 1751.

EXCER-

Digitized by Google

EXCERPTUM EPISTOLÆ DOMINI DE L'ISLE AD GE. MATTH. BOSIUM, *Profeſſ. Witteberg.*

Ecce exemplar Literarum circularium a me compoſitarum, ad Europæ Aſtronomos omnes mittendarum. Tibi ergo quoque offerendæ erant, ob diligentiam, qua huc usque ferebaris ad habendas omnes elegantes iſtas obſervationes, quas tibi debemus. Vix crediderim equidem, veſtris in oris fieri poſſe obſervationes, reſpondentes iis, quas habebit Dom. *de la Caille*, cum ibi non dentur Quadrantes, vel ſat magni, vel ſat exacte diviſi, ut certi ſimus differentiæ declinationum inter unum, aut duo ſecunda. Vix melius vobis ſuppeteret medium, niſi adhibendo teleſcopia 5, aut 6, pedum, optimis micrometris munita, modo locum commodum habeatis, quo firmiter retineri queant circa meridianum, in differentibus Lunæ altitudinibus. Timeo tantum, ne hæc difficultas, & forſan modicum temporis ſpatium, a reliquis tuis laboribus liberum, nos privent iis, quæ alias a tua dexteritate ſperanda forent. Illuſtris *de Reaumur*, ut ab eo habeo, Monitum Dom. *de la Caille* tibi jam miſit; ideo rogo te, horum exemplarium unum Clariſſ. tradas Autoribus *Actorum Lipſienſium*, ut hiſce totum inſeratur. Totum quoque me tibi devincies, ſi has meas circulares, in linguam eruditorum verſas, ibidem publici fieri juris curares. Dom. *de la Caille*, iter ſuſcipiens ſuum, mihi diſtributionem Moniti ſui maximam partem demandavit, una cum gratiarum actione ſua pro literis, a te ad ipſum datis, ad quas tamen ipſi ob nimiam temporis anguſtiam reſpondere non licuit. Hæc ex portu Orientis ad me ſcripſit, veſpera, quam navem conſcenderet, 20 Novembris.

Pag. 134 hujus *Menſis lin.* 7 poſt verba: *evictum videtur*, hæc addenda: Quod qui paulo attentius conſideraverit, intelliget, demonſtrationem vulgarem, quæ ex ſuppoſito motu rectilineo æquabili regulæ, & puncti in regula, æquipollentiam motus per Diagonalem colligit, & hinc porro compoſitionem & decompoſitionem virium, omnino paralogiſticam eſſe. Confundit enim id, quod eſt meræ translationis, cum eo, quod eſt mutuæ actionis & virium. Offert veritatem Phoronomicam, quam male accipimus pro Dynamica, quæ duo de genere eodem valde inter ſe ſpecie differunt. Ego, omnem ſcientiam de motu conſtare, video, propoſitionibus partim Phoronomicis, partim Dynamicis, harumque confuſionem magnopere huic diſciplinæ hactenus obfuiſſe. Ita enim res ſe habet. Quicquid de motu per ſolam Geometriam & Arithmeticam, nulla adhibita conſideratione mutuæ actionis & virium, pronuntiari poteſt, *Phoronomicum* eſt, nihil aliud, quam legem ſimplicis translationis conſtituens. Contra, quicquid in motu definiri nequit, quin præter principia Geometriæ & Arithmeticæ adhibeantur principia metaphyſica de cauſa & effectu, actionibus & viribus, &c. Dynamicum veri nominis ſtatuendum eſt, cum Phoronomico minime confundendum. Datur autem admirabilis quidam & perpetuus nexus inter Phoronomicum & Dynamicum, in quo ordo naturæ fundatur, & vi cujus uſu venit, ut, quæ Phoronomice vera ſunt, etiam Dynamice vera reperiantur. Cujus rei hæc ipſa compoſitio motuum & virium exemplum præbet; aliud offert progreſſus uniformis centri gravitatis ante & poſt conflictum, & rurſus aliud mox in iis, quæ de minima actione, aut vi viva, corporum in motu conſtitutorum, dicenda ſunt, reperietur. Sed de his alias, ſi occaſio tulerit, diſertius.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLI.

Pars II.

HISTOIRE GENERALE DES ROIAUMES DE Chypre, de Jeruſalem, d'Armenie, & d'Egypte, comprenant les Croiſades, &c.

id eſt,

HISTORIA GENERALIS REGNORUM CYpri, Hieroſolymorum, Armeniæ, & Ægypti, quantum ad expeditiones bellicas cruciatas attinet, conſcripta & edita ab Equite DOMINICO JAUNA, *Conſiliario Majeſtatis Imperatoriæ Regiæque, Præfecto generali commerciorum per terras illius hereditarias.*

Tomi II.

Lugduni Batavorum, apud Joannem Luzac, 1747, 4 maj. Tom. I Alph. 4 plag. 13, Tom. II Alph. 3 plag. 20.

Opus, amplitudine & exquiſita diligentia magnificum, Imperatrici Auguſtiſſimæ, *Mariæ Thereſiæ*, Illuſtris conſecravit Autor, ac cubitalem ejus effigiem præmiſit. Exorſus fuit telam ab initio belli ſacri, exeunte Seculo XI in Palæſtinam ſuſcepti a Chriſtianis, eamque pertexuit usque ad originem imperii Ottomannici, & finem imperii

 perii

perii Græcorum, ſubſiſtens in famoſo ad Naupactum prælio. Inſeruit *Volumini ſecundo* tabulas geographicas Ægypti, Græciæque, pyramidis potiſſimæ iconem. *Volumini primo* Mappam geographicam, quæ terram, poſteris *Abrahami* promiſſam, exhibet, inſeruit, ne quid de Cypro in tabulæ formam redacta moneamus. Subjunxit tractationi notitiam de Ægypto ætatis noſtræ, Diſſertationem de characteribus veterum Ægyptiorum hieroglyphicis, & conſiderationem modorum occupandi Ægyptum & Cyprum. Verſatus fuit in Orientis provinciis Autor ſatis diu, ibique tum linguas addidicit, tum rariores Codices conſuluit manuſcriptos. Hiſtoricos ævi medii ita verſavit, ut nemo magis, licet eos nominatim enunciatis haud adjunxerit. Dum genealogiam Luſignanicæ domus recenſet, R. P. *Luzignanum*, qui eam diligentiſſime elaboratam dedit, ſecutus fuit. Delibabimus ex oceano aliquot guttas. *Volumen* utrumque in *Libros XXVI* diſtributum eſt. *Libro I* geographia Cypri, ejusque Reges ad *Ptolemæos* usque, exponuntur. *Libro II Ptolemæi*, res Romanæ & Græcæ in inſula Cypro, poteſtas Muhammedanorum, recuperatio inſulæ, Imperatoribus Græcis tribuenda, inſulæ ac Cypriorum indoles, aer, animalia, Philoſophi, & viri ſancti, ediſſeruntur. *Libro III* de Hieroſolyma, templis ibi Chriſtianis, ac *Godefredi* initiis regnandi, exponitur, ad *Balduini IV*, Regis Hieroſolymitani, ævum usque. Hæc ad expeditionem cruciatam primam ſpectant. *Liber IV* expeditionem cruciatam complectitur ſecundam. Eam, *Eugenii II* ac *Bernhardi* Abbatis ſuaſu, obiit *Conradus III*, Conſtantinopoli proditus, ideoque in Germaniam redux. Exercitus Gallicus Antiochiam venit. Non minus hæc, quam alia, ad obſidionem usque Alexandriæ irritum, ab *Almerico* Rege tentatam, *Libro IV* ediſſeruntur. Urbem Caharam a Memphi & Babylone Ill. Autor ſolide ſecernit. *Libro quinto* ſe accingit ad enarrandam Regis Hieroſolymitani *Almerici* perfidiam, qua in Ægyptum occupandam fuit uſus. Imperator Græcus *Emanuel* & *Saladinus* fœdus eam ob eam cauſam inierunt. Magiſtri Hoſpitaliorum audacia conſilio illi nocuit. Peluſium ex improviſo captum,

Tom. I pag. 178. 197.

&

& incolæ ferro occiſi. *Sannar* Caharam roboravit, & *Narradinum*, Damaſci Principem Saracenum, ſibi reddidit amicum. Chriſtiani, relicto Peluſio, ſe Hieroſolymam recepere. *Saladinus* Califum Ægypti ultimum trucidavit. Damiettam petiit *Almericus*, Hoſpitalariis & Templariis comitatus. Situm Damiettæ deſcribit curate. Damiettam obſedit multitudo Chriſtianorum, obſidionem ſolvere coacta. Claſſis, ab *Emanuele* ſubmiſſa, procellis fuit prædæ. *Saladinus* A. 1177 Palæſtinam intravit. Terræ motibus horribilibus regnum Hieroſolymæ fuit afflictum. *Noradinus* Petram obſedit. *Almericus* obiit A. 1173. *Balduinus IV* ei ſucceſſit. *Saladinus* Syriam Apamenam occupavit. *Balduinum* lepra invaſit. *Emanuel* ad Ægyptum occupandam denuo animum adjecit. Negligentiam Chriſtiani ſuam produnt. *Saladinus* Aſcalonem tentat, & cladem accipit. *Guido Luſignanus* Prorex erat Hieroſolymorum, ſororis *Balduini* maritus. *Balduini* languor *Saladinum* reddidit animoſum, qui plura Meſopotamiæ oppida expugnavit, Aleppum cepit, Chriſtianos, *Guidoni* regnum invidentes, a *Balduino* traditum, infeſtat, Montem regalem obſidet, *Balduinum V*, Regem novum, terret. Legati Hieroſolymis per Europam omnem dimittuntur, excuſationes Regum Angliæ Galliæque reportaturi. *Libro VI* miſerias Palæſtinæ perſequitur Autor. *Balduinus V* præ mœrore A. 1185 obiit. De ſucceſſione diſſenſiones ortæ. Hieroſolymam advenit *Bonifacius*, Marchio Montisferrati. Comes Tripolitanus religionem Turcorum amplectitur, ſpe regni ſe lactans. *Saladini* impetus repulſi. Prælium in Galilæa cum *Saladino* anceps. Comes Tripolitanus Chriſtianos deſeruit. Exercitus Chriſtianorum victus fuſusque. Hieroſolyma ſe *Saladino* dedidit A. 1187. Chriſtianis orientalibus vendidit ſacri ſepulcri poſſeſſionem. Comes Tripolitanus obiit, videns, ſe a *Saladino* deluſum. Princeps Antiochiæ in Palæſtinam advolavit. Aſcalonem igitur denuo circumſedit *Saladinus*. *Gregorius VIII*, moliens expeditionem cruciatam novam, deceſſit A. 1188. *Wilhelmus Tyrius* in Italiam venit. *Clemens III* nihil non pro Palæſtina tentavit. Reges Angliæ & Galliæ, funeſto

[Marginal page references: Pag. 202. (beside "Saladinus Califum…"); 205.; 216.; 231.; 264.; 277.; 284.]

Pag. 284. implicati bello, e continenti pacem reconciliarunt, animumque expeditioni cruciatæ appulerunt novæ. Tyro obſidendæ exercitum admovit *Saladinus*. Marchio Montisferrati *Conradus* eam defendit acriter. *Saladini* claſſis devicta. Fugit *Saladinus*, adverſus Principem Antiochiæ arma convertens. Appulerunt copiæ Europæorum numeroſæ. Dolendum interceſſit conatis glorioſis diſſidium Gallos inter & Anglos, qui odia ſua in loca ſacra tranſtulerunt. *Guidonem* dimiſit liberum *Saladinus*, quem Chriſtiani clade mactarunt. Ptolemaida Chriſtiani circumſederunt, ac *Saladinum*, ei ſuppetias laturum, repulere A. 1189. Ptolemaidis, quæ tunc fuit, veſtigia & ichnographiam, ære expreſſam, exhibuit Autor in tabula ad *pag. 296. Conradus* Marchio nomen ſuſcepit Principis Tyri, ac cum *Guidone* aliisque prælio ſuperavit *Saladinum* ad eam urbem primo inſultu, &, licet terror quidam interve-
294. niſſet, victoriam retulit glorioſam. Ptolemaida tamen obſeſſam retinuit *Saladinus*. Caſtra Chriſtianorum tandem fames
307. afflixit. *Fridericus Barbaroſſa*, Danubio vectus per Hungariam, rebusque labantibus ſuccurrere contendens, Bulgaros deprehendit incommodos, & Imperatorem *Iſaacum Angelum* infeſtum A. 1190. Thraciam omnem *Fridericus* occupavit, & hiemavit Adrianopoli, *Iſaaco* fracto neceſſaria præbente.
309. *Iſaacus* cum Sultano Iconienſi clandeſtinum fœdus pepigit. *Fridericus* igitur, in Lycaonia ſolitudinem & famem expertus, ad Iconium triumphavit, urbemque diripiendam militibus permiſit. Pacem deinde ſanxit cum Sultano, ac ſuperavit Montem Amanum. Tunc ingreſſus eſt Comagenen. *Saladinus* ei oppoſuerat cum exercitu fratrem *Saffadinum*, qui tractum Syriæ litoralem devaſtavit, ne quid annonæ ſuppeteret *Friderico*. Hic conflixit cum *Saffadini* copiis, easque fugavit. Victoriam perſequens *Fridericus* equum adegit per fluvium
315. *Sar*, cui nunc nomen eſt *Sellef*. Equus fuit ſubmerſus. Pedem Imperator ex ſtapede trahere haud potuit. Equus ſe erexit, & traxit *Fridericum* ad ripam, ubi inter manus ducum bellicorum exſpiravit. *Maimburgius* repugnat *Paulo Æmilio* ex *Guilielmo Tyrio*, ratus, Imperatorem corpus abluendi ſtudio

ſe

ſe illi fluvio commiſiſſe. In Cydno id mali haud evenit, ſed in Sellef, qui Comagenen ab Armenia diſterminat minori. Obitus incidit in A. 1190, 10 Jun. Exercitus ejus filium *Fridericum* Suevum ſecutus eſt ductorem. Hic *Saffadinum* vicit, ac, multis obſtaculis ſuperatis, Antiochiam venit, quam paulo poſt deſeruit, contagione ſuorum territus. Tetendit foras ad decem milliarium intercapedinem. Chriſtiani *Dodequinum* vicerunt, ducem *Saladini* bellicum, & *Friderici I* corpus Tyri ſepelierunt, aromatibus conditum, magnificentiſſime in baſilica, *Wilhelmo Tyrio* teſte. *Fridericus* navi ad Ptolemaida pervenit in Chriſtianorum caſtra. Ptolemais oppugnari cœpta. *Saladinus* in caſtra Chriſtianorum irruptionem fecit. Urbs expugnari haud potuit. Contagio afflixit horum caſtra, qua correptus exſpiravit *Fridericus* Suevus. Fames Chriſtianos tenuit afflictatos. *Conradus* Marchio advexit annonam. Angli & Galli ſubſidia ſubmittere aggreſſi. *Richardus* & *Philippus* Reges appulerunt, ab Abbate *Joachimo* funeſtiſſima omina edocti, & conſecutura mala prædicta haud metuentes. *Richardus*, Rex Anglorum, Cyprum occupavit, Rhodum tentavit. Ptolemais tandem recuperata, Anglis & Gallis ante gratiam pacis reſarcientibus. *Leopoldo*, Duci Auſtriæ, & *Richardo* non convenit. De hoſpitii in urbe loco inter utroſque lis cœpit ardeſcere A. 1191. *Leopoldus* vindictam in *Richardum* reducem diſtulit, eumque capiendum curavit. Inter hæc in caſtris ad Ptolemaida ſuccreverat Ordo equitum Teutonicorum Marianus. *Richardus* in Saracenos dedititios ſævitiam omnem expromſit. Victoria uti nemo didicerat. *Conradus* Marchio & *Guido* Luſignanius de regno Hieroſolymitano altercati. Tandem conditiones convenerunt. *Saladinus* inter hæc ſtrenue rebus ſuis conſuluit, ac munimenta, Chriſtianis inſervitura, demolitus eſt. Joppes munimenta reparavit Rex *Richardus*. Galli hujus facinora præclara animo tulerunt iniquo. Inde æmulatio & odia. *Richardus* & *Philippus* in odia manifeſta eruperunt. Diſceſſit *Philippus*, Romamque appulit. Exemplum id ſecuti Dux Auſtriæ, Veneti, Genuenſes, Piſani, Mar-

Pag. 318. 323. 331. 339. 341. 345. 351.

chio *Conradus*. Caſtra *Richardi* ſic admodum imminuta. *Saladinus*, occaſione arreas, Chriſtianis inſultavit. *Richardus* Templariis vendidit Cyprum, & Ptolemaida reddidit permunitam. Ad *Aſſur* pugnatum a *Saladino*, cui in Palæſtina non
Pag. 355 niſi Hieroſolymam tenere licebat. Victoriam reportavit *Richardus*, Belgis comitatus. Obiit *Conradus*, Tyri princeps. Suſpectus eſt mortis hujus cauſa *Richardus*. *Libro VIII Guidonis*, ad Cyprum capiendam ſe commoventis, deſtinatio-
361. nes & ſucceſſus enarrantur. Diſceſſus *Richardi*, ejusque in Auſtria captivitas, attingitur. Diſſenſiones Chriſtianorum Syriæ enumerantur. *Saffadinus* occupat regnum Ægypti. Expeditionem novam cruciatam ſuſcipiunt in Palæſtinam Ger-
381. mani. *Guidoni* Luſignanio ſucceſſit frater *Almericus*, quo regnante novus Ordo equeſtris *pro ſecuritate regni* inſtitutus. Joppen *Saffadinus* cepit; cruce ſignati occuparunt Sidona.
400. *Henricus VI* in Germania A. 1198 obiit, ideoque Germani e Palæſtina retroceſſerunt. Joppe in ditionem Saracenorum incidit. Ex eo res Chriſtianorum in Palæſtina lapſæ. Templarii cum Hoſpitalariis inteſtina geſſerunt bella. Conſtantinopolin afflixerunt internæ diſſenſiones, de imperio exortæ. Latini tandem eam occuparunt, Gallis, Belgis, Venetis, autoribus. Patriarcha Latinus Conſtantinopoli rebus eccleſiaſti-
417. cis præſidere juſſus. Eccleſiam Græcam omnem tunc cum Latina fuiſſe concordiæ redditam, liceat negare. Nicæam enim & alia loca Imperatores Græci poſthæc cum Patriarcha ſuo tenuerunt. *Dandulus*, Dux Venetorum, tunc Cretam, & *Bonifacius*, Montisferrati Marchio, Theſſaliam, ſuæ ditionis eſſe juſſerunt. *Libro IX* hæc & alia ſignificantur ac evolvuntur. Huc usque Autorem Illuſtrem ſecuti ſumus, ut ubique fidem ejus, quam curate idem præſtitit, exploraremus. Digna ſunt ſingula ac reliqua momenta & monumenta ejus hiſtori-
421. ca, quæ legantur. Origo appellationis, qua Duci Venetorum *Serenitas* tributa eſt, videtur a capta per Latinos Conſtantinopoli eſſe arceſſenda. *Titanes* videntur fuiſſe Tanitæ,
483. orti ex oppido Ægyptio Tani. Caſtellum ibi exiſtitit adhuc Seculo XIII. *Hermannus de Salza*, Marianorum equitum Magiſter,

Digitized by Google

giſter, A. 1222 in Italiam ivit, ut *Fridericum II* alliceret ad nuptias cum *Joanna*, filia & hærede unica regni Hieroſolymitani, ex *Joanne de Brienne* per *Mariam* genita, & ad opem rebus Palæſtinæ labantibus ferendam. Deſtinatio felici conſtitit ſucceſſu. Nuptiæ A. 1225 contractæ, & Imperator A. 1227 Palæſtinam fuit profectus, Papæ fulmina vaſtationibus Romæ finitimis ultus. *Friderico* ad ſuos reverſo, Papa ſibi perſuaſit, ſe per legatum ſuum omnino valere ad bellum in Palæſtina gerendum, cruce Chriſti palliatum. Succeſſu ipſe caruit ſecundo, ſiquidem dux bellicus & purpuratus pater vix in una judicii ſede ſimul morantur. *Fridericus II* in Italiam haud rediiſſet, niſi a Pontifice Romano, cujus exercitui *Joannes* Briennius Rex præerat, vexatus fuiſſet, & in Italia conſimilibus inſultibus fatigatus. Miſit *Fridericus* denuo copias in Syriam, Cyprum, & Palæſtinam, eventu ſatis funeſto. *Libro decimo* hæc ſunt expoſita longe lateque: Templarii & Hoſpitalarii plerumque diſſenſionibus ſe affixerunt mutuis. Cum *Fridericus II* Romam obſedit, exortæ ſunt Guelforum & Gibellinorum factiones per Italiam. Papa Imperatori nocere Concilio Lateranenſi contendit, paulo poſt ex mœrore ob permultos Purpuratos & Epiſcopos ab Imperatoriis interceptos defunctus. Inter hæc fata Palæſtinæ Chriſtiana periclitata ſunt admodum. Sultanus Ægypti Chriſtianis inſultavit. Ne Palæſtina foret Tatarorum prædationibus obnoxia, cavit *Ludovicus Sanctus*, expeditioni cruciatæ intentus. Ad eum in inſulam Cyprum *Ercaltai*, Tatarorum Rex, miſit legatos. Ad hunc *Ludovicus* & Papa remiſerunt legationem. Mamluccorum originem repetere haud juvat. Salutis remedia, quæ Palæſtini Chriſtiani ab *Aolone*, Tatarorum Rege, ſibi promiſerant, & quæ copioſa Noſter oratione ediſſeruit, nobis propius intueri, ut alii in partem hic veniant, haud licet. *Librum XIV* claudit *Voluminis* exitus *prioris*. *Libri* reliqui *XII Volumine poſteriori* continentur Excipiunt hoſce *Libri IV*, Ægyptum, quæ nunc eſt, exequentes uberrime. Hoſpitatus fuit Autor Caharæ complures menſes A. 1702 apud Dominum *de Maillet*, paulo poſt

Marginal page references (right margin, in order): Pag. 495; 525; 572; 575; 584; 642; 1205.

poſt in Cyprum reverti coactus. Laudat ipſe commentatos de Ægypto P. *Fulgentium*, Capucinorum Gardianum, & ipſius Domini *de Maillet Deſcriptionem Ægypti*, ab Abbate *Maſcrier* editam. De reliquo Autor Ægypti terram, aerem, ſitum, Nilum, animalia, urbes, homines, domosque, tanta cum cura deſcripſit, ut nemo exquiſitiori opera id ipſum ante eum præſtiterit. Species in Ægypto eſt Academiarum, in quibus florent Magiſtri
Pag. 1265. Philoſophiæ, Aſtrologiæ, Hiſtoriæ, Rhetoricæ, & Grammatices, linguæque Arabicæ ad amuſſim pronuntiandæ. De pyramidibus & Sphynge afferuntur haud tralatitia. Maxima py-
1270. ramidum, æri inciſa, dimenſionis legi congruenter eſt definita & deſcripta. De Mumiis accurate expoſitum, nec non de Labyrintho. Situm lacus Sirbonidis haud deprehendit vetu-
1301. ſtis ſcriptoribus congruentem. Quæ de forma gubernationis & commerciis traduntur, ſunt curatiora. De nuptiis conju-
1329. giisque incolarum afferuntur potiora. Divortia inter Chriſtianos ibi frequentiſſima. Eutychiani laborant hæreſi nomi-
1347. nis, quantum ad duas in Chriſto naturas attinet, credentes, Deum eſſe trinum, Chriſtumque & Deum & hominem. Ad duarum naturarum mentionem cohorreſcunt. Vota perſolvunt & Chriſtiani & Turci mactatis animalibus, quorum carnes per xenodochia & ptochotrophea diſtribuunt. In proceſſionibus ſacris ſupereſt multum ex veteri idololatria, licet illis in gratiam Sanctorum ſuorum defungantur. Copti in feſto Crucis die crucem Nilo immergunt, gratias Deo pro exuberante aqua acturi. Ritus funebres reliquosque omittimus.
1350. Utilem Ægypto fore canalem, ex mari rubro in Nilum usque perductum, Autor negat. De navigatione per ſinum maris
1362. rubri diſſerit pragmatice, nec non de itineribus in Æthiopiam ita exponit, ut lector reddatur prudentior. Monachos Rex Abaſſinorum, in regnum ſuum venientes, eosque Romæ addictos, vita orbat. Id in legatos Pontificiorum, qui doctrinas ibi ſpargunt, ordinarium conſtitutum eſt ſupplicium. An
1385. *Seſoſtris* Hieroſolyma invaſerit ſub Rege *Roboamo*, quæ Autoris eſt opinio, in præſens non inquirimus. Ut Vir Illuſtris

Diſ-

Digitized by Google

Diſſertationem *de characteribus Ægypti hieroglyphicis* com- Pag. 1392.
poneret, in cauſa fuit involucrum telæ, Mumiæ in Ægypto circumdatum, ſignis antiquiſſimis notatum, quæ Viri doctiſſimi legere haud valuerunt. Ipſe eos quam probabiliſſime, & 1395.
Theologiæ Ægypti priſcæ congruenter, exponit, ratus, elementa literarum Phœnicia eſſe omnium antiquiſſima, eisque Ebræos ipſos fuiſſe uſos ad *Esdram* usque, qui literas Aſſyrias, ſeu Chaldaicas, inter Judæos ſubſtituerit Phœniciis. Ipſi 1409.
haud fit veroſimile, hieroglyphica ad Ægyptios ab Æthiopibus propagata eſſe. Num quid vero hieroglyphica exponendi clavem lectori ipſe exhibet? Tractat originem literarum, diſſerit de variis Ægyptiorum elementis literarum, exponit de eorum lingua. Ad ipſam Sphyngis mentem evolvendam non bene multa expromit. Cogitata, de modis occupandi Cy- 1419.
prum & Ægyptum inſcripta, excipiunt Diſſertationem. Palæſtinam retinuiſſent Chriſtiani Latini, ſi Ægypto ipſis potiri licuiſſet. Oſtendit itaque rationem, qua poſſit regio utraque redigi in poteſtatem. Argumenta ſic conformavit, ac in unum corpus coire juſſit, ut dubitare haud poſſis, ipſum quæſtioni propoſitæ extricandæ omnino fuiſſe parem & apprime aptum.

THEOD. GEORG. GUIL. EMMINGHAUS, D. Memorabilia Suſatenſia, quibus origo, fata, judicia, magiſtratus, privilegia, pacta, ſtatuta, mandata, ordinationes politicæ ac judiciales, receſſus jurisdictionales, aliaque inclutæ Reipublicæ Suſatenſis notabiliora, adhuc ex parte inedita, ad illuſtrandam Jurisprudentiam Germanicam recenſentur, variisque obſervationibus ac documentis declarantur.

Jenæ, typis & ſumtibus Georgii Michaelis Marggrafii, typographi & bibliopolæ Academici, 1749, 4.
Alph. 4 plag. 12.

Integrum Opus complectitur partim ipſam tractationem, partim Appendicem Documentorum, quæ tractationem, a do-

U ctiſſi-

ctiſſimo Autore præmiſſam, tam illuſtrant, quam confirmant. Tractatio, quæ hiſtoriam de politico præſertim reipublicæ Suſatenſis ſtatu, antiquo pariter ac novo, continet, *tribus* abſolvitur *Capitibus*: quorum *primum* agit de origine & fatis civitatis Suſatenſis; *alterum* de judiciis & magiſtratu Suſatenſium; *tertium* de jure Suſatenſi.

Suſatum, antiquiſſima Weſtphaliæ urbs, & celeberrimi Ducatus Angariæ metropolis, quæ in vetuſtioribus chartarum monumentis variis inſignitur nominibus, originem ſuam a Friſionibus cepiſſe dicitur, quos, bello cum Weſtphalis implicitos, A. C. 345 caſtrum, ſeu propugnaculum, ibidem extruxiſſe, perhibent; cui temporis ſucceſſu plura adhuc ædificia fuerunt adjecta, ita, ut, præſertim *Henrici Aucupis* ævo, ad ſpectabiliſſimam tandem urbis magnitudinem excreſceret. Territorium ejus ſatis amplum vulgo *die Sæſtiſche Boerde* appellatur, decemque potiſſimum parochias (*Kirchſpiele*) complectitur, in quibus pariter ac in ipſa urbe magiſtratui Suſatenſi non ſolum ſuperior ac inferior juriſdictio, verum & jus in ſacra, una cum collectandi jure, competit. Quinam poſt Friſios usque ad Seculum XII hujus reipublicæ imperantes fuerint, non ſatis cognitum eſt. Id tamen certum, quod Seculo XII ſub *Henrici Leonis*, Saxonum Ducis, imperio fuerit, quo proſcripto, A. 1180 in *Philippi*, Archiepiſcopi Colonienſis, manus pervenit, cujus quoque ſucceſſoribus per ducentos & ſexaginta annos paruit; non vero tanquam municipalis civitas, cum de ea ſatis conſtet, quod antiquiori ævo non ſolum potentioribus Germaniæ urbibus illuſtri quondam Hanſeatico fœdere juncta, verum & ipſa urbs imperialis, fuerit, variis munita privilegiis, adeoque ſub Colonienſis Eccleſiæ Præſulum protectione tantum extiterit. Quod quidem protectionis jus cum in ſubjectionis formam mutare, injuſtasque contributiones exigendo, privilegiis ac immunitatibus ſuis Suſatenſes privare, tentaret *Theodoricus* Morſenſis, imperio ejus ſemet ſubtrahere cœperunt, belloque cum Archiepiſcopo implicati, *Adolphi I*, Cliviæ Ducis, filium, *Joannem*, A. 1444 dominum ac protectorem ſuum adoptarunt, eique, ſalvis tamen ſuis juribus, ac

ac privilegiis, ſpeciali pacto, quod vulgo Ducale audit, ſibi reſervatis, homagium præſtiterunt. Quo facto, ſub Clivenſium Ducum poteſtate ſemper perſeverarunt; &, poſtquam ſub initium Seculi XVII *Joannes Wilhelmus*, Dux Cliviæ, ultimus improles obierat, terræque Clivenſes magnam partem a glorioſiſſimo Electore Brandenburgico, *Joanne Sigismundo*, occupatæ erant, in hujus, ejusque ſucceſſorum, manus pervenerunt; variasque tricennalis belli calamitates perpeſſi, quarum miſeranda adhuc apud eos conſpiciuntur veſtigia, ſub magni hodie *Friderici III*, potentiſſimi Pruſſiæ Regis, ſceptro felices degunt, multis tamen privilegiis, ſæpius confirmatis, præ aliis municipiis adhucdum gaudentes.

Hactenus *primum* tractationis *Caput*. Sequitur *alterum*, de judiciis & magiſtratu Suſatenſium. Tria potiſſimum Suſati celebrantur judicia: *primum* Judicis, *des Grosrichters*; *alterum* Præpoſiti, *des Probſtes von Sœſt*; *tertium* Magiſtratus urbici, *des Raths*. Ad primum Judicis judicium quod attinet, ille ab antiquis jam temporibus ad id conſtitutus fuit, ut tanquam judex primæ inſtantiæ, a quo ad magiſtratum procedit appellatio, *civiles* cognoſceret cauſas, easque ſententia ſua decideret; cujus vero executio non ab ipſo, ſed per binos alios judices, a magiſtratu ad id ordinatos, *Unterrichtere, Erbrichtere*, &c. fieri ſolet: prouti & criminalium rerum cognitio ad ſolum magiſtratum pertinet. Alterum judicium eſt Præpoſiti Archidiaconalis, conſiſtens in viſitatione Eccleſiarum Catholicarum ejus Archidiaconatus, ac cognitione cauſarum, ad jurisdictionem Synodalem (*Send-Gericht*) pertinentium; quam vero Præpoſitus ordinarie per vicarium, qui officialis audit, explicare ſolet; ſalva tamen appellatione ad judicium eccleſiaſticum ſuperius, quod Werlæ eſt. Tertium judicium eſt Magiſtratus urbici, qui ex duobus Conſulibus, totidemque Proconſulibus ac Tribunis plebis, quibus adhuc Syndicus cum duobus Secretariis adjunctus eſt, conſiſtit, & ſatis amplis ſuæ jurisdictionis limitibus, aliisque juribus, gaudet. Competit enim ipſi 1) *jurisdictio civilis*: *α*) in cauſis, a cognitione Judicis ordinarii per receſſus jurisdictionales ſpeciatim exemtis;

Digitized by Google

β) in cauſis quibusdam concurrentis jurisdictionis; γ) in cauſis, per appellationem ad ipſum devolutis, ubi demum, ſi cauſa ſummam appellabilem 300 imperialium exceſſerit, ulteriori appellationi locus datur; niſi coram eodem magiſtratu querela nullitatis, uti vocant, fuerit inſtituta, a qua prorſus appellare non permittitur. 2) Competit quoque ei *Jurisdictio criminalis* omnimoda: ubi nullus appellationi ad ſuperius judicium locus datur; præterquam quod Regimini Clivenſi Acta ad inſpiciendum tantum avocare, eoque facto ad magiſtratum remittere, conceſſum ſit. 3) Porro & inſignia alia Magiſtratui jura competunt: quorſum ſpectant jus fiſci, jus collectandi, jus in ſacra, jus Edicta & Mandata Regia, ad ipſum transmittenda, publicandi, nec non Statuta, aliaque Mandata, ad utilitatem reipublicæ ſuæ facientia, condendi, decimasque de hæreditatibus, ad peregrinos delatis, detrahendi; & quæ ſunt hujusmodi plura, ex variis receſſibus jurisdictionalibus, quos Documentorum *Pars VI* exhibet, cognoſcenda. Id adhuc notandum, quod, præter memorata tria judicia, apud Suſatenſes, uti penes reliquas Weſtphaliæ gentes, famoſa quoque illa judicia Vehmica, *Freygerichte, Freyſtühle*, olim uſitata fuerint; quæ vero hodie obſoleverunt, ſolo tantum nomine nota. Licet enim adhuc in quibusdam locis, Suſatenſium ditioni ſubjectis, hujus nominis judicia, ſub præſidio Frygravii, cui bini Proconſules adjunguntur, interdum ſoleant inſtitui, nullas tamen civiles amplius, aut criminales, cauſas ad illa trahere, ſed ea tantum, quæ circa limites viasque publicas explicanda veniunt, ibidem cognoſcere, licet. *Tertium Caput* ſtatuaria Suſatenſium jura exponit: quæ fons legum, quibus celebriores Germaniæ urbes uſæ fuerunt, laudari merentur; cum nuſpiam Statutorum hiſce antiquiorum occurrat mentio. Horum autem quæ vera fuerit ratio, ut recte cognoſcatur, inter jus Suſetenſe antiquum, medium, ac novum, diſtinguit Autor.

Ad antiquiſſimum jus Suſatenſe, adhuc prorſus incognitum, quod attinet, duo ejusdem originalia, totidem membranis, in forma patente, ſermone Latino inſcripta, in Archivo

Suſa-

Digitized by Google

Suſatenſis civitatis aſſervantur; quæ vero non per omnia conveniunt, ſed hinc inde quodammodo inter ſeſe diſcrepant, nec uno tempore ſimul conſcripta eſſe videntur. Quo ævo illud conditum fuerit, incertum eſt, quippe ſine die & Conſule exſtat. Autor tamen, ex Seculo forſan duodecimo natalem ejus petendum eſſe, arbitratur; quoniam ante famoſam Schraam antiquam, quæ ſecundum Perill. *de Weſtphalen Præfat. ad Tom. IV Monum. inedit. pag. 132* Seculo jam XIII facta eſſe cenſetur, conditum fuit, & in utroque tamen exemplo avthentico Archiepiſcopi Colonienſis occurrit mentio, in cujus poteſtatem circa finem Seculi XII Suſatum perveniſſe, dictum fuit. Quantum ad argumentum ejus ſpectat, variæ in illo occurrunt leges, quæ de judiciis, eorumque forma, nec non de diverſis cauſis civilibus pariter ac criminalibus, diſponunt, certasque in earum transgreſſores pœnas, partim capitales, partim pecuniarias, determinant. Haud ita longo tamen tempore poſt nova juris Suſatenſis compilatio, multis capitibus aucta, Seculo forſan XIII, Germanica lingua, ſub nomine *Schraæ* prodiit, cui ſequenti ævo plura adhuc capita adjecta ſunt, quæ conjunctim 183 Articulorum numero continentur. Huc usque ad Seculum XVI vixiſſe creduntur Suſatenſes. Hoc autem tempore certum quendam civem, qui *Jaſper van der Burg* vocatus, & civitati Suſatenſi a ſecretis fuit, volumen illud, in quo Schraa antiqua conſcripta fuit, clam amoviſſe, perhibent; id quod non ſolum ſeditioni, facta demum oblati libri reſtitutione ſopitæ, verum etiam *novæ Schraæ* compilationi, anſam dedit, quæ 129 Articulis conſtat: ad quam poſtmodum, novæ quoque acceſſiones factæ; quæ tamen, ob defectum ſolennis promulgationis, tanquam jus conſuetudinarium potius, quam ſcriptum, uſu invaluerunt. Magna interim hujus juris, ſubinde mutati, non ſolum apud ipſos Suſatenſes, verum & alias, easque potentiores, Germaniæ inferioris civitates, fuit autoritas; quæ illud non ſolum a Suſatenſibus ipſis communicatum adoptarunt, verum & progreſſu temporis peculiaria ſibi ex iisdem ſtatuta, ipſarum ſtatui accommodata, formarunt; inter quas præſertim conſtant Lu-

beca, Hamburgum, Minda ad Viſurgim, Lippia, Corbacum, & Attendorna. Hodie vero exiguum vix uſum, etiam in ipſis Suſatenſium foris, habet; exceptis duodecim Articulis, quibus facta noviter d. 26 Martii A. 1714 a Senatu Suſatenſi confirmatio priſtinum ſuum vigorem conſervavit, ſeu potius reſtituit, quique de ſucceſſione ab inteſtato, liberorum ſeparatione, ac bonorum communione, agunt. Ceteri eatenus adhuc valent, quatenus, uſu & conſuetudine illos huc usque ſervatos eſſe, ab allegante probari poteſt. Ordinarie vero jure communi ſtatur & judicatur.

Hæc ſunt, quæ in Tractatione continentur, cui præmiſit Autor Præfationem *de uſu Jurisprudentiæ ſtatutariæ in ſtudio Juris Germanici.* Supereſt Appendix Documentorum, hiſtoriam rerum Suſatenſium illuſtrantium; quam in *ſeptem Partes* diſtribuit Autor: quarum *prima* varia Reſcripta Imperatoria & Regia ad civitatem Suſatenſem; *ſecunda* pacta Ducalia & reverſales literas, a Cliviæ Ducibus datas; *tertia* Statuta Suſatenſia, antiqua & nova; *quarta* Ordinationem politicam, variaque Mandata, a magiſtratu Suſatenſi edita; *quinta* Ordinationes judiciales ac proceſſuales; *ſexta* receſſus juriſdictionales; *ſeptima* hiſtoriam belli Colonienſis & Suſatenſis, rhythmis Germanicis antiquis conſcriptam, vulgo *die Saſtiſche Fehde*, exhibet. In fine Operis duplex index, alter Tractationis, alter Documentorum, conſpicitur.

Ipſa Tractatio ita eſt comparata, ut jure meritoque Conſultiſſimus Autor omnium, qui de literarum ſtudiis ſolide judicare poſſunt, plauſum ſibi conciliaturus ſit. Avide itaque, quam futuro mercatu noſtro editurum ſe promiſit, Hiſtoriam Suſatenſem eccleſiaſticam exſpectamus.

DESCRIPTIO STATUUM CULTIORUM IN Tabulis, quæ ſingularum rerum publicarum nomina, limites, deſcriptionem, civitates primarias, conditionem naturalem, religionem, formam civilem, & phyſicam, exhibent, in uſum Auguſtiſſimi regni Daniæ Principis Heredis a JOANNE PETRO ANCHERSEN, Doct. repræſentatæ.

Hafniæ

Hafniæ & Lipſiæ, apud Ottonem Chriſtophorum Wenzell, 1741, fol.

Plag. 22.

Modus per Tabulas docendi, multis eruditionis partibus uſitatus, multis doctoribus ac diſcentibus adamatus eſt. Geographia pariter jam ſæpius, maxime Clariſſimo quondam Ill. apud Portenſes Gymnaſii Rectore, *Jo. Dav. Schrebero*, autore, doctrinæ rationem illam experta fuit. Hujusmodi veſtigia ſapienter legit Cel. *Anchersenius*, duodeviginti Tabulis totius terrarum orbis deſcriptionem ſic includens, ut nihil temere circumſtantium rerum notatu digniorum omittat. Conſiderat earum quævis nomen terræ, limites ad ſingulas plagas, diviſionem, civitates primarias, deſcriptionem naturalem, ubi ſimul fluvii conſiderantur, religionem, ſtatum civilem, ubi Reges ac domini nominantur, & menſuram, aut longitudinem & latitudinem, regionis. Adduntur ſubinde pariter nomina Danica, Germanica, & Gallica; ſubinde nec antiqua Geographia negligitur. Ita tertia Tabula inſcribitur: Gallia transalpina veterum, in Celticam, ſeu Narbonenſem, & Lugdunenſem, Aquitanicam & Belgicam, ut & braccatam atque comatam, diviſa, hodie regnum Franciæ; quinta: Italia, Germanis *Welſchland*, Danis *Walland*, quondam Heſperia, Saturnia, Auſonia, Oenotria, &c. Nonnunquam & hiſtorica momenta miſcentur. Sic *Tabula XI*, omnium facile accuratiſſima perfectiſſimaque, Daniam quippe ſiſtente, memoratur, e. g. *Kiöbenhafn*, olim *Kiöbmannehafn*, Lat. Hafnia, vel Portua, Germanis *Copenhagen*, a portu dicta, quem facit altera civitas *Chriſtianshafn* in Inſula Amager, Lat. *Amagria*. $1\frac{1}{2}$ m. g. 1 m. g. tuetur caſtellum *Fridrichshafn*, duplici vallo & foſſa munitum. Urbem ornant regiæ: *Chriſtiansborg*, *Roſenborg*, *Charlottenborg*, &c. ſuburbium *Friderichsberg*. Academia A. 1420 fundata, &c. *Tabula XII* legitur: *Deutſchland*, vel *Teutſchland*, Danis *Tyskland*, Gallis *Allemagne*; Latine *Germania magna*; pace publica diviſione Germaniæ in decem Circulos a *Maximiliano I* A. 1512 jam tandem firmata

ad

ad matriculam, (breviarium rectius diceres,) imperii, Wormatiæ A. 1521 promulgatam, valli imperii regiones luſtramus, poſtquam vero periit Circulus Burgundicus, ejus loco Bohemicus ſubjicitur; & inferius ad ſtatum civilem: Sacrum imperium Romano-Germanicum ſyſtema fœderatorum dicitur, ſeu, rectius & ſimplicius, eſt amica ſocietas, quæ, per digniores ſocios, more antiquo, judicem & ducem militarem ſibi legit, hunc *Kaiſer*, vel Imperatorem, nominat. Ut ejusmodi plures obſervationes, Compendio quidem convenientiſſimas, ſed vel ideo paſſim occurrentes, prætereamus. In mentem ſaltem hic adhuc venit conſilium cujusdam eruditi, qui, cum præſertim juvenile ſtudium ſit Geographia, cujus generis hominum attentio varietate mulcetur, crebriore juvatur repetitione, animum induxit, variis curſibus, viginti circiter recitationes ſingulis complexis, ita tractare Compendia Geographiæ variorum generum, ut *primo* ſuppeditetur σκιαγραφία, qualis hic ſiſtitur, *altero* χωρογραφία, *tertio* ὑδρογραφία, *quarto* τοπογραφία, *quinto* antiqua Geographia, *ſexto* media, *ſeptimo* mathematica, *octavo* hiſtorica, *nono* critica, *decimo* bellica, ſeu militaris, *undecimo* naturalis ſecundum tria regna naturæ, *duodecimo* artificialis, *tertio* & *decimo* literaria, *decimo quarto* ſacra, *decimo quinto* heraldica, & ſic porro. Num & quatenus inprimis hac ratione juvetur ſtudioſa juventus, aliorum eſto, quod is deſiderat, judicium. Idem, & quantitatibus ſyllabarum, quatenus ad pronuntiationem pertinent, & nominibus cujusque loci populique domeſticis, ſimul indicatis, tractationem geographicam inſtrui, nec minus ipſius Geographiæ velut hiſtoriam adjungi debere, arbitratur.

LETTERA AL SIGNOR CURTIO, &c.

hoc eſt,

EPISTOLA AD DOMINUM CURTIUM, IN qua variæ obſervationes medico-phyſicæ recenſentur.

Florentiæ, 1748, 4.

Plag. 5.

Plura

Pura ſunt, quæ *Fabius* amico ſuo, *Curtio*, verane, an ficta, hæc ſint nomina, parum refert, transſcribit. De cœlo & ſolo variorum, quibus victitatum eſt, locorum Italiæ agitur. De aquis Marzoccanis & fontibus *di Piedra ſanta* agitur, & experimentis evincitur, damnandum illius uſum eſſe. Inter alia, quæ proponuntur, argumenta illud viſum eſt, quod cum erudito orbe communicetur, dignius, quo de febribus meſentericis Romanis, a *Baglivio* jam deſcriptis, quædam erudite proferuntur. Veloces illæ haud ſunt, nec ſymptomatum acerbiorum copia urgentur, ſed lentæ incedunt, & finem a natura ſibi datum habent, quo viſcera imi ventris purgent. Quamvis ergo illæ ad uſum Corticis Peruviani ſubito conquieſcant, revertuntur tamen pejores, niſi cauſis, propter quas illas adeſſe oportet, ſatisfactum ante fuerit. Sunt autem iſtæ cauſæ meſenterii, ipſiusque lienis, obſtructiones. Propterea purgantibus pharmacis ab initio utendum eſt frequentius, vel, ſi tamen Cortice utendum, purgante aliquo pharmaco miſcendus ille eſt. Obſervavit Autor, ſi plethorici ſunt, ſecandam illis venam eſſe, quod tamen in omnibus haud ſuccedat. Laudatur Anglici cathartici ſalis in curandis ejusmodi febribus utilitas. Nec emethica male ſteterunt, ſi vitium in ventriculo ſedit. Diſtinguit Autor inter *depurativas* & *corruptivas* febres intermittentes. In illis quidem ad mentem *Baglivii* minus ſecurum Corticis uſum eſſe, recte docet; aſt in his rationes multas, quare opprimi illas ſubito oporteat, exponit. Fuerunt enim, maxime per æſtatem, intermittentes, quæ propter urgentium ſymptomatum ſyndromen tolerari diu haud poterant. Erant ex illis, quibus Lethargus ſuperveniret, & ad malignarum indolem haud parum illæ accedebant. Conſultum adeoque viſum eſt, Cortici vel Rhabarbarum, vel ſalis ammoniaci particulam, admiſcere, quod eo potiſſimum conſilio factum eſt, ut cauſis morborum ſimul ſatisfieret. Eadem methodo in ſimilibus hemitritæis, ac mixtis cum typo intermittentium continuis, uſi fuerunt *Liſterus* & *Mortonus*. Non enim forte Cortex Chinæ adſtrictivum unice remedium eſt, ſed ob amaritudinem aromaticam inſigne ſimul tonicum ac ape-

X riens,

riens, veluti *Ettmulleri* & *Hoffmanni*, quibus magna, ſicut ubique legimus, penes Italos eſt autoritas atque fides, ſuffragiis docet. Inſunt præterea huic opuſculo variæ varios morbos curandi methodi. De venæſectione in cura pleuritidis ſæpius repetenda agitur, quam ſerius etiam, & ſecundum *Hippocratem* octavo die, aperiri poſſe, quam freqnentius quoque in inflammatorio iſto morbo aperiendam eſſe, *Sydenhamii* & *Mortoni* ſententiis ſuffultus, docet. Eſt enim in prima venæſectione pleuriticorum *cruſta illa inflammatoria alba*, quæ ſanguini ex vena miſſo ſupereminet, quam etiam in ſubſequentibus venæſectionibus adhuc ſupereſſe intelligimus; eo adeoque neceſſaria magis erit repetita in pleuritidis cura venæſectio, quo magis ſanguis ægroti, ex vena fluens, poſtquam refriguit, albet. Hinc recte *Boerhaavius*: *Cruſta abſens finem imponit*. Enimvero tantum, quod metui, ſi vena frequenter aperitur, debeat, haud eſt; magna enim in corpore, maxime plethorico, eſt vis ſanguinis, ut ſecundum *Keilium*, ſi corpus 160 libras pendet, centum ſanguinis libras illi ineſſe oporteat, cujus adeoque particulam ſine metu ſubtrahere poſſis, ſi pulſus adeſt durities, ceteroquin autem magnus morbus efficaciorem medicinam poſtulat.

SAM. KOENIGII, PROFESS. FRANEQ. DE Univerſali Principio Æquilibrii & motus, in Vi viva reperto, deque nexu inter Vim vivam & Actionem, utriusque Minimo, Diſſertatio, continuata & finita.

Conf. *Nova Acta Partis prioris* hujus *Menſis pag. 125 ſeq.*

Theorema.

TAB. II Fig. 2. *Si in Tubis communicantibus eadem eſt altitudo fluidi gravis; datur æquilibrium.*

Demonſtratio.

Negetur. Ergo movebitur fluidum, & ſuperficies extima *MN* deſcendet in ſitum proximum *mn*; ſuperficies autem extima *ab* tubi communicantis adſcendet in proximum *aβ*, ut adſcenſus totius maſſæ fluidæ *Lb* ſit *aα*. Enimvero per *Corollar.*

TAB. II ad Nov. Act. Erud. pag. 162 seq.




Fig. I.



Fig. III.





Fig. I



Digitized by Google

lar. proxime præcedeut, Vis viva, deſcenſu maſſæ *ME* per altitudinem *Mm* generata, æquatur Vi vivæ, quam acquirit gutta *Mm*, ſeu elementum totius maſſæ fluidæ, cadendo per totam altitudinem *MC* Cylindri fluidi *ME*, qui deſcendere ponitur; proinde illa eſt ut *Mm. MC*. Simili modo Vis viva adſcenſu ejusdem guttæ $Mm = a\beta$ per altitudinem *La*, aut *La*, deſtructa eſt, ut *Mm. La*. Erit proinde elementum Vis vivæ in Syſtemate integro generatum ut *Mm.* (*MC* — *La*), id eſt, *ut differentia altitudinum fluidi in tubis communicantibus.* Sed $MC - La = O$, *per hypotheſin*, ergo Vis viva, quæ Syſtemati ineſſe ponitur, nulla eſt, conſequenter datur æquilibrium. Q. E. D.

Oſtenſum itaque eſt, quam præclare Theoremata Statica ex theoria Virium vivarum derivari queant, hisque intellectis, facile patet, idem valere in omni æquilibrio quorumcunque corporum. *Quotiescunque enim talis eſt diſpoſitio & proportio partium Syſtematis, itemque proportio virium, in partes agentium, ut, ſuppoſito minimo motu, elementum totale Vis vivæ nihilo æquale fiat*, (elementis partialibus, acceſſu in Syſtemate generatis, & receſſu in eodem rurſus deſtructis, ſe mutuo æquantibus,) *datur neceſſario æquilibrium.* Qua ex regula non ſolum ſitus æquilibrii Machinarum quarumlibet definiri poſſunt, & potentia media cum ejusdem directione, corporum quorumlibet ſyſtema conſtituentium, & ad centrum viribus quibuscunque ſollicitatorum, & illa omnia, quæ ſpectant cum motus rotatorios circa punctum, aut axem, tum partium reſpectivam quietem durantibus illis; ſed etiam figuræ omnes tam ſolidorum flexibilium corporum, quam fluidorum, in quibus æquilibrata quieſcunt. Si enim trahatur Syſtema ad centra quælibet, viribus quibuslibet X, Y, Z, &c. voceturque elementum Syſtematis dM, diſtantiæque ejusdem a centris reſpective x, y, z, quarum functionibus vires X, Y, Z, proportionales ſunt; erit (*Lem. I & Coroll.*) elementum totale Vis vivæ in Syſtemate variatione minima ſitus generatum, ut $dM\int Xdx + dM\int Ydy + dM\int Zdz +$ &c. quæ ſumma quotiescunque fuerit $= O$, ſyſtema in æquilibrio eſt.

Eadem univerſaliſſima regula in Elaſticis etiam ſuccedit, ſi modo conſtet ratio exprimendi; elementum Vis vivæ, incremento minimo tenſionis reſpondens; quod haud difficulter fieri poteſt ſequenti modo.

Si in lamina elaſtica incurvata & tenſa Radius oſculi in quolibet loco indeterminato N dicatur R; erit ex hypotheſi vulgari Elaſticitas, aut preſſio Elaſtri, in loco N ut $\frac{E}{R}$, ſed *Elementum Vis vivæ tranſeuntis in Elaſtrum menſuranda eſt per preſſionem Elaſtri, ductam in contractionem ejusdem.* Itaque, quoniam, aucta tantillum tenſione, angulus curvedinis minuitur, (qui, ponendo elementum Maſſæ $= dM$, eſt $\frac{dM}{R}$), ita ut contractio Elaſtri ſit ut hujus anguli differentiale $\frac{dM}{R^2} dR$; erit elementum Vis vivæ, in unico elemento dM aucta tenſione genitum, ut $-\frac{dM.\ E.\ dR}{R^3}$. Conſequenter ſumma omnium ſimilium elementorum, incremento tenſionis per univerſam laminam genitorum, ſeu $\int -\frac{dm.\ E.\ dR}{R^3}$ eſt ut $+\frac{dME}{R^2}$, aut etiam $= \frac{\frac{1}{2} dME}{R^2}$, ſi modo debite explicetur conſtans E. Quodſi itaque lamina elaſtica attrahatur ad centra plura, & attracta incurvetur, elementum totale Vis vivæ conjungendo utramque æſtimationem elementorum Virium vivarum partialium eſt ut $dM\int Xdx + dM\int Ydy + dM\int Zdz +$ &c. $+ \frac{1}{2}\frac{E}{RR}$. Quæ ſumma ſi fuerit $= o$, dabitur æquilibrium.

Ex dictis nunc abunde patet, omne æquilibrium ex *Nullitate* Vis vivæ, aut etiam Actionis, ſtricte ſumta promanare, minime vero ex earundem *Minimo*, aut *Maximo.* Quid itaque, per Methodum de Maximis & Minimis ſitus Syſtematis, in

quo

Digitized by Google

quo æquilibratur, determinari non poterit? Omnino poterit, ſed propter aliam quampiam rationem, quæ explicanda, ut error vitetur. Nimirum in ſolo ſitu æquilibrii ſollicitationes, cum ſeſe mutuo deſtruant, nullam Vim vivam in Syſtemate generant. Syſtemate vero extra hunc ſitum poſito, ſollicitationes ſeſe mutuo non deſtruunt, ſed Vim vivam generant, motumque Syſtematis continue accelerant, donec in ſitu, qui alioquin æquilibrio proprius eſt, *maximus* fiat, evaneſcentibus ibi accelerationibus. Itaque *ſitus æquilibrii ſimul eſt locus maximæ Vis vivæ*, ſi Syſtema ad centrum Virium re vera accedat; & ſitus contrarius *ſimul locus minimæ Vis vivæ*, ſi Syſtema vi, extrinſecus impreſſa, a centro virium continue recedat: quemadmodum in pendulo videre licet, quod deſcendendo Vim vivam maximam habet in ſitu verticali, in quo æquilibratum quieturum foret, ni vi, deſcenſu acquiſita, ex illo eriperetur. Et rurſus adſcendendo velocitate extrinſecus impreſſa, ſeu projectili, Vim vivam minimam habet in ſitu priori oppoſito, in quo ſimiliter quieturum foret, niſi vi adhuc reſidua etiam ex eodem educeretur. Idem hoc obſervare licet in fluido oſcillante in tubis communicantibus, ubi Vis viva, quæ fluido ineſt, *maxima* fit, quoties ad eandem altitudinem in utroque tubo columnæ fluidæ pervenerunt, qui ſitus æquilibrii eſt. Et in Catena oſcillante Vis viva maxima eſt, quando eundo & redeundo catena eo pervenit, ut per figuram Catenariæ aſſignatam oſcillando tranſeat. Idem de Actione inſtantanea verum eſt, quoniam rationem Vis vivæ ſequitur, ut ſupra dictum fuit.

Notandum hoc etiam: quoniam Vis viva accedente Syſtemate ad centrum Virium in ſitu æquilibrii maxima fit, & in hypotheſi *Galilæi* Vis viva eſt ut deſcenſus communis centri gravitatis; conſequens eſt, Syſtemate in ſitum æquilibrii delato, deſcenſum centri gravitatis fieri omnium maximum. Ex quo Demonſtratio regulæ fluit, quæ ponit, *omnis Syſtematis motum continue augeri, donec deſcenſus communis centri gravitatis evaſerit maximus*. Quod ipſum ante hos duodecim annos Clariſſimum Virum, cujus meditationes ad hæc ſcribenda me impulerunt, appro-

 baſſe

baſſe memini, cum dicerem; ipſe forte in itinere ex me ſciſcitante, num putem huius propoſitionis de maximo deſcenſu centri gravitatis demonſtrationem dari poſſe; cujus etiam rei accuratiori conſideratione ad hanc univerſaliorem Theoriam deductus fui. Sed his, quæ hactenus protuli, obſtare omnino videtur ſolutio illius Problematis, quod legem quietis, ſeu æquilibrii, per minimum Actionis longe alia ratione, ſtabilire videtur: quæ itaque ad examen revocanda.

Re conſiderata, reperio, illum vulgarem abuſum velocitatis initialis impreſſæ in cauſa fuiſſe, ut aliud Problema verbis propoſitum, & aliud re vera ſolutum, fuerit. En Problema, cujus ſolutio fraudem fecit, clare enunciatum.

Datis duobus corporibus A *&* B *virga inflexili* AB *data longitudinis junctis, & circum punctum quoddam* C, *velocitate angulari data, rotandis: determinare punctum* C, *quo adhibito, durante ratione, cum Vis viva, tum Actio, faciant maximum, aut minimum.* *

* Vide *Tabulæ I*, hujus *Menſis Parti priori* adjectæ, *Figuram 1.*

Solutio.

Dicantur corpora A & B; longitudo virgæ $AB = a$, $AC = Z$, adeoque $BC = a - z$. Porro, quoniam motus angularis conſtans & datus eſt, ponatur in loco dato F velocitas data $= c$, & longitudo $FC = l$. Quoniam itaque velocitates ſunt ut diſtantiæ a puncto rotationis C, quadrata velocitatum erunt ut quadrata earundem diſtantiarum, adeoque $l^2 : Z^2 = c^2 : \frac{c^2 z^2}{l^2}$ = Quadrato velocitatis corporis A. Simili modo $l^2 : \overline{a-z}^2 = c^2 : \frac{c^2 . \overline{a-z}^2}{l^2}$ = Quadrato corporis B. Erit proinde Vis viva Syſtematis, (& propter æqualitatem temporum etiam Actio ejusdem) $\frac{C^2}{l^2} \times (ZZ. A + \overline{a-z}^2. B)$ qua formula differentiata reperitur $z = \frac{Bc}{++B}$. Quod oſtendit, centrum gravitatis punctum quæ-

quæſitum eſſe, & converſione circa illud, facta motu angulari conſtante, tam Vim vivam, quam actionem, *Minimum* facere; quoniam *Maximum* non datur creſcente tam Vi viva, quam actione in infinitum, prout punctum rotationis *C* magis magis magisque a centro communi gravitatis corporum recedit.

Hoc eſt ipſiſſimum Problema, quod re ipſa ſolutum fuit, ex cujus ſolutione regula ſtatus æquilibrii, meo ſaltem judicio, derivari non poteſt, quoniam ſollicitationes corporibus hinc inde applicatæ in cenſum non veniunt. Coincidit forte punctum minimæ Vis vivæ, in caſu rotationis æquabilis, cum puncto æquilibrii corporum, ſi in ratione maſſarum gravia ponantur; ſed hinc regula æquilibrii cognoſci nequit: ponendo enim, pondera ſuis maſſis non proportionalia eſſe, variatur punctum æquilibrii *C*, puncto rotationis æquabilis in eodem loco permanente. Neque aliter res expediri poteſt, niſi velocitatibus initialibus impreſſis utamur, quemadmodum paulo ante tradita Theoria Virium vivarum requirit.

Obſervare autem licet in demonſtrationibus ſupra traditis, deduci ſtatum æquilibrii ex ſuppoſito motu, argumentandi ratione *ad abſurdum*. Quemadmodum enim adverſarii aſſenſum coacturus Geometra, aſſumendo contrarium ejus, quod in propoſitione affirmat, conceſſa axiomata evertit, & cum his ipſum *Principium contradictionis*; ita ſimili modo Mechanicus, aſſumendo contrarium ſtatus æquilibrii, ſtatum nimirum motus, ni concedatur, quod vult, everſum it alterum magnum principium omnis humanæ cognitionis, *Principium rationis ſufficientis*, oſtendens, ſic futurum motum absque Vi viva, id eſt, absque ratione ſufficiente. Quod rurſus pulcherrime declarat, omnem Mechanicam fundari in Principio rationis ſufficientis, quemadmodum numerorum ſcientia & Geometria omnis in Principio contradictionis.

Illi autem omnes, qui duce *Galilæo* æquilibrium ex facto velocitatis initialis in maſſam æſtimare juſſerunt, in magno certe errore fuerunt. Etenim, ſi vectis duobus ponderibus onu-

onuſtus velocitate angulari quomodocunque variabili, circum commune centrum gravitatis *C* gyretur, cum velocitates, tum incrementa velocitatum, ſemper ſequuntur rationem diſtantiarum ponderum a centro motus, non ideo tamen datur æquilibrium. Paralogismus ergo huic æſtimationi ineſt, cui aſſenſerunt, quoniam inde illa ratio diſtantiarum prodire videbatur, quam æquilibrium requirere, experientia, aut alia principia, docuerant.

Hæc multaque alia quondam expendens, hoc paradoxon mihi perſuaſi, omnem Mechanicam ex doctrina Virium vivarum eſſe repetendam: quæ ſententia ſi aliquando prævalebit, ut futurum confido; in hiſtoria præjudiciorum opinionumque non ſine admiratione legentur fata doctrinæ Virium vivarum, cui tam diu, tantum non ad interitum nobiliſſimi inventi, reſtitum fuit, commemorabili prorſus ſive pertinacia, ſive tarditate, ingenii humani. Certe in ſolvendis quæſtionibus Dynamicis pleroſque præpoſteris Methodis uti, palam eſt. De ſtatu æquilibrii paulo ante dictum; in ſtatu motus actualis infelici ſubtilitate Principium Virium vivarum etiam æquiſſimi hujus novæ doctrinæ judices a principiis Dynamicis receptis disjungendum cenſuerunt, ut, cum Problema per Methodum Virium Vivarum ſolviſſent, ingenti deinde labore idem per principia, ut vocant, dynamica, quaſi majus quiddam præſtituri, ſolvere conarentur. Omnino contra naturam, quæ, via recta inventa, vetat ambages ſequi. Via Virium vivarum ſimpliciſſima & maxime naturalis eſt, quoniam breviſſima; illa altera autem principiorum Dynamicorum ſæpe vitioſa, quoniam nulla neceſſitate urgente anfractuoſior. Cujus aſſerti nullam aliam probationem volo, quam laborioſam illam & inutilem plerumque decompoſitionem virium, qua, peractis ſubſtitutionibus & ſummationibus, ad Theorema ſolum Virium vivarum perducimur, a quo certe proficiſcendum fuiſſet, ſi rectum videre præjudicia ſiviſſent. Veluti quoties velocitas corporis quæritur in curva incedentis, & ad centrum ſollicitati, viribus quibuscunque functioni diſtantiæ proportionalibus, quid, quæſo, opus eſt conſideratione curvaturæ,

vis-

Digitized by Google

viſque tangentialis & normalis, cum hæc in numero *determinantium* non ſint, quandoquidem velocitas, quæ quæritur, unice a linea acceſſus, & preſſionibus, in ſingulis ejus punctis mobili impreſſis, pendet. Qua primum inventa, abſtrahendo prorſus ab omni curvatura, facillime deinde æquatio ad curvam reperitur, adhibito Theoremate notiſſimo, vi cujus *Vires vivæ ejusdem corporis, in curva revolventis, ſunt in diverſis a centro virium diſtantiis, reciproce ut quadrata normalium, ex centro in tangentes demiſſarum.* Vitioſe itaque in ſubſidium vocatur, quod ad determinationem quæſiti nullum prorſus momentum habet. Regula enim generalis artis inveniendi in analyticis, omnes quantitates, quæ calculo ejiciuntur, per ſe inutiles exiſtimare jubet ad determinandum quæſitum, adeoque in ſolutione optima atque breviſſima, quæ ſolorum determinantium legitima compoſitione quæſitum reperit, comparere non debent; quoties autem comparent, indicio ſunt, ſimpliciſſimam ſolvendi viam nondum inventam eſſe.

Cenſeo itaque, Theoremate Virium vivarum fundamentum univerſæ Mechanicæ contineri. Hoc, ſymbolis expreſſum, formulam, $Muu = 2\int Pdx$, parit, qua differentiata, celebratiſſima formula Dynamica $udu = Pdx$, *formula vis vivæ* appellanda, quoniam elementum Vis vivæ exprimit. Huic ſi conjungatur formula motus æquabilis $udt = dx$; derivabitur inde $du = \frac{P}{M}\, dt$, ſeu *formula elementaris temporis*, cum hujus præcipuus uſus ſit in tempore definiendo. Ex quibus rurſus combinatis alia differentialis ſecundi gradus venit, nimirum $ddx = \frac{P}{M}\, dt^2$, quæ latiſſimum uſum habet, quoties velocitatis nulla habenda ratio. Atque hoc pacto omnia mirifice inter ſe conſentiunt. Quodſi vero, his auditis, quærat aliquis, ex quibusnam principiis anterioribus Theorema Virium vivarum demonſtratum velim, ut hæc indicata propoſitionum ſubordinatio ſtare queat, conſiteri non vereor, me, omnibus ſæpe penſitatis, & præjudicatis opinionibus ægre tan-

 dem

dem excuſſis, ita exiſtimare, illa eſſe arceſſenda ex theoria *Virium purarum*, quam *Leibnitius* paſſim indicavit, Clariſſ. *Wolfius* vere laudanda aliquando perſpicacia primus probavit, publiceque demonſtravit. Sed inconſiderato Ontologiæ, e qua omnium diſciplinarum initia promanare debent, odio factum eſt, ut generaliſſima maximeque fœcunda cum Dynamicæ, tum ipſius Geometriæ, principia etiam nunc poſt tantos progreſſus deſiderentur, ut evidentiſſimis ſpeciminibus oſtendere poſſem, ſi probatio aſſerti proferenda eſſet.

Sed venio nunc ad modum derivandi leges motus ex *Minimo Actionis*, qui novam nobis Coſmologiam peperit, ab illa altera Philoſophiæ Germanicæ tota re & univerſa ſententia diſcrepantem, quem ego quidem, ſi Phoronomicum a Dynamico rite ſecernitur, concluſaque ad corpora mollia ſolum, aut elaſtica ſolum, referantur, vehementer probo; eſt enim & elegans, & ſimplex, & certiſſimis veritatibus conſentiens. Sed video, Phoronomicum, pro Dynamico, ſecus quam fieri oportebat, acceptum, in cauſa fuiſſe, ut inventæ leges motus etiam corporibus perfecte duris, rejecto *principio continuitatis*, fuerint tributæ. Quod lineam tranſilire, theoria Virium vivarum oſtendet, ex aſſumtis ſequentibus:

1) Omni Actioni æqualem eſſe & contrariam Reactionem.

2) Hinc fieri, ut velocitatum mutationes, puto earundem incrementa, aut decrementa, quolibet Actionis momento, ſint reciproce ut maſſæ.

3) Proinde ſtatum ſive quietis, ſive motus communis, centri gravitatis non mutari a corporum actionibus in ſe mutuo.

TAB. II Fig. 4. 4) Velocitatem communis centri gravitatis reperiri ducendo ſingula corpora in ſuas velocitates, & dividendo productum per ſummam omnium corporum. Ex qua quidem regula conſequitur, velocitatem centri gravitatis corporum *A* & *B*, velocitatibus *a* & *b* in eandem plagam verſus *N* progredientium, eſſe $\frac{aA+bB}{A+B}$: adeoque, ſi ex quacunque

cauſa

cauſa velocitatum mutatio contigit, ut a fiat x, & b fiat y, erit vi ejusdem regulæ, hac mutatione facta, velocitas communis centri gravitatis $= \frac{xA + yB}{A + B}$. Proinde in caſu, ubi ſtatus centri gravitatis, mutatis velocitatibus corporum, non mutatur, habebitur

$$aA + bB = xA + yB, \quad \text{ſeu}$$
$$(a - x)A = (y - b)B.$$

Conſequenter, quoties $x = y$

$$(a - x)A = (x - b)B.$$

Qua æquatione nunc potiſſimum indigemus.

Hæc hactenus in confeſſo ſunt apud omnes. Reliqua quo commodius intelligantur, velocitatem cujusque corporis dispertio in communem & propriam.

Velocitatem communem corporis appello eam, quam communem habet cum alio corpore in eadem directione, eadem velocitate progrediente, (qualem habent corpora in nave MN, velocitate quacunque verſus x progrediente,): & ſimili modo *Vim vivam communem* illam, quæ pendet ab hac velocitate communi, & ſumma corporum. *Velocitatem propriam* vero cujusque corporis vocare lubet illam, qua corpus fertur nullo reſpectu habito ad aliud corpus; quales futuræ eſſent velocitates corporum, ſeſe in nave inter ſe moventium, nave ipſa uniformi velocitate progrediente: & rurſus ſimili modo *Vim vivam propriam* eam, quæ pendet a velocitate propria & maſſa corporis. Summa velocitatum propriarum, ſi corpora in eandem plagam feruntur, aut earundem differentia, ſi feruntur in oppoſitas, dat *velocitatem reſpectivam*, ut notum eſt.

Age, inſpiciamus primo Phoronomicum. Quodſi itaque, ſepoſita adhuc conſideratione conflictus, corpora A & B moveantur in eandem plagam verſus N velocitatibus a & b, ita ut $a > b$; partitionem velocitatum in communem & proprias multis, immo infinitis, diverſis modis inſtituere licebit, ita ut eædem maneant velocitates abſolutæ corporum a & b, eademque velocitas reſpectiva $a - b$. Etenim, ſi velocitas

 com-

communis corporum, qua una moventur verſus N, dicatur x, erit velocitas propria corporis A, qua movetur verſus $N = a - x$, & velocitas propria corporis B, qua movetur in directione oppoſita verſus $M = x - b$. Eſt enim

$$1)\quad x + (a - x) = a$$
$$2)\quad x - (x - b) = b$$
$$3)\quad \overline{a - x} + \overline{x - b} = a - b.$$

His præmiſſis, res redit ad Problema ſequens:

Problema.

Datis duobus corporibus A & B, *datis velocitatibus* a & b, *in eandem plagam verſus* N *progredientibus: haſce earundem velocitates in unam communem, & duas proprias, ita partiri, ut ſumma virium vivarum propriarum ſit omnium ſimilium minima.*

Solutio.

Dicatur velocitas communis indeterminata x, erunt velocitates propriæ $(a - x)$ & $(x - b)$. Conſequenter ſumma Virium vivarum propriarum $= A.\overline{a - x}^2 + B.\overline{x - b}^2$; cujus differentiale ſi ponatur $= 0$, prodit

$$- A.\overline{a - x} + B.\overline{x - b} = 0$$

$$\text{ſeu } A.\overline{a - x} = B.\overline{x - b}.$$

Quæ Æquatio (vid. *Num.* 4) ultro oſtendit, quæſito locum eſſe, quando velocitates propriæ, in plagas oppoſitas directæ, reciproce ſunt ut maſſæ corporum; adeoque, quando commune gravitatis centrum quoad velocitates proprias quieſcit, velocitas autem communis x velocitati communis centri gravitatis $\frac{aA + bB}{A + B}$ æqualis ſit. Q. E. I.

Hinc demonſtrare licet Theorema ſequens maximi uſus in hoc loco legum motus corporum mollium & elaſticorum.

Theorema.

Quotieſcunque ſumma Virium vivarum propriarum facit mini-

minimum, univerſa Vis viva, quæ ineſt corporibus A & B, *æqualis eſt Vi vivæ communi, una cum Viribus vivis propriis amborum corporum.*

Demonſtratio.

Quoniam velocitas corporis *A*, ſeu $a = x + \overline{a - x}$, & velocitas corporis *B*, nimirum $b = x - (x - b)$, univerſa Vis viva propria, quæ ineſt duobus corporibus *A* & *B*,

$$aaA + bbB = \begin{cases} xxA + 2.\ \overline{a - x}.\ A + \overline{a - x}^2.\ A \\ xxB - 2.\ \overline{x - b}.\ B + \overline{x - b}^2.\ B. \end{cases}$$

Sed in caſu, quando ſumma Virium vivarum propriarum facit minimum

$$A.\ \overline{a - x} - B.\ \overline{x - b} = o \text{ (Num. 4).}$$

Conſequenter remanet

$$Aaa + Bbb = (A + B)\ XX + A.\ \overline{a - x}^2 + B.\ \overline{x - b}^2.$$

Q. E. D.

Scholion.

Idem generaliſſime verum eſt, quantuscunque ſit numerus corporum. Ducimur adeo hoc Theoremate via breviſſima ad cognitionem motuum plurium corporum, quibus poſt conflictum feruntur; quæ quæſtio alioquin mire perplexa eſt. In conflictu ſumma minima Virium vivarum propriarum in compreſſionem partium tota impenditur, adeoque in mollibus perire videtur; contra Vis viva communis in omni caſu ſalva manet, ut mox apparebit.

Hæc, quæ hactenus dicta fuere, Phoronomica ſunt; locum enim habent ante concurſum corporum, veraque futura eſſent, ſi etiam nullus unquam conflictus contingere poſſet, veluti ſi corpora non in eadem recta centra jungente, ſed in duabus parallelis, ſaltem intervallo duorum ſemidiametrorum corporum *A* & *B* inter ſe diſtantibus. Jam, ut prodeant Dynamica corporum, in ſe mutuo actio, in conflictu ſe exſerens, introducenda. Ponamus itaque, corpora *A* & *B* eſſe mollia, eaque velocitatibus propriis $a - x$, & $x - b$ maſſis recipro- TAB. II Fig. 3.

Digitized by Google

ce proportionalibus in plagas contrarias, (nempe A verſus N, & B verſus M,) ferri, donec concurrant, & conflictum faciant, centro gravitatis communi velocitate $\frac{aA+bB}{A+B}$ interim progrediente. Itaque, quoniam corpora A & B in contrarias plagas moventur, velocitatibus, quæ ſunt ut hæc corpora reciproce, centrum commune gravitatis C inter illa quieſcit; adeoque, quoniam ante conflictum quieſcit, propter æqualitatem Actionis & Reactionis (*Num. 1*) etiam durante conflictu conſtanter quieſcet (*Num. 3*); conſequenter, quoniam neque penetratio corporum, neque reflexio, dari poteſt, neceſſe eſt, ut hæ velocitates propriæ corporum continuatis niſibus contrariis tandem totæ exſtinguantur, ſimulque hinc pendentes Vires vivæ propriæ, quarum ſumma minimum facit, & quæ totæ in compreſſione partium facienda abſorbentur, ſalva manente ſola Vi viva communi, quæ in conflictu alterari nequit. Et hæc omnia iisdem verbis de Actione valent.

Ex his itaque clariſſime, ut arbitror, intelligere licet, quo vinculo in hoc caſu Phoronomicum Dynamico cohæreat, & conſenſus exiſtat, ſpecie unicitatis fallens, cum duas diverſiſſimas res pro una eademque habere facit. Nimirum lex de æqualitate actionis in cauſa eſt, ut præciſe illa ipſa Vis viva, quæ manente velocitate reſpectiva $a-b$ omnium propriarum minima eſt, & nulla alia major, aut minor, durante conflictu in compreſſionem partium vertatur, ita ut Vis viva communis prorſus illibata relinquatur: ergo, ſublata hac lege de æqualitate Actionis & Reactionis, conſentaneum eſt, ut hoc minimum Vis vivæ in conflictu ſimul tollatur.

Enimvero, cum in hypotheſi corporum abſolute duorum, ubi partes tendi, tenſæque in contrarias partes niti, nequeunt, hæc lex de æqualitate Actionis & Reactionis neque intelligi poſſit, nulla probabili ratione leges motus corporum mollium corporibus abſolute duris vindicabuntur. Præcipit enim Logica: *Quicquid rei tribuitur, vi eorum, quæ rei inſunt, illi tribui debet.* Quis autem non videt, ex notione duritiei abſolutæ nihil eorum inferri poſſe, quod ex notione compreſ-

ſionis,

ſionis, & hinc naſcente æqualitate actionis & reactionis, promanat. Certe, ut leges motus corporum mollium corporibus abſolute duris tribui poſſint, demonſtrandum eſſet, *corpora dura, ſibi mutuo occurrentia velocitatibus, quæ ſunt reciproce ut maſſæ, poſt conflictum quietura*, quod fieri non poſſe, manifeſtum eſt. Et in genere ex Phoronomica veritate legem Dynamicam nullo pacto inferre licet. Fit enim ſaltus in aliud genus, quem regulæ ratiocinandi non ferunt. Diverſa enim hæc ſunt, licet analoga, & utrumque ex ſuis propriis fontibus derivandum. Stat itaque *Principium continuitatis Leibnitianum*, quo everſo, omnem intelligibilem mutationum explicationem, omnemque adeo naturalem Philoſophiam, ruituram arbitror.

Hæc, quæ diximus, ſatis etiam declarant, quid de illo *minimo Vis vivæ & Actionis*, in conflictu conſumtæ, metaphyſice ſpectato, exiſtimandum ſit. Nimirum tantum aut cœci fati, aut ſapientis conſilii, huic legi minimi inerit, quantum in lege de æqualitate Actionis & Reactionis, aut neceſſitatis, aut contingentiæ, reperietur, quorum alterutrum tum demum recte affirmabitur, ſi prius conſtiterit, ex utro principio, contradictionisne, an rationis ſufficientis, hæc primaria lex ſcientiæ motus profluat: quem fontem genuinæ demonſtrationis exiſtentiæ divinæ *Leibnitius Wolfius*que dudum præclare viderunt, & eximiis artibus omnium intelligentiæ apparuerunt. Sed hæc metaphyſica ſunt, quæ hac occaſione præterire decrevi.

Quodſi hæc qualiacunque, quæ forte de his novis disquiſitionibus primum audienti in mentem redierunt, Clariſſimi Viri, qui has res non ſine laude agitare cœperunt, ſuis examinibus publicisque animadverſionibus digna judicabunt, libenter in his *Actis*, quibus prima harum veritatum ſemina a *Leibnitio* quondam commiſſa fuere, operam dabo, ut, quantum in me ſit, momentoſiſſimus hic, & cum dedecore Geometriæ ſat diu controverſus, Dynamicæ locus tandem aliquando conſtituatur.

Ut finem faciam, hoc addo, videri *Leibnitium* multo latius paten-

patentem Actionis theoriam habuiſſe, quam fortaſſe nunc etiam ſuſpicari poſſumus. Eſt enim ejus ad *Hermannum* Epiſtola, in qua ſcribit: *L'Action n'eſt point ce que vous penſée, la conſideration du tems y entre; elle eſt comme le produit de la maſſe par le tems, ou du tems par la force vive. J'ai remarqué que dans les modifications des mouvemens elle devient ordinairement un Maximum, ou un Minimum. On en peut deduire pluſieurs propoſitions de grande conſequence; elle pourroit ſervir à determiner les courbes que decrivent les corps attirés à un ou pluſieurs centres. Je voulois traiter de ces choſes entr'autres dans la ſeconde partie de ma Dynamique, que j'ai ſupprimée; le mauvais accueil, que le prejugé a fait à la premiere, m'ayant degouté.*

MUSEUM HELVETICUM, AD JUVANDAS literas in publicos uſus apertum.

Tomus II, ſeu *Particulæ V-VIII.*

Tiguri, literis Conradi Orellii & Socii, 1747 & 1748, 8.
Alph. 1 plag. 20.

Eadem laus debetur huic *Volumini*, quam *primo* in his *Novis Actis A. 1749 Menſe Dec. pag. 688* tribuimus. Promiſſi memores, & ad ſolvendam fidem publice factam, eodem modo, quo uſi olim ſumus, ſpecimina, hic occurrentia, paucis, non tamen per tranſennam, conſiderabimus.

Pag. 1-55. *Particula V* quinque argumenta explicantur, & quidem 1) *P. Conradi Oratio de neceſſariis Theologi polemici virtutibus.* E MSto *Jacobus Zimmermannus* eam dedit, qui ejus præſtantiam commendat. Exiguam Orationis partem propter temporis anguſtiam Belgæ huic publice habere licuit. Ante omnia in Theologo Polemico requirit ſincerum veritatis amorem. Explicat illum, &, neceſſarium eſſe eundem, oſtendit. Conqueritur de contrario ſui amore, & partium inprimis ſtudio, cujus fontes aperit, & vitia, inde derivata, manifeſtat. Ad aliam accedit virtutem, Theologo Polemico non minus neceſſariam, candorem ſcilicet in diſputando, genuinum veritatis fœtum.

Pro-

Digitized by Google

Proximos comites huic jungit juſtitiam & æquitatem; ubi Chriſti inprimis & Apoſtolorum exemplum addducitur. Cum his connecti debet virtutibus caritas & manſuetudo; ubi Chriſti præcepta & Apoſtolorum monita quam maxime urgentur. Ultima demum virtus prudentia commendatur, ne indifferentiſmo porta aperiatur. Deſcribitur ea, & ex ipſa Scriptura ſacra deducitur, ſpecialiores denique prudentiæ regulæ ſuppeditantur. Occaſio hujus Orationis enata eſt, cum Profeſſoris manus ad *Conradum* deferretur. 2) *J. G. Altmanni inveſtigatio ſenſus verborum Chriſti ad Mariam Magdalenam Jo. XX, 17*, e MSto. Pergit ulterius præſtantiſſimus Exegeta loca difficillima Novi Fœderis explicare & illuſtrare. Quæſtio in loco *Joannis* eo redit, quare Chriſtus, e mortuis reſuſcitatus, tangi noluerit. Poſt *Wolfium* in *Curis philologicis* ad h. l. potiſſimas ſententias de hoc loco Autor exhibet, adjecta epicriſi & ſenſus ſimpliciſſimi deſcriptione. Nonnulli putant, factum ideo hoc eſſe a Chriſto, quod, majorem ſibi reſuſcitato, quam olim humili habitu obambulanti, a *Maria* exhiberi reverentiam, voluerit. Alii contendunt, nimiam voluiſſe Servatorem *Mariæ* feſtinationem prohibere. *Harduini*, *Jacobi Gyſii*, *Werenfelſii*, opiniones commemorantur. Myſticum nonnulli ſenſum amplectuntur, ſtatuentes, Servatorem hoc modo non ſolum *Mariam Magdalenam*, ſed & diſcipulorum animos, ab omnibus ideis corporeis ad cœleſtia deducere voluiſſe. Adductis hiſce, ſuam ſententiam ex nexu verborum antecedentium & conſequentium eruit. Senſus verborum Autori hic eſt: *Noli dubitare, Chriſtum eſſe, quem vides, qui tecum loquitur, nec opus eſt, te majorem contactu corporis mei acquirere certitudinem; tuum eſt, credere, ſi Dominus loquitur, ſis ideo certa de reſurrectione mea, noli jam moras nectere, tempusque contactu & amplexibus terere, dum fratres mei, qui me aeque amant ac tu, quid de me factum ſit, neſciunt; tuum ergo eſt, cum tibi primus comparuerim, illis tantum manifeſtare Evangelium; abi ergo cito, & ſine mora provola ad fratres, qui me amant, illisque renuntia, me e mortuis eſſe ad vitam revocatum, atque illud tuum deſiderium corpus meum tangendi certo adhuc implebitur, cum adhuc per aliquod temporis ſpatium apud vos corpore meo manſurus ſim. Habeo enim verum illud corpus, quod toties vidiſti,* Pag. 56-61.

diſti, illudque retenturus ſum, ut me videatis; nondum enim demigravi ex terra ad Patrem meum in cœlum, ſed ad conſolationem veſtram adhuc aliquandiu apud vos ſubſiſtam; tuum ideo eſt, fidem mihi atque obedientiam præſtare, & certitudinem reſurrectionis meæ membris meis anxie exſpectantibus denuntiare, nec jam tibi convenit, majora certitudinis reſurrectionis teſtimonia vel petere, vel exſpectare. Adducuntur ii, qui partem
Pag. 64 - 79, hujus explicationis jam ante viderunt. 3) *Antonii Birrii, Philiatri,*
coll. Tom. I *Oratio de cauſis neglecti a multis Linguæ Græcæ ſtudii, Idib. Mar-*
pag. 337 ſeq. *tii A. 1745, cum auſpicia Prof. Ling. Græc. in Acad. Baſil. caperet, dicta.* Sicuti in *Tomo I Jo. Jac. Breitingerus* de hac re ſimiliter data occaſione diſſeruerat; ita *Birrius* nunc idem argumentum pertractandum ſibi ſumſit. Quamvis vero, pro varia eorum, qui literis operam dant, natura, & pro aliis cauſis, quas ipſe adducit, neglectum oriri poſſe, credat; ad duas tamen claſſes omnes hujus rei cauſas reduci poſſe cenſet, ad difficultatem nimirum, quæ ſeſe offert diſcentibus, & ad falſo conceptam de permodico uſu hujus linguæ opinionem. Æquum ſe in utraque quæſtione præbet, largiens adverſariis, quod poteſt, nec poſtulans, niſi quod per ſe ipſa ratio poſtulare videtur. In prima parte non minimam hanc credit difficultatem, quod non ſponte ſua ad diſciplinæ bonum feratur tenerior ætas. Partes linguæ Græcæ difficiliores percenſet, inprimis huc referens cognitionem Atticiſmi, qui ei eſt propria eloquendi ratio Atticorum. Notione utilitatis eruta, de linguæ Græcæ utilitate diſſerit, & utilem eam in Theologia, Jurisprudentia, & medendi arte, demonſtrat. Gradus tamen cognitionis concedit in hac lingua. Ceterum *Battierii*, ætate ingraveſcentis, locum ſubire ipſe hac Oratione cœ-
79 - 138. pit. 4) *Ephemerides D. Jo. Halleri, quibus ab anno 1548 ad 1565 continetur, quicquid fere in utroque ſtatu Bernæ accidit, cum nonnullis aliis.* Hoſce annales eccleſiaſticos ἐκ αὐτογράφῳ communicavit *Jo. Jac. Simlerus*, V. D. M. Pleraque ad Hiſtoriam eccleſiaſticam ſpectant, qualia ſunt controverſia Sacramentaria, motus ob *Buceri* concordiam excitati, diſputatio de poteſtate eccleſiaſtica, Helvetiorum conſultatio de Concilio Tridentino, de *Muſculo* varia, de *Bullingero*, & hæc eſt potior pars. Inſeruntur tamen etiam alia, v. c. de inſigni impoſtore, *Floriano Susliga*, Polono, de impoſtore *in Enge*. Neſcimus,

an

an acceptum futurum ſit omnibus, de nive, aut pluvia, magna hic annotata legere. Interim, non ſua utilitate defraudandos eſſe annales hoſce, judicamus, præcipue quod ad Reformationis negotium attinet. 5) *Diſſertatio epiſtolica de Ubaballatho, inter Jo. Jac. Breitingerum, & Jo. Bouherium*, e MSto. Duæ exhibentur hac de re Epiſtolæ. Prima *Breitingeri* Latino ſermone ſcripta eſt. Scripſerat *Bouherius* Diſquiſitionem in *Ubaballathi* nummum, qua monogramma VCRIMPR explicuerat. Nunc ſuam opinionem affert *Breitingerus*. De *Ubaballatho* ex *Aurelii Vopiſci Cap. 38*, *Zenobiæ*, non ex *Odenatho*, ſed ex *Athena*, patre filium fuiſſe, docet, &, quæ in contrariam partem afferri ſolent, removet erudite. De quæſtione autem, quorum nomine *Zenobia* tenuerit imperium, hæc ei cum *Pollione* ſedet opinio, ut, eam, credat, *Herenniani* & *Timolai* nomine rempublicam tenuiſſe, non *Ubaballathi*. Alia quædam circa ſcriptum *Bouherii* monet. Inſcriptionem adducit ad illuſtrandam Helvetiæ hiſtoriam. Data hæc eſt Idibus Januarii A. 1734. Altera *Bouherii* Epiſtola Gallice conſcripta eſt, ubi reſpondet is *Breitingero*, in multis conſentiens cum eo, in aliis diſſentiens. Data eſt Divione d. 11 Aprilis A. 1734. Pag. 139-160.

Particula VI quinque ſpecimina occurrunt: 1) *Jo. Jac. Zimmermanni Examen argumentorum, quibus ſuam de Fato Stoicorum ſententiam olim impugnaverat Buddeus.* Autor Celeberrimus in ſua Diſſertatione de Fato Stoicorum, *Muſeo Bremenſi* inſerta, probare aggreſſus fuerat, Stoicos a *Thomaſio* & *Buddeo* Spinoziſmi ſine rationibus idoneis fuiſſe poſtulatos. Inſurrexit contra eum *Buddeus* in Iſagoges ad Theologiam univerſam Appendice. Reſumit jam *Zimmermannus* abjectam olim refutationem *Buddei*, & nunc publici juris eam facit, occaſione data. Generalia quædam ipſi diſquiſitioni præmittit, & poſtea ipſa argumenta examinat, verba præeunte *Buddeo*. Noſtrum non eſt, ſingula argumenta & reſponſiones hic repetere, cum id ab inſtituto noſtro nimis alienum eſſe videatur. Interim, omnia probe ponderata eſſe, nec *Buddeo*, quod concedendum erat, denegari, perſpeximus. 2) *Nomotheſia eccleſiæ Chriſtianæ, ex certis principiis deducta, & moderate vindicata, Autore Grat. Salomone Myrteto-Montano*, e MSto. *Sectio I* hoc 176 - 214 215 - 249.

 loco

loco occurrit, *Sectio II Tomo III* hujus *Muſei* inſerta legitur. Cognovimus, Bibliothecæ Berolinenſis, quæ lingua noſtra vernacula prodit, *Partis V Vol. II pag.* 707, ſub ficto nomine latere voluiſſe *Jo. Henr. Hottingerum.* In Præfatione præmiſſa occaſio hujus Commentationis affertur. Lucem viderat *Idea Nomotheſiæ eccleſiaſticæ, ſyſtematis hierarchici fundamentis innixa, contraque hypotheſes & criſin Pufendorfii, Pfaffii, Boehmeri, aliorumque, modeſte aſſerta.* Hac excitatus ſcribit Autor. Præſtantia hujus thematis *prima* hac *Parte* traditur, dein ſtatus mentis eorum legitimus veſtigatur, qui Nomotheſiam hanc indagare, explorare, probare, volunt. Sine partium ſtudio probat, improbat, mitigat. *Parte ſecunda*, quæ jamjam prodiit, Nomotheſiæ Chriſtianæ principia incerta, aut falſa, proferuntur & refutantur. Exſpectandæ ſunt *tertia* & *quarta Pars.* Ut uno conſpectu omnis res Lectori exhibeatur, ex Præfatione tractanda repetemus. *Parte* ergo *tertia* principium certum & verum, tum in genere, tum in ſpecie, indicabitur & adſtruetur. Sed *quarta* Ἐπικρίσιν dabit de ſtatutis eccleſiæ veræ Nomotheſiæ contrariis, vel non contrariis, eorumque uſu. *Sectionis* hujus *primæ* argumentum non melius, uti credimus, patebit, quam ſi argumenta paragraphorum indicemus. Oſtenditur, Nomotheſiam eccleſiæ Chriſtianæ eſſe thema graviſſimi momenti, adeoque hoc thema tractandum eſſe in timore Domini, cum omni ſollicitudine, absque ſtudio partium, affectibus iræ & amoris particularis, ſecundum certa principia. Antequam vero progreditur Vir Clariſſ. ad principia Nomotheſiæ Chriſtianæ incerta, aut falſa, deſtruenda, adſtruendum vero verum Autoris memoratæ Diſſertationis, publicum præit exemplum, ſe ſtudium partium hoc in themate evitare probando & improbando quædam controverſa, quæ ipſe probat improbatque. Alia, quantum licet, commoda explicatione mitigat. Omnium primo cum Autore improbat notam quorundam Politicorum regulam: Cujus eſt regio, ejus eſt religio. Probat, danda Cæſari, quæ Cæſari. Sed & Deo, quæ Deo. Summis magiſtratibus ex conſcientia nos ſubjectos eſſe, monet, usque ad aras, non contra eas. Probat, hanc regulam e diametro adverſari Scripturæ, ſpeciatim N. Teſtamento, conſcientiis, naturæ rei, ſecuri-

ſecuritati, paci, religionibus quibusvis, regibus ipſis. Probat alia Autoris verba, v. c. ſalutem eccleſiaſticam ſupremam eſſe debere legem; alia improbat, quæ brevitatis cauſa omittimus, ea etiam tacentes, in quibus mitigantur verba. 3) *Ratio interpretandi Inſcriptionem antiquam, Turici forte repertam, ad mentem Jo. Caſpari Hagenbuchii, Linguæ Latinæ & Græcæ Profeſſoris.* In complanandis Tilieti (*Lindenhof*) ambulacris occupati foſſores, repererunt lapidem, titulo ornatum. Advolat *Hagenbuchius*, & indicat, Inſcriptionem eſſe ſepulchralem, quæ verum urbis nomen, & memoriam ſtationis quadrageſimæ Galliarum, conſervet. Adeoque in Epiſtola ad *Gorium* hoc argumentum illuſtravit. In *Epiſtolis epigraphicis* eadem exſtat; interim tamen ſeorſim eam prodire paſſus eſt ſub titulo; *Jo. Gaſp. Hagenbuchii* Τεσσαροκοστολόγιον *Turicenſe, ſive Inſcriptio antiqua, ex qua, Turici ſub Imp. Rom. ſtationem quadrageſimæ Galliarum fuiſſe, primum innoteſcit, commentario illuſtrata, Turici, 1747, 4.* Summa ergo capita excerpuntur, & verbis ejus explicantur. Ipſa Inſcriptio ſimul æri inciſa exhibetur. Verſantur annotata circa varias formulas ſepulchrales, illuſtrantur loca Scripturæ, *Jac. IV, 13, Actor. XVIII, 11, Rom. XII, 11,* plurima etiam profanorum Scriptorum loca, ex breviori excerpto non brevius adducenda. 4) *David de Auguſta, Ordinis FF. Minorum Monachus, ex tenebris Seculi XIII erutus a Jac. Bruckero,* Optime de cive ſuo mereri cupit Clariſſ. Vir, memoriam ejus, ab omnibus Auguſtæ Vindelicorum ſcriptoribus neglectam, conſervare ſtudens. Interim tamen *Conformitates vitæ S. Franciſci, Trithemius, Wimphelingius,* & *Franciſcus Gonzaga,* eum commemorant. Virum quendam doctiſſimum e civibus Auguſtanis, quem *Marcum Welſerum,* vel ex fratribus, *Antonio, Matthæo,* & *Paulo,* unum, fuiſſe ſuſpicatur *Bruckerus,* hi commemorati ſcriptores permoverunt, ut *Davidis ab Auguſta* Opuſcula publici juris faceret. De nomine ejus obſervatur, quod more ejus ætatis *David ab Auguſta* vocari, vel etiam frater *David,* itemque *David de Teutonicus* ſuppreſſo nomine, vocetur. Familia & parentes latent. Tempus nativitatis reticetur, *Franciſco* tamen ſuperſtite eum vixiſſe, non infeliciter Autor colligit. Nomen eum dediſſe familiæ, a *Franciſco Aſſiſio* inſtitutæ, nullum

Pag. 249-265.

327.

265-279.

dubium eſſe, probatur, dici tamen non poſſe, quo tempore id fuerit factum, aſſeritur. Ob pietatis laudem munus Lectoris, id eſt, Doctoris Theologiæ, ad eum fuiſſe delatum, evincitur. Floruiſſe eum ingenio & eruditione, pro conditione temporis, & inprimis in morali & aſcetico argumento eruditionis ſacræ virtutem oſtendiſſe, facile credi poteſt teſtimonium hac de re perhibentibus. Sanctitatis laude fuit conſpicuus, & Beatorum choro eum curia Romana inſeruit, ut teſtimoniis, a *Bruckerò* adductis, conſtat. Mortis tempus ignoratur, & in hac re diſſentiunt eruditi. Quietis locum in eccleſia Auguſtana obtinuit. Conciones ejus plurimæ in Bibliothecis latent, & Tractatus ejus de perfidia religioſorum. Lucem autem viderunt Formula novitiorum, Formula interioris hominis, & de ſeptem proceſſibus religioſi ſtatus liber, tria ſcripta Bibliothecæ etiam maximæ Patrum inſerta. Alia etiam latent. A Myſtici nomine abſolvitur, Semipelagianiſmo tamen adhærere creditur, & veritatis teſtibus annumeratur.

Pag. 280-320. 5) *Particularitez concernant la vie & la mort de Mr. Jean Frederic Oſtervald, Paſteur de l'egliſe de Neûchâtel, Membre de la Societé Royale de Londres pour la propagation de la foi.* Ut memoriam viri de patria bene meriti conſervarent doctiſſimi Collectores, voluerunt *Oſterwaldi* vitam hic exſtare e *Mercurio Gallico* transſumtam. Natus fuit in urbe Novum Caſtrum dicta A. 1663 d. 25 Nov. filius unicus *Joannis Rudolphi*, Paſtoris ejusdem eccleſiæ, & *Barbaræ Brun.* A. 1676 Turicum diſcendi cauſa a patre ductus, ad annum 1677 ibi ſubſtitit. A. 1678 Salmurium abiit, per Genevam & Lugdunum iter faciens. A. 1679 publice primum diſputavit. A. 1680 plurimas Galliæ Academias adiit, ibique ſtudiis operam dedit. A. 1682, deſiderio patris ut ſatisfaceret, rediit domum, ibique eum dicentem pro roſtris audivit pater, qui A. 1682, anno ætatis 61, obiit. Iterum itinera literaria filius ſuſcepit. A. 1683 manuum impoſitione conſecratus fuit ad munus ſacrum obeundum, anno ætatis 19, diebus 8, & menſibus paucis. Sociam ſibi thori junxit *Salomen Chambrieriam*, *Rudolphi* filiam, Conſiliarii ſtatus & Theſaurarii generalis, & *Suſannæ Marvaliæ.* A. 1686 Diaconus Novi Caſtri electus fuit, quo munere diligentiſſime perfunctus eſt. A. 1693 dignitas Paſtoris in ſua claſſe a civibus ei conceſſa fuit, cum ipſum

Digitized by Google

ipſum munus A. 1699 adierit. A. 1700 Decanus Paſtorum declaratus eſt, & poſtea ſæpius. Eodem hoc anno Societati Londinenſi de propaganda fide fuit inſertus. Primum edidit Fontes corruptionis, poſtea autem multa alia erudititſſima ſcripta. Epigrammata quædam in hunc librum inſeruntur. Theologicæ lectiones ejus laudantur, & Catechiſmus, ab eo editus. A. 1703 Turici pro ſuggeſtu dixit, & Baſileæ A. 1704. Genevæ idem factum. A. 1707 edidit Tractatum contra impuritatem. A. 1711 viſitationes Paſtorum in eccleſia Novi Caſtri ſuaſu *Oſterwaldi* fuerunt introductæ. Eodem anno cura ſtudioſorum Theologiæ ei tradebatur. A. 1715, uxore mortua, maximam valetudo ejus jacturam fecit. Ut alia omittamus, A. 1746 apoplexia in ſuggeſtu tactus, anno ætatis 84 vivere deſiit A. 1747 d. 14 April. Poſt mortem etiam omni honoris genere fuit exceptus, dolentibus omnibus. Fuſius commemorantur, poſt mortem ejus acta quæ fuerunt.

Particula VII leguntur ſpecimina ſex: 1) *Jo. Conr. Wirtzii* *Diſſertatio theologica de Conſilio pacis, ad Zach. VI, 13.* Autor nunc eſt Eccleſiarum Turicenſium antiſtes. Sub præſidio *Herm. Alex. Roellii* A. 1712 habita fuit. Scopus & nexus oraculi cum antecedentibus oſtenditur. Dein verba ipſa explicantur. Conſilium, עֵצָה, Dei, ei eſt ejus voluntas de rebus extra ſe in omni ſuo ordine ac decore præſtituto tempore efficiendis. Diſcrimen inter Dei & hominum conſilium eruitur. De pace inter Deum & homines ei videtur ſermo conſtituendus. Ambo illi, ut e viſceribus ipſius loci depromit, videntur ei pater & ipſe Meſſias filius. De voce תִּהְיֶה diſputat, dum conſilia Dei ſint æterna. Aliorum opinionibus refutatis, ſignificationem vocabuli בֵּין eſſe omnino attendendam, quod non ſemper *inter* denotet, ſed ſæpenumero loco exprimendo inſerviat, cenſet. Hoc ſi cogites, & ſimul obſerves, per conſilium pacis intelligi librum, in quem conſilia illa Dei, ad pacem ſpectantia, fuere veluti congeſta, verba vatis ita transferri poſſe credit: Et inſtrumentum conſilii pacis erit in medio amborum iſtorum poſitum, ſeu collocatum. Hæc ejus ſententia uberius illuſtratur partim ex ipſo verborum contextu, partim ex convenientia illius cum ſacro Codice, præcipue ex *Apocalypſeos Cap. V.* Implementum etiam vaticinii additur, Chriſto in cœlum ſub- Pag. 333-356.

lato

Digitized by Google

lato XIIviri pacem illam obtulere. 2) *Dialogus de intempeſtivis Diſputationibus, & Catholico controverſiarum in cauſa religionis judice.* Modo dictus *Wirtzius* in amicorum ſocietate quadam hunc Dialogum aliquando recitavit, qui nunc e MSto prodit. Fingit Vir S. Ven. in villa ſuburbana deambulantes *Eleutherium*, & *Doxaſtam*, amicos a condiſcipulatu. Hic, varias ſectas & novas lites recenſendo, afflictam eccleſiæ conditionem lamentatur. *Eleutherius* omnem hujus rei fontem diſputationum nimium amorem judicat eſſe, & conditionem illarum deſcribit, removendo ſimul objectiones, à *Doxaſta* in medium allatas. Regula diſputationis omnis conſtituitur. Aliud diſcordiarum argumentum præbere dicuntur ſuperbia tumidi. Ad controverſiam illam de decretis divinis provocatur. Componi poſſe lites exiſtimantur, ſi litigantes vel reciſis obſcuris quæſtionibus, vel libertate in iis utriſque conceſſa, iſtis inter ſe acquieſcerent, quæ clare a Deo ipſo revelata vident. Hac via in reliquis etiam controverſiis procedendum eſſe cenſetur.

Pag. 357-368.

3) *Meditatio de uſu, quem præſtat Chriſtianiſmus in promovenda eruditione.* Autor eſt Rev. Vir, *Dikhejus*, qui apud Turicos agit. Primum eruditum ita definit: Eruditus eſt, qui præcipuam in excolendis ingenii facultatibus ad agnoſcendum & ſequendum verum operam ſapienter ponit. Eruit Autor, quæ in hac definitione continentur, & ad definitionem Chriſtiani progreditur. Eum per *Chriſtianum* intelligit, *qui, ope Spiritus ſancti ad fidem converſus, deque excellentia doctrinæ Jeſu convictus, eam toto corde amplectitur, Deum Salvatorem ſuum unice veneratur & amat, & legibus ipſius toto animo per totam vitam obtemperat.* Ex collatione harum definitionum dicenda patere arbitratur. Primum uſum, quem verus Chriſtianiſmus eruditioni præſtat, hunc commemorat, quod animum ſedet, & affectus componat. Porro, utilem eum eſſe, judicat, quod ad doctrinas de Deo, cultu ejus, de æterna felicitate, de officiis erga nos & proximum, doctrinas certe præ omnibus præcipuas, rite intelligendas, cumprimis faciat. Deinde recte dicit, humilitatem Chriſtianam non parum eruditionem promovere, item non ſpernendum in dirigendo ordine, ſelectu, ac modo ſtudiorum, uſum a vero Chriſtianiſmo ſperare poſſe eruditum. Maximopere convenire erudito animus talis creditur, qualem

369-375.

Chri-

Chriſtus diſcipulis ſuis commendavit. Tandem patientia Chriſtiana non raro opem ferre erudito recte dicitur. 4) *Jo. Jac. Breitingeri in verſus obſcuriſſimos, A. Perſio Sat. I citatos, Diatribe.* Hæc jam A. 1723 ſpeciminis loco edita fuit; interim tamen eandem hic repetere viſum fuit. Præfatio eſt præmiſſa a *Breitingero*, qua, pro modeſtia ſua, nugas has dicit, & ideo eas excuſat. Inſtitutum ſuum aperit, conſilium nimirum de *Perſio* aliquando edendo, cujus hic ſpecimen edat. Textum Autoris dabit ad optimorum Codicum fidem. Inter Commentatores primas tenebit *Cornutus*, antiquus Scholiaſtes; *Marcilii* & *Caſauboni* notas integras addet. *Silveſtri*, Itali, annotationes Latio donatas habebimus. Subtexet variorum doctiſſimorum virorum notas ſelectas. Animadverſiones addet ſuas, & ſingulis inſuper Satiris accedet Diſſertatio, quæ præcepta Stoicorum, a *Perſio* tradita, vocabit ſub incudem. Præfiget rariſſimas diſquiſitiones *Ludov. Aproſii* & *Caſpari Maſſæ* de origine & patria *Perſii*, ex Italico ſermone translatas, cum modeſta epicriſi, item binas Exercitationes criticas, de ſtilo *Perſii* alteram adverſus *P. Bælium* & *Caſaubonum*, alteram in vitam *Perſii*. Omnes ad promovendam hanc editionem humaniſſime invitat. Dubii hæremus, an Autori præſtantiſſimo de conſilio iſto, an orbi erudito de editione tam inſigni *Perſii*, difficillime intelligendi ſcriptoris, gratulemur magis. Nihil interim in optatis habemus magis, quam ut hæc editio lucem publicam videat quam proxime. Ex ſpecimine enim didicimus, quantum ex hoc inſtituto in omnes, qui literis favent, redundaturum ſit emolumenti. Leguntur illi verſus, quos illuſtrandos ſibi ſumſit *Breitingerus*, in *Perſii Sat. I v. 92* ad *104*. Tribus Diatribe abſolvitur diſquiſitionibus. *Prima* de *autore verſuum* agit, *Petro Bælio oppoſita*. *Cornuti* nomen qui mentitur, *Neronis* eſſe eos indicat, quem fere omnes Commentatores ſunt ſecuti. Primus omnium ſe oppoſuit *Badius Aſcenſius*, Paraphraſtes *Perſii*, & ſuppoſitos *Neroni* oſtendit, quocum fecit *Bælius*, & alius Gallus. Argumentum, ex vita *Perſii*, quæ tribuitur vulgo *Suetonio*, depromtum, examinatur, & vitæ illius autoritas labefactatur. Conſiderantur etiam alia argumenta, in medium allata, quæ *Neronem* autorem verſuum diſſuadent. Exceptiunculæ *Bælii* removentur. Argumenta examinantur, quæ pro *Nerone*, autore

Pag. 376-428.

autore verſuum illorum, excitantur. Conſideratis vero negantibus & affirmantibus argumentis,ad illud ſe recipit Vir Clariſſimus: non liquet. *Disquiſitio altera* de *genuino ſenſu verſuum, Perſio Fl. citatorum*, disquirit. Lucem fœneratur obſcuriſſimis Anonymi verſibus, prout promiſerat, Autor. Quoniam difficillimum nobis videtur, ex tam ſolidis & eruditis annotationibus quidquam decerpere, totum hoc ſpecimen talium deliciarum cupidis legendum relinquimus. Illud ſaltem monemus, integri membri paraphraſin tandem ſubjungi. In *Disquiſitione tertia A. Perſius ab ἀκυρολογίᾳ vindicatur,a G.J.Voſſio ei objecta.* Argumenta ſingula *Voſſii* ſigillatim perpenduntur. Limatius excutiuntur,quæ creta, quæ obelo, notanda ſint in iſtis quidem verſibus. Huc referuntur audaces metaphoræ, ridicula translatio, turgida oratio, affectata numeri & juncturæ concinnitas, epitheton inadæquatum, & quæ ſunt reliqua. 5) *Vita Chriſtiani Urſtiſii,artium mathematicarum, dein S.Theol. in Baſileenſi Acad. Prof: tandemque civitatis tabulario præfecti, ſcripta a Jac. Chriſtoph. Iſelio, Baſileenſi, S. Theol.Doct. & Prof.* Miſerat eam ad *G. C. Joannis* Vir Celeberrimus. Hic enim cogitarat de *Scriptoribus Hiſtor. Germ.*, ab *Urſtiſio* collectis, recudendis. Vitæ potiora breviter pro more excerpemus. Natus fuit Baſileæ A. 1545 patre *Pantaleone*. Nomen ipſum addita una litera *Wurſtiſiorum* fuit, unde Noſter in juventute *Allaſiderum* ſe appellavit. Nomen compoſitum eſt ex ἄλλας, farcimen, & σίδηρος, ferrum. A 1560 lauream artium liberalium, & A. 1562 magiſterium, accepit. Nomen ſacris literis dedit, cum quibus Matheſin & Hiſtoriam junxit. A. 1565 Matheſin publice vicaria opera docuit anno ætatis 21, & libros, huc referendos, dedit. In Hiſtoria, inprimis patria, quantum verſatus fuerit, libri ejus docent, & hac in re multæ ei difficultates ob varios patriæ caſus ſuperandæ fuerunt, inprimis de Baſilea cogitavit. Notiſſima ſunt Volumina gemina Scriptorum, ad res in Germania geſtas inde ab *Henrici IV* Imperatoris tempore usque ad annum 1500 pertinentium. Dum A. 1584 *Ulricus Coccius*, Prof. Theol. & Paſtor ædis Petrinæ, ſimul tum ob ingraveſcentem ætatem, tum ob corporis perpetuam imbecillitatem, præter alios munere ſuo amplius fungi non poſſet, ei ſuffectus eſt *Urſtiſius*, cujus cathedram A. 1586, eo obeunte, accepit. A ſenatu tabulario urbis præfectus eſt, cum

Pag. 429-452.

jam

jam ei inſignia Doctoris Theologiæ capeſſere conſtitutum eſſet. Brevi interjecto tempore, annos natus 44 & menſes tres, A. 1588, 3 Cal. Aprilis, finem vivendi fecit. Uxor *Valeria*, ex *Murerorum* familia, monumentum ei erigi curavit. In Epiſtolis ad *Wolfgangum* & *Abrahamum Muſculos* nonnullæ *Urſtiſii* noſtri exſtant, quæ inſeruntur. Prima ad *Abrahamum* eſt de Chronico MSto, data Baſileæ d. 8 Julii A. 1579. Altera eſt ad *Jo. Guil. Stuckium*, Profeſſorem & Scholarcham Tigurinum, ex Archivo Eccleſiæ Tigurinæ depromta, data Baſileæ 4 Cal. Julii A. 1577. 4) *Epiſtolæ de negotio irenico Jo. Duræi*. Notam ſubjecit *Jac. Zimmermannus* ſatis copioſam, quæ legi omnino meretur, & inprimis attendendum eſt judicium de *Mosbemii* Diſſertatione *de Jo. Duræo*. Binæ autem afferuntur Epiſtolæ. Prima eſt ἀνέκδοτος, & debetur *J. Simlero*, V. D. Miniſtro, & Claſſis V Carolinæ Vicario, ad *Jo. Jac. Breitingerum* perſcripta, data Heilbrunnæ die $\frac{12}{22}$ Aprilis A. 1633. Altera eſt miſſa ad Academiæ Tigurinæ Profeſſores & Paſtores, data eodem anno & die. Pag. 453-464.

Particula VIII ſpecimina ſeptem habet: 1) *Cogitationes de Orthodoxia*. Sunt hæ *Jo. Rod. Oſterwaldii*, *Jo. Frid.* Filii, Neocomienſis, nunc apud Gallicam eccleſiam, quæ Baſileæ colligitur, Paſtoris. Poſt tot, hinc inde agitatas, hac de re quæſtiones, ſuas theſes etiam Diſputationis loco A. 1708 in Academia Baſileenſi cum eruditis communicarat Vir Venerandus. Ordinem docendi obſervavit. Etymon vocis eruit, a Patribus eam adhibitam monet, ſynonymiam Scripturæ S. oſtendit, oppoſitum affert. Definitio ſequitur. Momentum ejus demonſtratur. Norma & regula indicatur, & uſus, eaque omnia vindicantur fuſius. Media & conſervandæ & reſtituendæ Orthodoxiæ afferuntur. 491-502. 2) J. S. *V. D. M. Obſervationum philologicarum in N. Teſt. Specimen primum, in Matth. V, 13, & Jac. III, 6.* 503-518. Primum oraculum exhibet ſermonem optimi Servatoris, in qua denominatio ſalis occurrit, ad diſcipulos directa. Primum in nexum & ſcopum inquirit, qui hic eſſe ei videtur, ut præconceptæ opiniones de regno mundano Meſſiæ tollerentur. Sanctitatem ergo putat divinis Chriſti legatis in munere obſervando deſcribi. Suſcipit probandum, ſal tum apud veteres, tum in S. S. ſanctitatem denotare. Priusquam vero ad rem ipſam accedit, de

de genere dicendi ſymbolico, apud orientales uſitato, & a Chriſto etiam adhibito, quædam præmittenda duxit. Magno cum eruditionis apparatu de ſale, & ejus ſymbolo, e ſcriptoribus antiquis diſſerit Græcis, & loca Scripturæ de ſale optime colligit. Alterum oraculum de lingua, ejusque vitiis, agit. Loquendi genus τροχὸς τῆς γενέσεως conſideratur. Metaphoram latere, omnes confitentur, ſed in eo non conſentiunt, unde ſit eadem deprompta. Non vult, eam eſſe e ſcholis Philoſophorum deſumtam, nec e ſcriptoribus Græcis, quod nonnulli aſſerunt, ſed e Scriptura ſacra. Provocat ad locum *Eccleſ. XII, 6*, ubi cordi nomen rotæ tribuatur. Γένεσιν vitam indicare, ex Scriptoribus ſacris & profanis conſtare, arbitratur. Cor igitur apte dici rotam vitæ probat, id autem affectus & paſſiones animi indicare. Φλογίζειν, inflammare. Tacite igitur quilibet explicationem Auto-

Pag. 519-565. ris per ſe conjecturabit. 3) *Galeacii Caraccioli, Vici Marchionis, Vita, qua conſtantiæ veræ Chriſtianæ exemplar rarum proponitur.* Hæc biographia, ex Italico ſermone translata, prodiit A. 1596, rarius tamen eſt obvia. In Præfatione præmiſſa, civilem nobilitatem non accedere ad Chriſtianam, oſtenditur. In ipſa vita finis, in titulo indicatus, in omnibus hujus viri vitæ circumſtantiis reſpicitur. Natus fuit A. 1517 in urbe Neapoli. Patrem habuit *Colantonium*, qui A. 1562 vivere deſiit. Mater ortum duxit ex *Caraſſorum* familia. Noſtro, annos viginti nato, matrimonio junxit pater *Victoriam*, Ducis Nucerini filiam. A. 1551 patriam reliquit. Dapiferi munere apud Cæſarem fungi cœpit. A *Jo. Franc. Caſerta* ſe ad audiendum *Petrum Martyrem Vermilium*, Florentinum, Canonicum regularem, trahi paſſus eſt. Cujus ſermone eo adductus eſt, ut ad veritatem indagandam penitus animum appelleret. Factum id anno ætatis 24 A. 1541. Omnes hanc in eo mutationem mirabantur, inter alios *Flaminius*, cujus epiſtola inſeritur, Viterbi data A. 1543 d. 13 Februarii, in qua ei hac de re gratulatur. Nonnullis autem diſplicuit hoc propoſitum, patri præſertim, qui ipſum objurgabat, & minis affligebat. Infeſti ei erant magnates Neapolitani. Arianis, Anabaptiſtis, Valdeſiis, reſtitit. A *Martyre*, qui Argentinæ puram doctrinam publice profitebatur, inſtructus, domum rediit. Licet vero variæ rerum externarum cogitationes animum ejus ſubirent, tamen d. 21 Martii A. 1551, anno ætatis 33, Neapoli diſceſſit.

Gene-

Genevam d. 7 Junii venit, ubi ſe in diſciplinam *Calvini* dedit, quæ cum eo amicitia ad annum usque 1563 continuata fuit. Teſtatur id epiſtola, qua ei *Calvinus* Commentarium in primam Epiſtolam ad Corinthios inſcripſit, quæ integra inſeritur, data 9 Cal. Februarii A. 1551. Omnes diſceſſu perturbabantur illius, inprimis pater, qui eum per patruelem fruſtra revocare conabatur. Ab eodem patre Veronam vocatur, quo etiam A. 1553 d. 19 Aprilis Geneva diſceſſit. Poſthac a *Maximiliano* Comite Senior eccleſiæ Genevenſis electus fuit *Galeacius*. A. 1555 avunculus ejus Pontifex conſtituitur, & a patre Mantuam evocatur, quo d. 15 Junii abiit. Nullis tamen promiſſis a propoſito ſemel capto ſe dimoveri paſſus fuit, & d. 14 Octobris Genevam rediit. Uxor, deſiderio ejus flagrans, Vicum, ipſe Leſinam, venit, ſed deinde A. 1558 d. 7 Maji Vicum trajecit, ubi omnem familiam ſuam ſalvam invenit. Cum autem inanis ejus eſſet conatus, uxorem ſecum ducendi, d. 4 Octobris Genevam rediit. Divortium diu ſecum volvens animo, tandem A. 1560, ætatis 43, conjugem ſibi junxit viduam *Annam Fremeriam*. Ex hac vita diſceſſit A. 1586, ætatis 69, menſe 4. Verſus ſubjecti ſunt a M. A. F. 4) *Appendix ad hanc vitam.* Complectitur ea primum Dedicationem *Jo. Calvini* Commentariorum in Epiſtolam ad Corinthios, datam Genevæ 9 Febr. A. 1546, tum duas *Jac. a Burgundia* Epiſtolas *ad Bullingerum*, adhuc ineditas. 5) *Stephani Hatbvani, S. S. M. Conſecr. & Philiatri N. Hungari, Animadverſiones theologico-criticæ.* Has in Academia Baſileenſi Diſputationis loco publice propoſuerat Autor, easque nunc auctas & emendatas habemus. Primum inquirit, quid *Num. XXIV*, 17, ſit בני שת in vaticinio *Bileami*, per quos filios ebrietatis intelligi vult. Dein ad oraculum 1 *Tim. III*, 2, accedit, ubi occurrit lex matrimonialis, Epiſcopis data. Contra illos argumentis graviſſimis diſputat, qui volunt, ſimultaneas tantum vetari nuptias, magno cum eruditionis apparatu. Contra *Prudentium Maranum*, editorem *Juſtini Martyri*, inſurgit, qui in loco quodam illius ſententiam Pontificiorum de ſacra Cœna ſibi reperiſſe viſus eſt. De alio *Juſtini* loco contra eundem de eadem re agit. De erroribus Patrum eccleſiæ disquirit contra Monachum modo dictum, qui *Juſtinum*, de æterna Chriſti generatione docentem, vindicarat. *Tatiani* & *Athenagoræ* erro-

Pag. 566. 575. 575-624.

Digitized by Google

res etiam demonſtrat. Præſidium cultus angelorum, a Monacho apud *Juſtinum* repertum, enervatur. De *Euſebii* loco *Lib. V Cap. 24* contra *Valeſium* quædam obſervat, qui ad jejunia ſpectat. Locus ex Epiſtola I *Clementis* perpenditur, ubi *Beveregius* per Epiſcopos Diaconos, non vero Presbyteros, intelligi vult. *Juſtinus Martyr* in hiſtoria illa de ſtatua *Simonis Magi*, Romæ in inſula Tiberi poſita, ἀβλεψίας accuſari ſolet. *Valeſii* argumenta inprimis conſiderantur, &, vera ſcripſiſſe de hac re *Juſtinum*, evincitur.

Pag. 625-635. 6) *Sam. Werenfelſii, SS. Theol. D. & Prof. in Acad. Baſ. Epiſtola familiaris*, qua conſilii ſui rationes de abdicando munere Profeſſorio vindicat. Scripta eſt hæc Epiſtola circa annum 1715 ad *Jo. Frid. Oſterwaldum*, Theologum Neocomenſem. Debetur hoc munuſculum ſtudio *Jo. Jac. Crameri*, Prof. Theol. Catech.

634-658. 7) *Jo. Conr. Fueslini, V. D. M. & Paſtoris Feldheimenſis, Diſſertatio apologetica pro judicio ſuo de Jo. Calvini doctrina*, cum perpetuis caſtigationibus & vindiciis. Exſtat illud judicium
468 ſeq. *Tomo I* hujus ipſius *Muſei*, ejusque *Particula VII*. Argumenta ita ſunt comparata, ut legi, quam indicari, malint.

ADRIANI RELANDI POEMATA, QUÆ HACTENUS reperiri potuerunt, curante ABRAHAMO PERRENOT.

Trajecti ad Rhenum, apud Henr. Spruit, 1748, 8 maj.
Plag. 10.

Non Theologus ſolum, antiquarius, & orientalium linguarum doctiſſimus, fuit, ſed etiam inſignis Poeta, *Relandus*. Evolvamus modo *Caſp. Burmanni Trajectum eruditum*, ubi laudes ejus copioſe memorantur. Noſter autem Editor Poeſin illius maxime curat, omnem in eo ponens operam, ut, quicquid eſt Carminum ejus, e tenebris ſuis excutiat. Queritur quidem hic de invidorum avaritia, nihilo minus ſimul gaudet, hac non obſtante, juſtæ magnitudinis ſibi colligere volumen licuiſſe. Ita vero primum occupat locum *Galatea*, cujus exemplo fuit uſus, ipſa Poetæ manu correcto; ſed aucto magis & accurato Noſtrum beavit Academia Lugdunenſis, cujus emendationes in calce libri ſubjunguntur. Sequuntur Elegiarum *Libri duo*, Lyricorum liber, Epigrammata demum, & alia. *Priori Libro* Elegiarum inſunt *XII Carmina* in nuptias *Ad. Perſoni, Nic. Bidloo, Steenlacii, Jo. Kolii*, item ad *G. Bentingium*, peregre proficiſcentem, in artificem

Digitized by Google

ficem dextræ *M. Wildiæ*, in eundem, in artificium incomparabile *Jo. Coerten*, in *Adr. Parſium*, *Joſ. Serrurierium*, *Dominicum Paſſioneum*, & *Catecheſin Leydeckeri ſacram*; *poſterioris XI* ſunt in mortem *Mariæ*, M. Brit. Reginæ, *Frid. Spanhemii*, *Jo. Ge. Grævii*, in *Exercitationes rationales G. de Vries*, in *Marmora antiqua A. van Dalen*, in *Animadverſiones A. a Weſel*, in *ſelecta Numiſmata J. de Barry*, in *Faſtos conſulares Almeloveenii*, in *Theſaurum Anatomicum Ruyſchii*, in Poeſin *Jo. Brantii*, in *Homeri* editionem *Barneſii*. Lyrica Poemata novem tractant laudem Poeſeos *Lucretianæ*, Poeſin *Lucretianam*, Namurcum reſtitutum, natalem *G. Bentingii*, Theologiam elenchticam *F. Turretini*, pacem, *Gulielmum III Weſthovii*, laureas doctorales *A. van Ewyck* & *P. Marci*. Epigrammata brevioresque verſus ſcribuntur in *J. Doornecroon*, Philoſ. Doct. creandum, G. *van Leeuwen* eadem occaſione, *C. Bongarſium*, JCtorum adſcribendum numero, *L. van Eck*, J. U. D. creandum, *πρὸς* B. *Φελζιάδην*, in *J. Haſium*, *Sidneii* Poeticen edentem, in cincinnulum *Corn. Haſiæ*, in effigiem *P. Francii*, in legationes pacis, in easdem, in tabulas geographicas, ad *Gul. Rabium*, in effigiem Ducis *de Marlborough*, & *Jo. Relandi*, cujus pariter, ut & *Petri Relandi* & *Adr. Relandi*, Epitaphia, neque minus *Horatianæ* paraphraſes, accedunt. Ode *Lucretianam* in Poeſin bis repræſentatur, ut vel inde diſcant juvenes, qua ratione ſua ipſorum vineta cædere, prioraque ſcripta curis ſecundis corrigere, vel interpolare, ſoleant utriusque *Minervæ* perpetua decora. Decreverat ſimul Editor initio *Relandi* Notas in *Tanaq. Fabrum* de vitiis Poetarum Græcorum, Latina veſte donatas, & Carmina quædam, variis temporibus *Relando* ab amicis appoſita, conjungere, ſed inceptum deinde diſplicuit non præter rationem. At nos, de additis potius ſolliciti, ſpeciminis loco conjungimus, quæ in Poetarum principem cecinit Noſter:

Qui procul a Latio, peregrinos raptus ad Indos,
Et procul a Muſis, Atticæ terra, tuis,
Nullus ubi Auſoniis honor eſt, aut fama, Poetis,
Et patrio tantum diſcitur ore cani,
Barbariem a rudibus populis traxiſſe ferebar,
Verbaque vix poteram pauca ligata loqui;

Agno-

Agnoſco veteris veſtigia certa furoris,
Atque iterum Phœbo pectora plenus agor.
Eſſe quid hoc dicam, quod plectra abjecta reſumam;
Et ſubeat mentem cura relicta meam?
Ipſe Pater votum, quo præſide carmina fas eſt
Scribere, deterſo pulvere cultus, adeſt.
Scilicet ipſe venit, pulcro decoratus amictu,
Oſtentatque ſuas lætus Homerus opes.
Qualis erat, priſcis cum conſpiceretur Athenis,
Et traheret numeris ſaxa feraſque ſuis:
Qualis ad Euphraten cum delaſſata triumphis
Nobile Alexandri dextra teneret epos:
Cum, veluti tandem poſt plurima ſecla reſurgit,
Præclarum labes nulla notaret opus:
Cui turpes maculas adſperſit iniquior ætas,
Quæ modo, Barbarie ſceptra tenente, fuit;
Quæ priſcos tenebris Heroas merſit & orco,
Nec poterat dulces ruſtica ferre ſonos.
Barneſi pietas, plures miſerata Poetas,
Vive, pater, noſtra tu quoque, dixit, ope.
Ergo meum legeret ſine labe Euripiden orbis,
Carminibus meritum celſa theatra ſuis?
Mulceret teneras numeroſus Anacreon aures,
Innocuam doctus ſollicitare lyram?
Et tua cum larvis colluctaretur imago?
Huc ades, & noſtri pignus amoris habe.
Dicta fides ſequitur. Tenebras perrumpit Homerus,
Vindice Barneſio, redditus ipſe ſibi.
Phœbe, pater, gaude. Manes, gaudete, ſepulti,
Læſaque Barbarica, carmina ſacra, manu.
Tu quoque, Barneſi, gaude; pietaſque, laborque
Quod tuus, ut par eſt, præmia magna ferat:
Et, dum Pelides, dum Trojæ fata, legentur,
Nomen inexſtinctum debeat eſſe tuum.
Urbes de patria ſeptem rixentur Homeri;
Nil facit ad magni lis ea Vatis opus:
Urbem, quæ vitam reddit, non nomine tantum
Alma parens, patriam diceret ipſe ſuam.

* * *

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCLI.

LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII Opera omnia: editio noviſſima, quæ omnium ad inſtar eſſe poteſt; ad LXXX & amplius MStos Codices, editosque XL, collata & emendata, atque Notis uberioribus illuſtrata; cui manum primam adhibuit JOANNES BAPTISTA LE BRUN, Rothomagenſis, extremam impoſuit NICOL. LENGLET DU FRESNOY, Presbyter ac Theologus Pariſienſis.

Tomi II.

Lutetiæ Pariſiorum, apud Joannem de Bure, 1748, 4 maj. Tom. I Alph. 6, Tom. II Alph. 5.

Magnam de ſe ac *Lactantii* editione, quam tunc moliebatur, triginta abhinc annis excitavit exſpectationem *Joannes le Brun*, cui cum, præter opinionem ex vivis ereptus, ſatisfacere non potuerit, auget ſane Celeberrimus *Lengletus* beneficiorum, quibus literatum orbem ſibi jam obſtrictum habet, numerum, eo quod elegans opus abſolvendum, perpoliendum, ac luci publicæ exponendum, ſuſcepit, hocque munere egregie functus eſt. Literarum hoc intereſſe credimus, ut accuratius de præſtantiſſima hac *Lactantii* editione diſſeramus, & enarremus ornamenta, quibus præ ceteris eminet. Quod ut juſte ordine fiat, primum de iis,

 quæ

quæ utroque *Volumine* continentur, ſtrictim agendum eſt;
deinde de opera, quam in iis illuſtrandis celeberrimi viri po-
ſuerunt, dicendum; obſervationum denique, quibus denuo
explicata ſunt *Ciceronis* Chriſtiani ſcripta, exhibenda ſunt
ſpecimina, adeo ut quisque aſſequatur, quid in novo hoc Ope-
re laudandum, quidve reprehendendum ſit. *Primum Volu-*
men luculenta ac copioſa Præfatio *Lengleti* ornat, qua, poſt-
quam breviter narraverat, ſe conſilium, quod de edendo *La-*
ctantio anno hujus Seculi ſeptimo ceperat, mutaſſe, cum nuntia-
tum ei fuiſſet, rem eadem moliri *le Brun*, poſtea tamen, cum
poſt hujus obitum ſchedæ ejus in manus ipſius incidiſſent,
ipſeque vidiſſet, nihil præter varias librorum ſcriptorum &
impreſſorum lectiones iis fuiſſe congeſtas, facili negotio acci-
diſſe, ut priſtinum onus ſibi imponi pateretur, ad ipſum *La-*
Pag. 4. *ctantium* orationem convertit. Diſſerit itaque de *Lactantio*,
ejusque libris; de Chriſtianis doctoribus, qui ante eum idem
tractarunt argumentum, ubi ὡς ἐν παρόδῳ, *Arnobium* anno
Chriſti 326 Chriſtianis ſacris fuiſſe initiatum, contendit, ac *Re-*
migio Ceillierio, annum 303 definienti, contradicit; de ætate, qua
5. *Lactantius* Inſtitutiones ſuas confecit; de loco, quo id factum
ſit: ubi, *Lactantium* non in Bithynia egiſſe, credit, ac diffici-
liora de perſecutionibus Chriſtianorum loca *Lib. VI Cap. 17*
7. de *Liciniana* interpretatur. Errores in *Lactantio* deprehen-
di, *Hieronymus* jamdum obſervavit; juſto tamen acrior fuit
cenſura *Antonii Raudenſis*, Monachi ex Ordine Minorum,
Seculo XI clari, qua, hæreſibus & impietate libros ejus refer-
tos eſſe, clamavit. Nominatim abſolvendum *Lactantium*
9. eſſe, cenſet Vir Clariſſimus, a ſuſpicione Manichæiſmi & Aria-
niſmi; quid vero de *Hieronymi* ſententia ſtatuendum ſit, qui
ſine cauſa illum inter pnevmatomachos retulit, definire haud
auſus eſt. Ingenue tamen fatetur, opinionibus millenario-
10. rum, uti dicuntur, eum fuiſſe infectum. Progreditur ad ex-
emplaria manu ſcripta æque ac impreſſa, quorum tanta exſtat
multitudo, ut, ſi hanc ſpectes, omnes veteres ſcriptores,
11. certe Chriſtianos, ſuperet *Lactantius*. Commendat in his
Iſæanum, *Thomaſianum*, *Cellarianum*, *Gallæanum*, *Sparkia-*
num,

Digitized by Google

num, *Cantabrigienſem*, *Walchianum*, *Heumannianum*, & *Bunemannianum*; juſto tamen iniquior, &, ſi quid judicamus, nimis Gallicum ingenium, cui nil niſi Gallicum placet, redolere, videtur ſententia, quam de S. R. *Heumanno* dicit. Jure quidem S. R. *Heumanni* ſingulare in arte critica ſtudium commendat; tamen accuſat eum, quod, ſi quæ fuerint loca *Lactantii* difficiliora, ea non juſta interpretatione illuſtraverit, ſed tanquam additamenta & gloſſemata reſeiderit. Porro de ordine librorum *Lactantii* agit, quem ita conſtituit, ut exiſtimet, *Lactantium* ſcripſiſſe A. C. 248 Sympoſium, A. 280 Carmen de phœnice; A. 290 Itinerarium, utrumque deperditum; A. 310 libellum de opificio Dei; eodem tempore duo volumina Epiſtolarum ad *Demetrianum*, quas nos quidem deſideramus, vidit autem *Adrianus Junius* in Bibliotheca Egmundani monaſterii; A. 315 librum de mortibus perſecutorum; A. 317 divinas inſtitutiones, quas A. 325, aut 326, Epitome ſecuta eſt; A. 324 librum de ira Dei; circa idem tempus *Libros II* Epiſtolarum ad *Severum*, qui injuria temporis nobis erepti ſunt. Pauca denique addit de libris, a *Lactantio* promiſſis, ſed non abſolutis, quale opus eſt adverſus Judæos; item de libris, ei ſuppoſitis, ad quorum claſſem Carmen de Paſcha, & de Paſſione Chriſti, retulit; nec non de ſtilo *Lactantii*, ubi nihil novi attulit. Præfationem excipit *Lactantii* vita, brevis quidem, elegans tamen, notatisque Hiſtoricorum effatis illuſtrata, cui inſignium virorum de Autore teſtimonia ſubjecta ſunt, quorum numerus auctior eſt, quam alibi habetur. Sequitur elenchus Codicum manu ſcriptorum, quibus partim docti Viri, qui ante *Brunium Lactantium* ediderunt, partim ipſe *le Brun* & *Lengletus* uſi ſunt. Satis nobis eſt, ex tot libris ſcriptis eos commemorare, quorum lectiones prima vice nunc collectæ ſunt. In hunc cenſum veniunt Codex *Baluzianus*, ante 400 annos exaratus, & in Bibliothecam regiam Pariſienſem translatus; Codex *Joannis Leboeuf*, ſcriptus Seculo XIV, *Brunianus*, 400 annorum, duo Codices *Cameracenſes* membranacei, alter Seculi X, alter Seculi XV, *Capucinorum Pariſienſium* Seculi XV, Codices duo Viri Clariſſ. *Gothofr.*

Pag. 15. 16. 18. 20. 22.

Clermont, alter 400, alter 300, annorum, ſeptem *Colbertini*, præter celeberrimum illum de mortibus perſecutorum librum, plerique ſatis vetuſti, *Turonenſis* 300 annorum, monaſterii Benedictinorum *Marmoutier* 400 annorum, Collegii *Navarræi* 300 annorum, XXVI Codices Bibliothecæ regiæ Pariſienſis, a Cel. *Bunemanno* fruſtra expetiti, quamvis non omnes integra *Lactantii* opera comprehendant, diverſæ ætatis; Eminentiſſimi *Rohan* Seculi XIV, *Sangermanenſis* 400 annorum; duo Sorbonici recentioris ævi; Bibliothecæ
Pag. 33. S. *Victoris* Pariſienſis 400 annorum. His addita eſt *Notitia manuſcriptorum Vaticanorum* Sec. XII, quibus uſum ſe, teſtatus eſt *Iſæus*, a Viro Clariſſ. *Joſ. Sim. Aſſemanno*, juſſu Eminentiſſimi *Paſſionei*, literis conſignatis, eique adjecti ſunt Co-
35. dices Vaticani V, ab *Iſæo* non viſi; IV, ex Palatina in Romanam translati; duo Vaticanæ Urbinatenſis; VII, qui olim *Chriſtinæ* Reginæ fuerunt. Optandum eſt, ut a docto Viro Codices hi accuratius cum ceteris conferantur, ſicque *Lactantio* lux & decus accedat, quod adhuc exſpectat.
37. Pergimus ad impreſſas *Lactantii* editiones, quarum notitiam ita ſuppeditavit Vir Clariſſimus, ut annorum eorum natalium ſequatur ordinem. Cum eodem labore functi ſint *Fabricius* & *Bunemannus*; e re noſtra eſſe videtur, eas enumerare, quibus Cel. *Bunemannus* non uſus eſt. Notamus igitur editionem Romanam anni 1468, apud *Conr. de Sweynheym*; *Lactantii* opera ſine loco & anno, quæ Emin. *Paſſionæus* aſſervat; editionem Venetam A. 1510, fol.; Amwerpienſem A. 1510, 8; Pariſienſem A. 1511, 4; Pariſienſem A. 1521, fol.; Pariſienſem A. 1525, fol.; Lugdunenſem A. 1532, 8; Venetam *Pauli Manutii* A. 1538, 8; Lugdunenſem *Gryphianam* A. 1543, 4; Colonienſem A. 1544, fol.; Baſileenſem A. 1545; Antwerpienſem A. 1556, 8; Baſileenſem A. 1559; Pariſienſem A. 1563, 8; A. 1545, 16; Lugdunenſem A. 1567, 16; Antwerpienſes A. 1568, & 1570, 8, A. 1579, 8; Lugdunenſem A. 1579, 16; Antverpienſem A. 1580, 8; Lugdunenſem A. 1586, 8; Pariſienſem A. 1589; Lugdunenſem A. 1594,
42. 16; Lugdunenſem A. 1615, & 1616, 16; Lugdunen-

ſem

ſem A. 1542, fol. Sequuntur denique Notæ Cel. *Bunemanni* in *Libros VII Inſtitutionum* ſelectæ, quæ conjunctim ea de cauſa *Lactantio* præmittuntur, quod, abſoluto jam opere, editio illa ad *Lengletum* perlata fuit; variæ lectiones editionis Pag. 124.
Sublacenſis; teſtimonia Scripturæ ſacræ, a *Lactantio* ſingulari 128.
modo expreſſa; & ſyntheſis doctrinæ *Lactantii*, a *Galleo* de- 134.
ſumta; item notitia errorum theologicorum, chronologico- 136.
rum, & philoſophicorum, quam utramque a Proteſtantium
doctore profectam eſſe, facile cognoſcitur. Contra ea, quæ 138.
ſubjectæ ſunt, *Annotationes cenſoriæ in quædam Lactantii errata* ex Codice MSto Biblioth. reg. Pariſ. & *Propoſitiones,*
quæ in Lactantio reperiuntur, ad fidem pertinentes, a Catholi- 141.
cis caute legendæ, redolent ingenium, Pontifici Romano obſtrictum. Orthodoxa ſane, ſaltem ex numero errorum graviſſimorum excipienda, ſunt dogmata *Lactantii: Altaria Deo non eſſe exſtruenda, munera Deo eſſe non offerenda; imaginum uſum ſupervacaneum; angelos ad cuſtodiam humani generis tum eſſe miſſos, cum numerus hominum cœpiſſet increſcere; paſſum eſſe anno 15 Tiberii Cæſaris; Chriſtum paſſionis tempore indutum fuiſſe coloris punicei; uſum luminum in templis ſupervacuum; mundum ſex millibus annorum duraturum; Deum propoſuiſſe bonum & malum.* Hæc ſi recta ratione expendimus, non videmus, cur opus ſit cautione lectoribus.
Ultimo denique loco analyſis libri Inſtitutionum logica ex- 152.
hibetur, qualem ceteris quoque præmiſſam deprehendimus. Sequuntur *ſeptem Libri inſtitutionum Chriſtianarum,* in Capita, non autem in ſectiones minores, quas paragraphos appellamus, diviſi, ſubjectis notis *Lengleti;* Obſervationes autem *Joſephi Iſæi* ad calcem totius *Tomi* iterum deſcriptæ ſunt, qui indice rerum locuplete abſolvitur.

Tomum poſteriorem brevis ornat Præfatio, qua pauca de libris *Lactantii,* quos ille continet, quippe *inſtitutionum Chriſtianarum epitome, de opificio Dei, de ira Dei,* & *de mortibus perſecutorum*, admonet, ac contradicit S. Rev. *Walchio,* qui de Epitoma, & *Nourrio,* qui de poſtremo *La-*
ctantii monumento, dubitarunt. Præfationi additæ ſunt alte- 48.
ra notarum *Bunemanniarum* pars, & doctiſſima Viri Clariſſ.

Nic. de Leſtocq Diſſertatio *de Autore libri de mortibus perſe-*
cutorum, qua argumentum hoc copioſe & diligenter tracta-
tum, ac memoratus liber *Firmiano* noſtro *Lactantio* vindica-
Pag. 61. tus eſt; *Appendix de duobus locis Codicis MSti de mortibus*
perſecutorum, a *Nourrio* perperam immutatis, quorum alter
64. *Cap. II pag. 185*, alter *Cap. LII pag. 250*, exſtat, denique *Dod-*
welli Diſſertatio *de ripa Striga*, qua *Lactantii* locum *Cap.*
XVII illuſtravit; ejusdem Chronologia perſecutionum; item
Steph. Baluzii Chronologia *Diocletiani*, quæ egregiam lucem
1. *Lactantio* accedunt. Sequuntur tandem *Lactantii epitome*;
71. *libri de opificio Dei*; *de ira Dei*; *de mortibus perſecutorum*;
126. *Sympoſium*; *Phœnix*; *Carmen de Paſcha*, quod ipſa inſcriptio
180. *Venantio Fortunato* adjudicat; *Carmen de Paſſione Domini*;
251. *Baluzii* notæ in *Lactantium de mortibus perſecutorum*, quem
263. *Miſcellaneis* ejus inſertum eſſe, omnes norunt; ejusdem *Ba-*
270. *luzii* duæ Epiſtolæ, in quarum altera, ad *Diazium* Hiſpanum
273. data, locus *Lactantii de M. P. Cap. XLVIII pag. 246* expli-
274. catur, altera, *Noriſio* inſcripta, formulæ Romanorum *ante Ca-*
347. *lendas* & *poſt Calendas* ad illuſtrandum *Pauli*, JCti, dictatum
349. explicantur; porro *Jo. Columbi Notæ in Lactantium de M. P.*
353. itemque *Nic. Toinardi*, *Gisberti Cuperi*, *Pauli Baudrii*; indi-
394. ces denique Autorum & rerum, adeo ut nihil deſideraveris,
419. niſi *Ruinarti* Præfationem, *Actis Martyrum* præmiſſam, a *Bau-*
drio repetitam, & indicem *Latinitatis*, a *Cellario*, *Walchio*,
Heumanno, & *Bunemanno* confectum. Hæc eſt eorum ſum-
ma, quæ utroque Operis *Volumine* comprehenduntur. Quod
ad interiorem ejus conditionem attinet, *Joannes* quidem *le*
Brun in eo omnem operam collocavit, ut varias librorum,
tam manu, quam typis, deſcriptorum, lectiones mirifica indu-
ſtria congereret, ac ex artis criticæ legibus, quænam ceteris
præferenda ſit, definiret. Inſpicienti tamen cuique facile erit
judicatu, majus fuiſſe docti viri in iis congerendis, quam dijudi-
candis, ſtudium. *Lengletus* vero non ſolum ad id diligentiam
ſuam contulit, ut emendatus & ex mente *Brunii* caſtigatus
prodiret; ſed etiam aliorum notas ſelectiores, *Eraſmi* quip-
pe, *Betuleji*, *Thomaſii*, *Gallæi*, *Cellarii*, *Walchii*, & *Heumanni*
ſuas

Digitized by Google

ſuasque, ipſius *Brunianis* adjungeret, & varias lectiones Codicum LXXV, quos *Brunius* notavit, alias ex quinque aliis MStis Pariſienſibus & Cameracenſi adderet. Lubens tamen fatetur, maximam partem obſervationum criticarum *Brunio*, historicarum ſibi, deberi; Latinitatis autem & artis grammaticæ nullam fere geſſiſſe curam; id quod nos quidem ægre ferimus, ſi cogitamus, jure ſuo inter cultiſſimos Latii ſcriptores ſemper fuiſſe repoſitum *Lactantium*, hancque ob cauſam juvenibus & magiſtris Romanæ linguæ ſedulo commendatum. Quare, cum imitatione dignus habeatur, opus quoque eſt cautione, ne prava cum bonis mixta proponantur, ſed diligentius ea obſerventur, quæ a caſtioris orationis cultoribus devitari debent. Magnam inprimis de ſtudio ſuo, in recenſendo libro *de M. P.* collocato, excitat exiſtimationem. Codicem enim MStum *Colbertinum*, eumque unicum, qui supereſt, denuo diligentius perlegit, haecque nova opera graviſſima, quibus adhuc ſcatuit, menda tolli poſſe ſperavit. Nec eventum imparem fuiſſe ſpei, docent hæc exempla, quæ ſpeciminis loco adſcribimus. Lacunam *Cap. I §. 7 in - - - dis delendisque* ſupplet *Cellarius: in perdendis*: *Allixius, Baudrius, Bunemannus; exſtinguendis; Lengletus*, qui præter literam *e*, a *Baluzio* obſervatam, etiam *x* detegit, legit *excindendis*, ſuffragante *Cap. II §. 6.* Legitur *Cap. II §. 8: in ultima - - - initium Chriſti.* Duo eraſa eſſe in MS. verba, notavit *Nourrius; Cellarius* ſupplet *ætate; Lengletus* vidit, adhuc tres literas *que* ſupereſſe, atque conjecit, legendum eſſe: *in ultima tempora atque initium. Cap. III §. 4* editi libri: *non modo in ſtatum priſtinum;* MSt. *non ttm*, quod recte explicavit *tantum. Cap. X §. 4* verba: *tunc ira furens*, editi omnes exhibent; *Lengletus* ſubſtituit ex autoritate MSS. *ira furoris*, quæ *Nourrius* male expreſſit: *ira furori.* Hæc ſufficiant. Pergimus ad ipſas obſervationes, quibus ornarunt *Lactantium le Brun & Lengletus.* Diverſi generis eas eſſe, jam diximus: alias *criticas*, alias *hiſtoricas*, de quibus pauca quædam jam addimus. Qui norunt, quanta in *Lactantio* eruditionis fuerit copia, quanta veterum monumenta legerit, quot Hiſtoricorum, Philoſopho-

rum,

rum, Poetarum, eſſata adducere ſoleat, quanta diligentia con-
tra dogmata gentilium pugnaverit, ii ſane facile cognoſcent,
theſauros eſſe omnis eruditæ antiquitatis ejus libros, ac
omnium fere diſciplinarum, hiſtoriæ maxime antiquæ, cogni-
tione opus eſſe ad eos rite intelligendos. Quare non diffitemur,
laudabile eſſe inſtitutum *Lengleti*, pergendi in eodem curſu,
Tom. I in quo doctiſſimi Viri antea verſati ſunt. Plauſus igitur con-
pag. 23. ſequentur eruditorum ea, quæ de *Mercurii* cultu apud Ægy-
28. ptios & Pheneadas, de Sibyllis, de tribus Stoicorum tempo-
160. ribus, de *Calliphone* & *Dinomacho*, Philoſophis, a Cyrenaicis
202. diſtinguendis; de Stoicorum doctrina de miſericordia; de
252. veterum doctrina de jure paterno in liberos; de vera ætate
278. excidii Trojani; de ſepulcro Chriſti; de Cataphrygiis hæreti-
290. cis; de Græcis *Tertulliani* operibus, quæ in Bibliotheca Regis
328. Hiſpaniæ Scorialenſi aſſervantur; de imaginibus, in funeri-
367. bus Romanorum adhibitis; de luminum uſu in templis Chri-
433. ſtianis; de magiſtris palatii tempore *Diocletiani*, cet. attulit.
Tom. II Majori tamen diſquiſitione & probatione opus habent, quæ de
pag. 201. templis Chriſtianis prima ætate, de Codicibus Ebræis, a Ju-
Tom. I dæis corruptis, aliisque hujus generis argumentis, minus recte
pag. 216. diſputavit; nec dubitamus, quin multi mirentur, quid ſit,
325. quod integra loca ex doctorum Virorum, *Seldeni*, *Voſſii*,
Grotii, *Meurſii*, *Gerhardi*, *Salmaſii*, *Pagii*, aliorumque, li-
bris, tanquam *obſervationes Lactantianæ*, plerumque haud
nominatim adductis, exſcripta fuerint, nec cauſam aſſequi
poſſumus, cur ſæpenumero *Iſæi*, *Baluzii*, *Toinardi*, animad-
verſiones bis adjectæ ſint. Quæ ſi junctim cogitamus, inge-
nue fatemur, multa & maxima eſſe hujus editionis ornamen-
ta; tamen non perſuadere nobis poſſumus, ita perpolitum
eſſe *Lactantium*, ut aliis doctis nihil relictum ſit, in quo in-
genia ſua exerceant.

FASTI ATTICI, IN QUIBUS ARCHONTUM Athenienſium ſeries, Philoſophorum, aliorumque illuſtrium Virorum, ætas, atque præcipua Atticæ Hiſtoriæ capita, per Olympicos annos diſpoſita, deſcribuntur, ***novis-***

Digitized by Google

novisque observationibus illuſtrantur, Autore EDUARDO *CORSINO, Cler. reg. Scholarum piarum, in Piſana Academia Philoſophiæ Profeſſore.*

Tomus I & II.

Florentiæ, ex typographio Jo. Pauli Giovannelli, 1744 & 1747, 4, maj.

Tom. I Alph. 2 plag. 5, Tom. II Alph. 2 plag. 14.

Opus, in *Partes quatuor*, ſeu *Volumina*, diſtributum, *Franciſco III*, Lotharingiæ & Barrii Duci, Magno Duci Etruriæ, nunc Imperatori Auguſtiſſimo, eſt conſecratum. Præfatio, *primo Tomo* præmiſſa, ſcripta fuit A. 1745, 10 Cal. Martii, ſiquidem editionem ejus valetudo Autoris Clariſſimi interea labans impedivit ad tempus & retardavit. Habet Archontum Athenienſium ſeries inſignem in Chronologia utilitatem & præſtantiam, nec minorem ad extricanda Scriptorum loca obſcura ac implexa affert opem. Uſus itaque ad Hiſtoriam antiquam & Philologiam inde ſat amplus redundat. Viderat hanc utilitatem *Sigonius*, ſiquidem *de Athenienſium temporibus* A. 1564 aureolum librum edebat, commentatus antea *de Athenienſium Republica* omnino exquiſite. Superavit *Sigonii* apparatum *Joannes Meurſius* opere *Faſtorum* evulgato, quod, *Libris IV* conſcriptum, ac *de Archontibus Athenienſium* inſcriptum, A. 1622 publicavit. Nova Archontum nomina innotuerunt poſt *Meurſii* labores. At autoritas *Meurſii* fuit exiſtimata tanti, ut poſteritas erudita in contexenda Archontum ſerie eum exſcripſerit. Id ipſum ex Commentariis *Lydiati*, *Petavii*, *Prideauxii*, ac *Dodwelli*, ad Marmora Græca, A. 1702 editis, intelligitur. Clariſſ. *Corſinus* in *Meurſii Archontibus* nævos haud unos detexit. Omiſſi enim ſunt in eis Archontes quidam eponymi & illi, qui nuper demum ex marmoribus innotuerunt. Nomina nonnullorum *Meurſius* ad aliena tempora retulit. Multos eponymorum faſtis inſcripſit, qui eponymi nequeunt cenſeri, adeoque ſunt inde expungendi. Eos, quos incertæ ætatis eſſe credidit, poſtremo commemoravit loco, qui facile ad annos Olympicos revocari

 poſſunt.

poſſunt. Archontem unum *Meurſius* nonnunquam in duos diſcerpſit, alibi duos pluresque in unum compegit. Erratis hiſce Autor remedia attulit, ac mutationis cauſas nos docuit in *Diſſertatione VIII.* Opus vero ipſum complexus fuit *XIV Diſſertationibus*. Tandem methodum indicavit, qua faſti *Attici* ab ipſo fuerunt diſpoſiti, uſu haud omiſſo, qui inde ad Græcam & Romanam Hiſtoriam, & ad collationem menſium Atticorum ac Romanorum mutuam, transferri poteſt & permanare. *Prior* Operis *Pars* complectitur *Volumina duo*, *poſterior* totidem. *Prior* exhibet faſtos *Atticos* ab anno tertio Olympiadis ſextæ, quo urbs Roma fuit condita, ac *Charops*, decennalium Archontum primus, Athenas regere cœpit, præmiſſa tamen brevi Regum Athenienſium perpetuorumque Archontum ſerie. *Poſterior* primordia capit ab Olympiade centeſima, & ad Olympiadem 270, ſeu annum a nato Chriſto 305, quo Archontes eponymi jam fuerunt ſublati, decurrit. Laborem vere herculeum exantlavit Cel. Autor, delapſus ſæpius in tenebricoſa & ab aliis nondum trita veſtigia. Arte critica identidem feliciter fuit uſus, ut veterum ſcriptorum loca emacularet, & interpretum ſanaret menda. Fatetur ipſe tamen admodum modeſte, in hoc campo invenire poſſe alium alio plura, neminem omnia. *Jo. Lamius*, qui Opera *Joannis Meurſii* editurus eſt, ni jam edidit, viderit, an ſuperſit, quod in ſententiis *Corſini* poſſit emendari. Ut enim hic ingenue ſæpius refellit *Scaligerum*, *Petavium*, *Petitum*, *Dodwellum*, *Sponium*, aliosque viros inclitiſſimos; ita non feret id moleſte, ſi quid alii contra ipſum fuerint49 monituri. In ipſo Faſtorum limine dedit Diſſertationem, in pſeudeponymis Archontibus expungendis verſantem, ac in genuinis eponymis, antea ignotis, reſtituendis occupatam. Non poterat ipſe de pſeudeponymis Archontibus illis, ſive, ut *Dodwellus* appellavit, *de Prytaniarum Epiſtatis*, differere, niſi de *Prytanibus* etiam, de *Prytaniarum epiſtatis*, ipſorumque muneribus, diſputaſſet. Non poterat de Prytanibus ipſis, eorumque dignitate, exponi commode, niſi prius expoſitum eſſet de ordine tribuum Athenienſium, de *Prytaniarum* ſerie, ſimulque de populis, e quibus tribus Athenienſes ac Prytaniæ componebantur. Nec

minus

minus Autori viſum fuit e re lectorum fore, ſi de Archontum origine, numero, dignitate, civilis anni *Attici* menſura, ejusque forma & principio, ac de illis monumentis, diſſereret, ex quibus ſeries Archontum ac nomina exſculpi poſſent. Inde exortæ fuerunt *Diſſertationes XIV*, quæ *apparatum ad Faſtos Atticos* explent, atque illa copioſius exponunt, quæ incommode in Faſtis ipſis fuiſſent expoſita, vel enarrata. *Diſſertatio I* oſtendit nomen *Archontis eponymi*, quod veluti perſpicua quædam temporis nota ab Atticis aliisque Græcis adhibitum eſt, Archontum numerum, varietatem, munus, ac tempus, quo Archontes illi Athenis inſtituti, tandemque ſublati ſunt. *Diſſertatio II* exhibet menſem, quo Archontes magiſtratum inibant, quique propterea *annus Archonticus* dicebatur. Diſſeritur eo ipſo ſimul de civilis anni Attici forma, menſibus, ac exemtilium dierum ſede. *Diſſertatio III* expedit Prytaniarum numerum, in quarum intervalla muneris obeundi pars anni ſemper creditur fuiſſe impenſa. *Dodwellus* ibi refellitur, ſimulque illuſtria quædam ſcriptorum loca, ac haud una Atticæ hiſtoriæ capita ſatis perplexa corriguntur. *Diſſertatio IV* exhibet erutam novam expoſitionem de ordine tribuum Athenienſium, erutam ſcilicet partim ex ſcriptorum, partim ex marmorum, monumentis. Perſpicuis etiam docetur argumentis, Prytaniarum, ſeu tribuum, ſeriem incertam, & muneris Prytaniarum fortuitum modo ordinem, exſtitiſſe. *Diſſertatio V* recenſet tribus populorum Atticæ, ac earum nonnullas adhuc incompertas memorat. *Diſſertatio VI* exponit de ſenatus & eccleſiæ forma, dignitate, partibus, adeoque de proedrorum ac epiſtatarum numero, varietate, muneribusque. Errata *Sigonii* ac *Dodwelli* refelluntur & abſterguntur. *Diſſertatio VII* it comprobatum adverſus *Meurſium*, *Archontas pſeudeponymos* eſſe admittendos, ſed, licet *Dodwellus* ſenſerit ſecus, a Prytaniarum epiſtatis diſtinguendos. *Diſſertatione VIII* contexta apparet ad corrigendos Eponymorum faſtos integra & exquiſita pſeudeponymorum Archontum ſeries ita, ut XXXIII Archontes ejusmodi ex faſtis adhuc editis expungantur, ac ut ſingulorum ætas, aut annus, oſtendatur, nec

non ut plurima veterum ſcriptorum loca vel emendentur,
vel opportune illuſtrentur. *Diſſertatio IX* fontes indicat, e
quibus ſeries Archontum haurienda eſt. *Diodorus* & *Arun-*
delliani marmoris Autor hic obtinent principatum. Diſſen-
ſus, qui inter utrumque ac *Dionyſium* videtur ſubinde interce-
dere, eadem diligentia enodatur & componitur. *Diſſertatio*
X exhibet Archontas eponymos XII, qui in faſtis omnibus, huc
uſque evulgatis, deſiderantur. *Diſſertatio XI* offert lectori
XXII Archontas, nunc primum in marmoreis inſcriptionibus
obſervatos. *Diſſertatione XII* agitur de Athenienſium nummis,
atque de eis nominibus, quæ numeris ipſis inſcripta conſpi-
ciuntur, eo quod vulgo exiſtimantur nomina Archontum
eponymorum nummis Athenienſibus inſcribi conſueviſſe.
Adjiciuntur XL Archontes alii faſtis Eponymorum. *Diſſer-*
tatio XIII exponit coronidis loco de præcipuis Athenienſium
aliorumque faſtis, ſiquidem ii a ſcriptoribus Græcis inſtar no-
tæ chronologicæ excitantur. Oſtenditur ſimul annus Olym-
picus, quo Pythia celebrabantur. *Petavii* & *Dodwelli* ratio-
nes hoc loco convelluntur. *Diſſertatio XIV* ordinem collo-
cationis faſtorum explanat, eorumque in Græca Romanaque
Hiſtoria uſum inveſtigat. Indices duo, curatiori ſtudio ela-
borati, ac Geographica Atticæ tabula, Operi ſubjunguntur.
Primam hanc Operis partem alia, longeque facilior, *duobus*
& ipſa *Voluminibus* comprehenſa, pars hoc ordine conſeque-
tur, ut *prius Volumen* faſtos Atticos ab anno tertio Olympia-
dis VI, quo urbs Roma fuit condita, & ſimul *Charops*, decen-
nalium Archontum primus, Athenis imperare cœpit, præmiſſa
tamen brevi Athenienſium Regum perpetuorumque Archon-
tum ſerie, ad Olympiadem centeſimam complectatur; *po-*
ſterius vero ab Olympiade centeſima ad Olympiadem 270
prorogetur. Archontes interventu fabarum, ſeu calculorum,
Pag. 21. quorum alii nigri, alii albi, electi fuerunt in loco Pnyce, ſic
a denſo confluentis populi agmine olim cognominato. Tu-
multus itaque *pnyces proprius* dictus fuit θόρυβος πυκνίτης.
Unde apud *Ariſtophanem* δῆμος πυκνίτης eſt populus univer-
23. ſus, ad locum illum confluens. *Friſchlinus* ac *Meurſius* id
igno-

Digitized by Google

ignoraverunt. Jurarunt Archontes in porticu regia, vel ad lapidem, ac deinceps porro in acropoli, ſe leges ſervaturos. *Solon* addidit conditionem, ut tanto impendio ſtatuam auream Delphis collocarent, quanto legem violaſſent. Archontes, munere ſuſcepto, coronati fuerunt myrto, vel hedera, ſiquidem myrto delectata fuit *Pallas*, ni *Ceres*, pro varietate ſacrorum, & coronati inceſſerunt. Theſmothetæ pariter ſic coronati prodeambularunt, ideo a *Demoſthene* dicti civitatis *corona communis*. Qui Archonta coronatum verberaſſet, erat infamia inſignis. Si quis eum non coronatum percuſſiſſet, is 10000 drachmis multandus erat. Rex, Novemvirorum ſecundus, Areopagum ingrediens, depoſuit coronam. Archontibus primo erant ſingulis ſingula munia ſeorſim obeunda, *Polluce* teſte *VIII*, *9*. At *Solon* eos juſſit in unum coire, atque conjungere de rebus publicis decernendis curam, teſte *Laertio Lib. I ſeg. 57*, ex quo ipſe concilium Areopagitarum conſtituerat, ut altera inſuper curia eſſet præſto. Ita *Plutarchi* locum Noſter exponit. Rex tamen, ſeu Archontum ſecundus, etiam poſt *Solonis* tempora, in regia porticu jus dicere conſuevit. Archontum concilium commune erat in loco, quem vocabant τὰ ἀρχεῖα, ſeu *magiſtratuum ſedem*, ſiquidem Novemviri conciliis omnibus tum populi, tum ſenatus, præſidebant, primamque indidem occupabant ſedem. Qui inter eos erant Theſmothetæ, ab eis præſertim multa privatim peragebantur, ſiquidem ipſis legum cura fuerat commiſſa, quas ſingulis annis vel recenſere, vel emendare, conſueverant. *Polemarchus*, unus Archontum, *Marti* ac *Dianæ* Venatrici ex *Miltiadis* voto ac inſtituto ſacrificavit, nec non funebre certamen iis, qui in bello ceciderant, in Academia celebravit, atque actionibus præſedit, quæ a *Polluce* enumerantur *VIII*, *9*, *ſeg. 91*. Regis autem erat, myſteria, lenæa, lampadiſque feſta, curare, id eſt, Panathenæa, Hephæſtia, ac Prometheia, in quorum ſingulis faces, aut lampades illæ, adhibebantur. Idem patria peregit ſacrificia, decrevit de impietate, coronaque depoſita, actiones cædis in forum intulit, cui Areopagi nomen erat, ſimulque de eis judicium agitavit cum Areopagitis.

Pag. 25.

27.

29.

Digitized by Google

Archon ille, qui reliquis omnibus præerat, ideoque Archon & *Eponymos* dicebatur, orgia & thargelia feſta diſponere, orphanorum, pupillorum, viduarum, mulierumque, quæ a viris ſeceſſerant, curam gerere, variasque litium & actionum ſpecies dirimere, ſolebat. *Pollux* hæc curate. Eponymus præterea dicitur diris devoviſſe omnes, qui fructus ullos, oleo excepto, ex Atticæ finibus exportaſſent. Id a *Solone* inſtitutum fuiſſe, *Plutarchus* autor eſt, quem eo nomine laudarunt *Meurſius*, *Petitus*, *Potterus*. At Noſter, locum *Plutarchi* vel vitiatum, vel *Plutarchum* fuiſſe deceptum, docet. Notum enim eſt, eis, qui Panathenaicis ludis viciſſent Athenis, Dei amphoram, veluti inſigne quoddam præmium, tribui conſueviſſe, ipſisque ſolis poteſtatem patuiſſe exportandæ illius e finibus Atticæ. Id indicat *Pindarus Nem. Od. 10.* Id teſtatur *Callimachus*. Id *Pindari* antiquus Scholiaſtes do-
Pag. 31. cet. Immo ipſe *Plutarchus* tradit in *Vita Solonis*, primos Comœdiarum inventores ætate ipſius *Solonis* arculam caricarum veluti præmium accepiſſe, quod ficus in Attica raræ eſſent, atque exinde efferri prohiberentur. Fallitur *Meurſius*, qui, olei exportandi poteſtatem lege *Solonis* omnibus conceſſam eſſe, tradidit *de Archont. Ath. I, 9.* At idem in *Lectionibus Atticis V*, 7, calculum reduxit, eamque poteſtatem ſolis Panathenæorum victoribus conceſſam eſſe agnovit, haud inficiatus, *Plutarchum* fefelliſſe. Eponymus & Rex & Polemarchus debebant judicia ferre, pluresque profligare controverſias. Ideo ipſis licuit aſſeſſores ſibi eligere & ſcribam unum. Singulis adjungebantur duo *πάρεδροι*, *aſſeſſores*, excepto Rege, qui unum aſſeſſorem ſibi adſciſcebat. Id *Pollux* refert *VIII, 9, Seg. 92.* Theſmothetarum Archontum erat, promulgare publicas accuſationes & alia.
33. Novemviri, anno civili exacto, rationibus redditis, in Areopagitarum Senatum cooptabantur ex inſtituto *Solonis*, non theſmothetæ ſoli, licet hoc dictitent Rhetores apud *Demoſthenis* Scholiaſten *Argument. Orat. in Androt.* Contrarium enim tenet, præter *Pollucem VIII, 9, ſeg. 118*, *Plutarchus* in *Pericle*. *Ἀπόῤῥητα* ſunt ea, quæ ſecreto aguntur, *Demoſthene* autore, qui

qui illud in ἀπεῤῥήτῳ adhibuit pro *clam*, *ſecreto*. Ineunte menſe Gamelione olim Novemviri magiſtratum deponebant. At poſt Olympiadem 87 civilis & Archonticus annus ab Hecatombæone incipiebat. Archontes intra 30 dies rationem muneris geſti reddere cogebantur, teſte *Harpocratione*. *Meurſius* igitur denuo vapulat. Rationes excipiebant eas decem viri *Logiſtæ*, aut ii, qui Εὐθύνας vocabantur, ab illis diſtincti. Bis eſſe Archontem, Syndicum, aut Aſſynomum, haud licuit, ſi probabilia ſectemur. De Archontibus videtur nonnunquam ſecus fuiſſe actum, licet certa haud poſſint ad id comprobandum proferri argumenta. Munus *Strategi* ætate *Plutarchi* ceteris gravioris autoritatis fuit viſum. Strategorum erat olim, delectum facere militum, & eos bellatum educere, ultima vero ætate annonam & cibos, qui in foro venum exponebantur, curare, ſi *Philoſtrato*, ad A. 239 Sophiſtarum Vitas edenti, eſt fides. Noſter ei haud accedit, *Juliani* Imperatoris effata de *Conſtantino* ſequens, ac *Meurſii* pronuntiata deſerens. Στρατηγοὺς ἐπὶ τοὺς πολίτας, quos *Meurſius* exhibuerat ex Inſcriptione Græca, evertit, &, legendum eſſe ἐπὶ τοὺς ὁπλίτας, ſignificat. *Hadrianus* Cæſar, antequam Imperator eſſet, Athenis Archontem egit Eponymum, & ideo Dionyſia ſplendide celebravit. A. 253 poſthæc *Gallienus*, poſtea Imperator, eodem munere functus fuit. Paulo poſt, ſublatis Archontibus, *Strategi* omnem invaſerunt poteſtatem, præſertim ætate *Conſtantini Magni*. Tunc enim abolita fuerunt ethnicorum ſacerdotia. Ex eo *Strategum* cives juſſi fuerunt deligere, qui Prætoris inſtar urbem gubernaret, ac Archontem referret. Immo jam antea circa A. 240 ςρατηγὸν fuiſſe urbis Archonta, pateſcit ex *Modeſtino Lib. XXVII Dig. tit. 1 de Excuſation. leg. 15*. Ab Archonte primo Athenienſi appellati ſunt anni ſinguli, ut Romæ a Conſule utroque. Ideo Archon ille dictus fuit ἐπώνυμος, *anno nomen imponens*. Annus Archonticus, iſque civilis & Olympicus, ab Hecatombæone menſe inde ab Olympiade 87 cœpit. Ab eodem menſe tribuum Athenienſium ſeries, illarumque Prytaniæ numerari cœptæ. Quid vero eſt Prytania? Pry-

Pag. 41. 43. 45. 49. 101.

Prytania eſt id tempus, quo olim unaquæque tribus præſe-
dit imperio cuidam. Tribus erant decem. Singulos itaque
imperare decuit diebus 35. Annus enim Atticus conſtitit die-
bus 354. At Olimpiadis CXVIII anno tertio duæ illis novæ
tribus adjectæ. Ex eo ſingulæ Prytaniæ, judicia a ſingulis
tribubus agitari ſolita, ſingulis menſibus definitæ. Non ſin-
guli tribuum, ſed quinquaginta, ex ſingulis delecti, ſenatum
illum menſtruum formarunt. Omnes vero illi ſenatores, per
totum annum & ejus vices rebus præſidentes, dicti fuerunt
Senatus Quingentorum. *Joſephus Scaliger* credidit, *Pryta-
niam* inter & menſem haudquaquam intercedere diſcrimen.
Falſo. Nam Olympiade 67 inſtitutæ olim fuerunt modo tri-
bus decem. *Suidas* in voce Πρυτανιαὶ *Scaligerum* rectiora
valebat docere. *Petitus* & *Prideaux* hic non minus paſſim
a janua aberrarunt. Juvat legiſſe emendationes errorum, ab
eis admiſſorum, apud Autorem ipſum. Dum vero civilis At-
ticus annus diebus 354 conſtiterit, menſibusque alterne plenis
cavisque porro eandem ob cauſam conſtare debuerit; annus
civilis embolimæus dies 383 complexus fuit. Cives illi, qui
ex tribu imperante fuerant electi, vocati ſunt Πρυτάνεις, *Pry-
tanes.* De tribubus ipſis diſſeruit *Pollux Lib. VIII, Cap. 9,*
Pag. 117. *Sect. 109, 110.* Initio Athenis exſtiterunt modo tribus qua-
tuor. *Alcmæon*, inſtituit decem, ut habet *Pollux*, non qui-
dem *Alcmæon* Archontum decennalium ultimus, ſed alius,
Piſiſtrato tyranno junior, pater *Megaclis*, *Cliſthenis*que avus.
Meurſius hic fluctuavit in utramque partem. Verum eſt ni-
hilo minus, *Cliſthenem* hunc fuiſſe decem tribuum autorem.
Itaque apud *Pollucem* loco vocum ἐπὶ δὲ Ἀλκμαίωνος legen-
dum eſſe videtur ἐπὶ δὲ Κλισθένους υἱωνοῦ Ἀλκμαίωνος. Li-
brarii nonnunquam unum alterumque verbum omiſerunt inter
deſcribendum, nec poſthæc e re ſua fore exiſtimarunt, quid-
120. quam inſerere, ne emtoribus deſtituerentur. Quo dignitatis
numero tribus una alteri præſtiterit, difficile eſt ob varietatem
recenſionum definire. Tres adjectæ tribus novem cognomi-
nabantur *Attalo*, *Ptolemæo*, & *Hadriano.* Quæri poteſt, an
Prytaniæ fuerint ſortito numeratæ. Niſi id poſſit everti tol-
lique,

Digitized by Google

ſique, fruſtra erunt, qui ſeriem Prytaniarum per menſes definire audebunt. Si id vero conſtiterit, ex ſerie tribuum de ſerie Prytaniarum haud ferri poterit judicium. Tribuum ordo erat conſtans. Confirmant illum *Demoſthenis* & Etymologorum teſtimonia, nec non Inſcriptiones, quarum una *Cimonis* ætatem attingit, necdum exhibet vocales longas H & Ω, quippe quæ demum anno quarto Olympiadis 94, *Euclide* Athenis Archonte, adhiberi conſueverunt, teſtibus *Plutarcho*, *Suida*, & *Syriano* in *Comment. ad Hermog.* Mirum ſane eſt, *Muratorium* verba ἐν ἀλιεῦσιν expreſſiſſe per formulam *in maritimis navigationibus.* Quis enim neſcit *Haliea*, locum? Dignæ ſunt *Diſſertationes Corſinianæ*, quæ a Græcarum antiquitatum peritis legantur, & diligenter quidem legantur. Nihil hic occurrit, quod ſit feſtinatum, implexum, confuſum. Lucernam redolent univerſa.

Pag. 129.

163.

CODEX DIPLOMATICUS, SIVE ANECDOTORUM, res Moguntinas, Francicas, Trevirenſes, Colonienſes, finitimarumque regionum, nec non Jus Germanicum, & S. R. I. Hiſtoriam vel maxime, illuſtrantium, Tomus ſecundus. Edidit VALENTINUS FERDINANDUS S.R.I. Liber Baro DE GUDENUS, Cameræ Imperialis Aſſeſſor.

Francofurti & Lipſiæ, apud b. W. L. Springii hæredes & Jo. Gottl. Garbe, 1747, 4.

Alph. 8 plag. 8.

Urget firmamenta Hiſtoriæ Germanicæ, & fontes Germanis ſuis propinat, Illuſtriſſ. Autor. Denuo Diplomata non exigui pretii uſusque ex latebris in lucem protraxit, digeſſit, notisque & obſervationibus interſperſis, adjecit paſſim Tabulas genealogicas, ac Sigillorum elegantiorum ectypa. *Volumen primum* publicavit Gottingæ A. 1743, 4, quo Diplomata Moguntiaca ad annum usque 1300 congruenter *Volumini primo* D. *Georgii Chriſtiani Joannis*, qui *res Moguntiacas*

cas non ſine cura, non ſine laude, evulgavit. In eo deſudabat Autoris Illuſtriſſ. opera, ut ab eo anno poſthæc telam pertexeret, & Diplomata Moguntiaca ordine daret chronologico. At nondum huic conſilio obſecundare & morem gerere voluit. Acceſſionibus enim Diplomatum poſtea ſic fuit locupletatus, ut *Tomus* hic non niſi ſpicilegium ad annum usque 1300 complectatur, nec tamen ſe intra cancellos rerum Moguntiacarum modo contineat, dum officina libraria Gottingenſis ob varias bibliopolarum viciſſitudines editionem voluminis Diplomatum, *Volumini II* rerum Moguntiacarum *Joannis* inſervituri, retardavit. Chartæ hujus *Tomi* aliquot in acceptis referendæ ſunt *Damiano Dahm*, celeberrimi monaſterii ad S. *Maximinum* Treviris Priori meritiſſimo, quæ in *Annalibus Broweri Trevirenſibus* & *Zylleſii Defenſione* fruſtra quæruntur. Moguntiam A. 1743 Autor rediens, revolvit ſex membranaceos Codices, Diplomatibus refertiſſimos, divitemque poſt meſſem inde ſpicilegium optimæ notæ formavit, cujus partem hoc *Tomo* divulgavit. Obtinuit Diplomata haud pauca a *Nicolao*, antiſtite Cœnobii Arnſteinenſis, quod *Ludovicus de Arnſtein* Conſtruxit ſuis impenſis ac fundavit. Eſt prope Wezlariam aſceterium Aldenburgenſe Ordinis *Norberti*, cui Perilluſtris *Franciſca de Ketſchau* præeſt. Ex ejus tabulariis varia in hoc promtuarium affluxerunt Diplomata. Ex Aſchaffenburgenſis Ven. Capituli tabulariis deprehendit libros, quos vocant *copiales*, & avtographa haud pauca. Ex

Pag. 37. eis potiora Diplomata huc tranſtulit. Ex *Parthenone*, Benedictino, cui nomen *Schmerlenbach*, permiſſu Abbatiſſæ Perilluſtris, *Julianæ Mariæ a Murach*, ſegetem copioſam Diplomatum obtinuit, eamque huc magna ex parte trajecit. Delata ſunt ad eundem ex aliis locis varia Diplomata, eaque *Petrenſia*, *Reiffenſteinenſia*, *Stephanitica*, *Himmelthalenſia*, *Mintzenbergo-Falckenſteinenſia*, *Billinckheimenſia*, *Wezlarienſia*. Ita in unam ſyllogen coaluerunt Diplomata 250. Adjuncta fuit hiſce recenſio *Prælatorum Aſchaffenburgenſium*, ex Electorali Moguntino ac Aſchaffenburgenſis eccleſiæ tabulario compoſitum atque conflatum. Succedunt huic *Elenchi Vica-*

rio-

Digitized by Google

riorum generalium, Camerariorum, Pratorum judicii civici, praefectorum violentiarum. Elenchos hoſce excipit *Syllabus veterum Moguntiæ curiarum*, argumentum a nemine antea tentatum. Adjecta fuit ei *recenſio Codicum manuſcriptorum Bibliothecæ Rev. Capituli Metropolitani.* Priorem jam partem Autor ediderat in *Sylloge Diplomatariorum*, A. 1728 typis evulgata. Acceſſit recenſui *Appendix* miſcella, partim diplomatica, partim e formulis finalibus librorum Seculi primi typographici facta. Tum vero ſeſe Lectori videndum offert *Diplomatarium Ordinis Fratrum Prædicatorum conventus Moguntini. Gancelinus*, forte *Gaucelmus*, prodiit jam A. 1734 in lucem. Acceſſionibus is nunc ſuperbit. Argumentum hujus diatribæ eſt *Gancelini*, Epiſcopi Albanenſis & majoris Pœnitentiarii, Diploma, quo Canonicos eccleſiæ collegiatæ B. M. V. in campis extra mœnia Moguntiæ ab excommunicatione, quam incurrerunt, eo quod *Ludovico Bavaro* adhæſerant, jubet abſolvi. An nomen Epiſcopi fuerit *Gancelinus*, an *Gaucelmus*, ex Diplomatis literis haud ſatis patet. Accedit *Elenchus hujus Eccleſiæ antiſtitum.* Mirum ſane eſt, *Gancelinum* in Diplomate objicere *Ludovico Bavaro* ſuperſtitionem & rebellionem. Diploma datum eſt Avenione A. 1345, 19 Dec.. Succedit huic diatribæ *Elenchus Vicariarum ædis metropolitanæ* Moguntinæ. Vicariatus Canonicorum, in majoribus Miſſis decantandis, & officiis eccleſiaſticis peragendis, occupatos, inſtituerunt ditiores homines, jure patronatus ſibi plerumque reſervato. Tum vero exhibuit Perilluſtris Autor *monumenta ſepulcralia*, quam A. 1715 collectionem inchoavit ex æde cathedrali & in templis Moguntiæ ſingulis. Multi ita viri, ſtirpe & virtute magni, a mortuis revocantur. Accedit tandem *Archivum Landscronenſe.* Domus Burggravialis *de Landscron* ſtemma A. 1370 exſtinctum fuit. Prædia ejus translata ſunt ad nobiles Dominos *de Tomburg, Fynenburg, Schœnberg*, & porro ad Dynaſtas cognominatos *de Saſſenberg, Sombreff*, & *Quad*, idque per filias & jus hæreditatis. Burggraviorum & horum Dynaſtarum genealogiæ, cum cura confectæ & concinnatæ, ſubjiciuntur Diplomati-

Pag. 686. 687. 815. 929. 1359.

bus illius Archivi in calce. Colonienſis & confinium terra-
rum Diplomata Germanica ſpirant barbaram dialectum, hi-
ſtoriæ tamen paſſim uſus ſuppeditant haud contemnendos.
Res genealogica inde admodum locupletari poteſt. Diplo-
mata ſingula Vir Illuſtriſſ. laborioſiſſime manu ſua ipſe de-
ſcripſit. Sigilla paſſim rariora, in æs inciſa, ſubminiſtravit.
Indicem locorum & perſonarum ipſe contexuit. Index re-
rum debetur induſtriæ Prænobilis *Henrici Balthaſaris Blum*,
Sereniſſimi Principis Cameræ Imper. Judicis a Secre-
tis, Viri eruditi, & cujus *Commentatio de Judicio curiæ Impe-
rialis Germanico* jam in eruditorum manibus verſatur. *To-
mos* præterea diplomaticos, prelo typographico paratos, col-
legit Autor Illuſtriſſ. quatuor, qui ut benignis bibliopolarum
auxiliis propediem in lucem exeant, magnopere deſidera-
mus. Quis enim Hiſtoriæ Germanicæ receſſus expedire va-
let citra Diplomatum fontiumque opem? Memorabile eſt
Diploma, quo *Otto I* A. 950 monaſterio S. *Maximini* eccleſias
cum decimis, dote, & dotalibus mancipiis, reddit 29 April. Ne-
Pag. 3. meti. Ex alio ejusdem *Ottonis* ad A. 956, 9 Mart. Francofurti
dato Diplomate intelligitur, *dominicales decimationes* dictas
fuiſſe *Salicas*. Manſi igitur Salici & terra Salica videntur
nomen traxiſſe ex nomine Germanico *Sal, Sahl*, & originem
ad Regis palatia, ubi ex eis Rex ſibi victum ſuffecit & ſplen-
dorem, retuliſſe. At allodia hæc regni paulatim in dona
templorum & monaſteriorum fuerunt converſa. *Otto Ma-
gnus* hujus rei eſt teſtis, qui S. *Maximini* monaſterio dominica-
les, ſeu ſalicas, decimationes reddidit. Juvat noſſe originem
eccleſiæ collegiatæ S. *Petri*, extra muros Moguntinos ſitæ, a
5. *Friderico* quippe, Archiepiſcopo Moguntino, profectam, & A.
1069 a *Sigefrido I* corroboratam. Quantum preces Epiſcopo-
8. rum valuerint pro monaſteriis apud *Henricum V*, pateſcit ex
10. *Henrici V* Diplomate, A. 1107 *Benedictinæ* familiæ S. *Maxi-*
12. *mini* impertito. *Ludovicus* Comes *de Arnſtein* & *Guda Co-
mitiſſa*, nata ex ſtirpe *Bomeneburgica*, vulgo neglecta, funda-
runt monaſterium Arnſtein, ex caſtello Arenſtein factum.
Fundationem confirmavit Rex *Conradus III* A. 1146 Spiræ,

nec

nec non Archiepiſcopus Trevirenſis *Hillinus* A. 1156. *Ludovi-* Pag. 20.
cus, Landgravius Thuringiæ, eidem monaſterio prædia, ad
Loganam ſita, A. 1185 donavit, hic dictus *Comes univerſalis*
Thuringiæ. Præfectus civitatis Maguntiæ ætate illa Comiti-
bus reliquis inter Diplomatum teſtes fuit antelatus. Si quid
viri bellici admiſiſſent facinoroſum, crimen donationibus per
expiare ſuum aggreſſi ſunt & juſſi. Diploma *Cunigundæ de*
Naſſau, *Waleramo* Comiti nuptæ, ad A. 1198 hujus rei eſt te-
ſtis. *Heydenricus* Comes *de Lutterberg* & *Burchardus* Co- 40.
mes *de Schartfeld* A. 1224 fuerunt Advocati Cœnobitarum Po-
ledenſium. Comites *de Naſſau*, ſeu *Naſſowen*, *Henricus* & 55.
Rupertus, A. 1244 floruere. Memorabile eſt Diploma Regis
Henrici, ex *Friderico II* Imperatore geniti, ad annum 1228,
ob teſtes. Inter eos comparet *Bertoldus*, *frater domus Teu-*
toniæ, ante Præpoſitum Baſilicæ Magdeburgenſis. Comitati-
bus Diez & Dillingen tunc ſinguli præfuerunt Comites, inde
dicti. Comites *de Solms* jam A. 1232 viguerunt. *Henricus*, 60.
Rex Germaniæ vicarius, A. 1234 Francofurti Cœnobio Him-
melthal privilegium patrocinii indulſit. Inter teſtes *Otto*, 66.
Dux Meraniæ, præponitur *Alberto*, Duci Saxoniæ. Ratio vi-
detur habita ætatis. In Diplomate *Friderici II* ad A. 1237
inter teſtes præſto eſt Fr. *Henricus* Magiſter Domus Theu- 74.
tonicorum, qui Comes Hohenlohicus fuit. *Rupertus* miles
de Karben jam A. 1240 fuit Imperatoris Burggravius Fridber-
genſis. Pateſcit hinc antiquitas hujus Burggraviatus. Ea 78.
ætate Cantores Baſilicarum adhibuerunt illud *Dei gratia*.
Oppidum & caſtrum *Oppenheim* *Wilhelmus*, Romanorum 79.
Rex, A. 1252 oppignoravit *Gerhardo*, Archiepiſcopo Magun-
tino, *dilecto Principi ſuo*. *Conradus* & *Adolfus*, Comites *de* 103.
Waldecke, ea ætate floruerunt. *Erneſtus*, Comes *de Gleichen*,
progenitor fuit *Henrici* Comitis *de Gleichenſtein*. Hujus 105.
avunculus fuit Comes *de Schartfelt*. *Henricus de Munichu-*
ſen ad A. 1253 memoratur. Erfurtanus ſenatus profitetur, ſe A. 109.
1263 tenuiſſe jus cudendi nummos ex gratia Archiepiſcopi Ma-
guntini. *Ulricus*, Comes Tubingæ, ſe vocat ſimul Do- 143.
minum *in Gizen* A. 1263. Ipſe dicitur in Diplomate 145.

Comes de Tuwingen. *Gotfridus*, *Comes de Cigenhagen*, (de
Pag. 155. Ziegenhain) ſervitia, ſeu miniſteria, ſpondet *Gerhardo*, Archie-
piſcopo Maguntino, A. 1265. *Sophia*, Dux Brabantiæ, gaviſa
eſt A. 1265 ſorore *Gertrude*, magiſtra Aldenburgenſis Cœnobii.
172. Utraque fuit filia S. *Eliſabethæ*, Landgraviæ. *Henricus Puer*
277. ſe vocavit *Lantgravium* & *Haſſiæ Dominum* A. 1271, & *Domi-*
176. *num terræ Haſſiæ.* Raugravii vocarunt ſeſe *Comites Irſutos*
211. A. 1279. *Ottoni*, Comiti *de Naſſauwe*, fuit uxor *Agnes*, filius
261. primum natus *Henricus*, & mater *Mechtildis*, A. 1289. Feu-
dum *manus compoſitæ, mit geſamter Hand*, A. 1294 memora-
281. tur a *Ludovico de Iſenburg*, *Helwige*, ejus uxore, & filio utrius-
que primum genito, *Ludovico*, A 1294. In caſtro *Varsvel-*
de, ubi nunc eſt vicus Vosfelde in Principatu Wolferbutte-
291. lenſi, *Otto*, Marchio Brandenburgi & Landesberg, chartam,
conſenſus indicem, in expedito eſſe juſſit A. 1293. *Ottonis*,
Comitis *de Naſſauwe*, vidua fuit *Agnes*, mater filiorum *Hen-*
rici, *Emiconis*, *Ottonis*, & *Joannis*, filia *Gertrudis*, & ſororia
Catharina. Duo poſteriores filii fuerunt Clerici. Utraque
virgo fuit ſacra Cœnobii Aldenburgenſis, illa Magiſtra, cui
292. *Gertrudis* in ea dignitate ſucceſſit. Illa ſucceſſerat *Gertrudi*,
ex *Eliſabetha*, Landgravia Thuringorum, olim natæ, defunctæ
303. A. 1297, 13 Aug. *Otto*, Dux Sueviæ ac Bavariæ, *Ludolphi* fi-
lius, *Ottonis* primi nepos, fundavit & conſtruxit eccleſiam
Canonicam Aſchaffenburgenſem, eique donavit magnam ſil-
væ Herciniæ ibi partem. *Otto II* Imperator de ſuo nonnihil
adjecit. *Otto* Dux, ex Italia reditioni intentus, obiit A. 982, 30
Sept. & Aſchaffenburgi ſepulcro illatus fuit. Hæc leguntur in
331. libro *regulæ fraternitatis*. Inter Præpoſitos Aſchaffenburgen-
ſes duo eminent Comites Hennebergici, nec non *Levinus de*
Veltheim, Præpoſitus æque Baſilicæ Hildeneshemenſis, & Ca-
nonicus Baſilicæ Maguntinæ, defunctus Hildeneshemii A. 1531,
333. 8 Maji. Eja, nemo non intelligit, quantum bonæ frugis ex
hoc *Tomo* ad Hiſtoriam omnem redundet.

CONSPECTUS NOVI THESAURI JURIS CIVILIS & Canonici, quinque Voluminibus in folio ſubſcriptionis

lege

Digitized by Google

lege prodituri, quo junctim exhibebuntur varia & rariſſima optimorum Interpretum, inprimis Hiſpanorum & Gallorum, Opera, utrumque Jus ex humanioribus literis, antiquitatibus, ac veteris ævi monumentis, illuſtrantia, tam edita antehac, quam inedita, ex Bibliotheca GERARDI MEERMAN, JCti, & Reipublicæ Roterodamenſis Syndici.

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1751, 8. Plag. 7.

Magna literarum amantes de *Meermanniano Juris Theſauro*, cujus jam mentionem nos aliquando in his *Novis Actis Menſe Majo A. 1749 pag. 272 ſeq.* obiter fecimus, exſpectatio tenuit. Is, quod Muſæ bene vertant, hoc ipſo anno die 15 Aprilis in lucem prodibit. Ut autem de univerſo hoc Opere melius poſſint jurisperiti emtores judicare, hunc, cujus jam titulum indicavimus, totius præſtantiſſimi Operis quaſi prodromum *Meermannus* præmiſit, ſimulque Bibliopola leges venditionis in hoc Programmate expoſuit. Gratulamur hoc æternum, quod ſibi ſternit Vir ampliſſimus, gloriæ immortalis monumentum *Meermanno* animitus; cui orbis terrarum gratias pro meritis ſatis dignas referre nunquam poteſt. Ut de ipſo Autore primum paucula dicamus, Vir ille adhuc juvenis, & JCtus admodum doctus, & literatorum, qui nunc in Belgio vivunt, fere pecunioſiſſimus, generoſe ſuis opibus & liberaliter uſus eſt ad reipublicæ literariæ emolumentum, cum, librorum inprimis coemendorum cauſa, in Galliam Germaniamque iter literarium fecerit, tantamque intra paucos annos ſibi comparaverit rariſſimorum atque optimorum librorum copiam, quantam vix ullo tempore alius. Animadverterat autem præſtantiſſimus Belga, optimos quosdam & admodum raros Juris Tractatus *Ottoniano Theſauro* deeſſe, quos ipſe *Byncker ſhœkius* & *Otto*, hujus Theſauri conditores, bonos & reconditos eſſe noverant quidem, ſed in omnibus Bibliothecis Europæ fruſtra quæſiverant. Quos cum Ampliſſimus *Meermannus* in ſua Bibliotheca aſſervaret, conſtituerat pri-

primum *ſexto Volumine* illud augere *Ottonianum* opus, & fruſtra ab *Ottone* quæſitos huic Autores inſerere. Ecce vero, majori inflatus ſpiritu, mutatoque conſilio, plane novum potius Juris civilis Theſaurum, *Ottoniano* in omnibus ſimilem, edere ſatius ducebat. Quod cum conſilium cum *Gregorio Mayanſio*, Regi Hiſpaniæ a Bibliotheca, & Hiſpanos inter eruditos, ſine controverſia, hoc ſeculo, principe, communicaret, hic, ut eſt in egregia conantes liberaliſſimus, Hiſpanorum Jurisconſultorum libros rariores ad hunc Theſaurum benevole obtulit: quam ipſam ob cauſam factum eſt, ut præſentem Theſauri Conſpectum ſummo huic ac præſtantiſſimo Viro dedicaret. Sed nunc ipſos videamus Scriptores ac Tractatus, quos in hujus Theſauri numeros *Meermannus* retulit: 1) *Thalelæi, Theodori, Stephani, Cyrilli, Cubidii, aliorumque, Commentarii Græci in tt. ff. de Advocatis, ſive de poſtulando, & de procuratoribus, & defenſoribus, ex Codice MSto primum editi.* Hoc primarium Operis ornamentum. Ut enim *Ottonianum* Theſaurum inprimis gratum faciebat deſideratiſſimus quondam ille *Antonii Auguſtini* de nominibus propriis Pandectarum Tractatus; ita hoc vetus & adhuc ineditum priſci ævi cimelium hujus eſt *Meermannianæ* collectionis elegantiſſimum pulcherrimumque apluſtrum. 2) *Gerardi Meermanni Specimen Animadverſionum criticarum in Caji Inſtitutiones*, cujus nos in his ipſis *Actis Menſe Majo A.* 1749 *pag.* 290 *ſeq.* notitiam dedimus. Nec plura tamen fuerunt hujus libelli exemplaria, quam quæ Autor amicis diſtribueret, pleraque non in papyro, ſed in membranis, impreſſa; hinc merito ejus editio repetita. 3) *Petri Fabri Notæ in Pauli Sententiarum libros.* Ejusdem *Notæ ad Ulpiani Titulos*, nondum editæ. 4) *Mich. Pſelli Synopſis legum verſibus jambis & politicis, cum notis Franciſci Bosqueti*, Græce & Latine. 5) *M. Valeri Probi Libellus de interpretandis Romanorum literis, quem ex vetuſtiſſimis MStis plus parte dimidia auxit Henr. Ernſtius, J. U. D.* Sæpius *Valerii Probi* hic libellus excuſus eſt; at hujus *Ernſtii* editio rariſſima, & tam excellens, ut præ hac ceteræ omnes nullæ videri poſſint. 6) *Juris Civilis fontes & rivi, collectore* Henrico Stephano, *& ejusdem*

dem typis. Demonſtrat Autor, omnem Juriſprudentiam ab Ægyptiis per Græciam ad Romanos manaſſe. 7) Flav. Franciſci de Hauteſerre a Salvaiſon *Notæ & Animadverſiones ad indiculos eccleſiaſticorum Canonum Fulgentii Ferrandi.* 8) *Excerpta ex Adverſariis* Petri Pithœi, *quæ ad Jus Romanum pertinent. Claudius Joly*, Advocatus Pariſienſis, A. 1652 Pariſiis publicavit: *Divers Opuſcules tirez de Memoires de Monſ. Loiſel, avec quelques ouvrages de Monſ.* Pierre Pithou. Ex hoc libro *pag. 332 ſeq. Meermanus* hæc *Pithœana* excerpſit, quæ ſingulares locutiones, Græciſmos, & Indicem Gloſſarum quarundam & vocum rariorum Juris, continent. Opuſculum ipſi *Dukero*, qui de Latinitate veterum Jurecconſultorum Tractatus varios collegit, incognitum. 9) *La Vie de Publius Rutilius Rufus, Jurisconſulte Stoicien, & le Socrate Romain, par* Antoine Loiſel. Hic eſt *Oiſelius*, magni *Cujacii* diſcipulus. Digna hæc *Rutilii* vita, quæ in Theſaurum inferatur, ſi modo *Meermanus* eam in Latinum transferri curaſſet. Dedecet enim Gallica locutio Latinum opus. 10) Jani a Coſta *Commentarii ad Tit. ff. de Servitutibus*, item *ad quatuor Tit. C. Ex delictis defunctorum in quantum hæredes conveniantur.* Nondum impreſſi. 11) *Analogia juris ad veſtem, Autore* Franc. Broeo. 12) *Parallela Legis & Nummi, quibus triplex Juris ſpecies, naturalis, gentium, & civilis, philologice exponitur,* ejusdem. 13) *Nuptiæ Jurisconſulti & Philologiæ*, ejusdem. 14) *De Juſtiniani ſeculi moribus* Paganini Gaudentii. 15) *De Erroribus Pragmaticorum Libri IV, totidem Variarum Lectionum, Autore* Eduardo Caldera. Clariſſ. *Ev. Otto*, eo tempore, quo de *Tomo V* Theſauri ſui cogitaret, anxie, ſed in caſſum, hunc librum quæſivit. Vid. *Nova Acta Erud. A. 1734 pag* 47 16) Franciſci Ramos del Manzano *Opera juridica omnia*, non ſolum his regionibus rariſſima, ſed in ipſa Hiſpania deſideratiſſima. Vid. *Heinecc. Lib. I Comment. ad LL. Jul. & Pap. Cap. 1.* 17) Joſephi Fernandez de Retes *Opera juridica*, quæ reperiri potuerunt, omnia. 18) Joannis d'Avenzan *Opera juridica omnia*, quæ in ipſa Gallia ſunt rariſſima, quod Autor pleraque ſuis ſumtibus & paucis exemplaribus divulgavit. 19) Jacobi

de la Lande *Opera.* 20) Vincentii Cabotti *Variarum Juris publici & privati Diſſertationum Libri duo.* 21) Franciſci de Petris *Feſtivarum Lectionum Libri III.* In hoc opere, quod ſingularis eſt artificii, amœniores Juris materias feſtive pertractavit, & Poetarum ludicras dictiones cum legibus contulit & comparavit. 22) *Paralipomenon & Electorum Juris Civilis, ſelectarumque Antiquitatum, Tomus I, Autore* Athanaſio Otevza & Olano. 23) Joannis Altamirani & Velazques *in priores XIII Libros Quæſtionum Q. Cervidii Scævolæ Commentarius.* Opus poſthumum. 24) Joſephi Fineſtres & de Monſalvo *Exercitationes Academicæ XII ad l. 5 ff. de Juſt. & jur., atque altera in l. 2 ff. de Statu hom. Accedit Diſſertatio de Hermogeniano, JCto, & ejus ſcriptis.* Hic *Fineſtreſius* adhuc vivit; nec in univerſa Hiſpania, præter *Mayanſium*, amicum illum *Meermani*, cujus ſupra mentionem fecimus, & hunc *Fineſtreſium*, elegantior ullus & humanior JCtus. Scripta Hiſpanorum recentiorum omnia neſcio quid ſcholaſticum ſapiunt, non polita, nulla eruditione & amœnitate condita, ſed potius inanibus logis & tricis meris ſubſarcinata. Quid autem de hoc *Fineſtreſio*, populari ſuo, *Mayanſius* judicet, & quantum hunc popularem ſuum coævumque admiretur, intelligi poteſt ex toto hujus (ſcilicet *Mayanſii*) *Libro IV* editarum Epiſtolarum. Nos tamen, ut libere dicamus, Virum Ampliſſimum hæc *Fineſtreſii* & aliorum, adhuc viventium, ſcripta in Theſaurum ſuum intuliſſe, probare non omni ex parte poſſumus. Nam in ejusmodi Theſauro non niſi optimæ & locupletiſſimæ editiones locum habere debent. Jam, ſi *Fineſtreſius* in Hiſpania novam & auctiorem editionem ſuorum librorum procuret, non erit hæc, quæ in Theſauro eſt, editio optima, ſed contemtior. Itaque, ſi hoc acciderit, verendum eſt, ne eo macula Theſauro adſpergatur. 25) Thomæ Papillonii *Commentarii in 4 priores Tit. Libri primi ff.* 26) *de Jurisdictione & Imperio* Quintanaduegnæ. 27) Joannis Suarez de Mendoza *Commentarii ad L. Aquiliam,* quibus, *Mayanſio* teſte *Lib. V Epiſt. 5 pag. 282,* omnibus, qui idem argumentum attigerunt, palmam præripuit. 28) Alexandri Politi a Sancto Sigismundo

de

de patria in teſtamentis condendis poteſtate. 29) *Doctoris* Nieto *Tractatus Academicus de Prælegatis.* 30) Petri Vandecani *de Privilegiis creditorum, ad tit. ff. qui potiores in pignore.* 31) Joannis Philippi Dattii, *Conſiliarii Wurtembergenſ. de venditione liberorum Diatriba.* 32) *Senatus Romanus juſtus criminum vindex, ſive de SCtis Romanis ad leges publicorum judiciorum factis, Autore* Laurentio a Santajana & de Buſtillo. 33) *De Exilio, ſive de exilii pœna antiqua & hodierna, exulumque conditione,* Nicolai Antonii, *Hiſpalenſis*, cum additionibus novis, ab Autore manu propria ad marginem ſcriptis, nunquam adhuc editis. 34) Guilielmi Prouſteau *Recitationes ad l. 23 ff. de R. J.* 35) Joannis Ludovici Lopez *Commentarius ad l. C. de religioſ. & ſumt. ſun.* 36) *Commentarius ad tit. C. de Evictionibus, Autore* Franciſco Calletio. 37) Don Nicolai Fernandez de Caſtro *Prælectio extemporanea ad Theodoſium & Valentinianum in l. 7 C. de Aquæductu.* 38) Ejusdem *Exterminium Gladiatorum ad l. un. C. de glad. penit. toll.* 39) *Recitatio ſolennis ad l. un. C. de Palatiis & Domibus dominicis* Joſephi ab Exea & Descartin. 40) *Tractatus de Comitibus Conſiſtorianis* Joannis Pilleau. 41) *Epiſcopale judicium adverſus calumnias Jacobi Gothofredi acerrime defenſum, nec non ab omni falſi ſuſpicione pleniſſime vindicatum, opera & ſtudio* Joan. le Gendre. Defendit, tres leges in Tit. de Epiſc. jud. genuinas eſſe quas *Gothofredus* ſpurias ac ſuppoſititias in fin. *l. 16 C. Theod.* affirmaverat. 42) Car. Annib. Fabrotti *Prælectio in Tit. Decretal. de Vita & honeſtate Clericorum.* 43) *Juris Canonici ſelecta, & eorum, quæ ad uſum fori Gallicani pertinent, brevis comprehenſio, ſeu ſumma, Autore* J. P. de Maurize. 44) *Ad Tit. Decretal. de Sagittariis Prælectio, ubi, quicquid ad hujus Tituli intellectum, tam ex Jure civili, quam ex bonis literis, hactenus deſideratum eſt, quam maxima potuit, cura, nec minori eſt brevitate collectum, Autore D.* Petro de Abaunza. Hæc ſunt, quæ in hoc armamentario locum habebunt, opera, quibus utinam *Meermanus* addidiſſet Germanorum quorundam rariora

opuſcula. Latent enim Germanorum longe plures præſtantiſſimi codicilli in pulvere, & pugnant cum tineis, qui politiores multo & frugaliores ſunt iſtis quorundam recentiorum, inprimis Hiſpanorum, ſcriptis, quæ, tametſi docta non negemus eſſe, tamen in viliori aliqua collectione rectius, quam in hoc aureo Juris Theſauro, locum meruiſſent. Sed Hiſpanica ſunt, ergo rara. Opus hoc univerſum, quod *Meermanni* ſolertiſſimæ curæ debemus, conſtabit *V Voluminibus* in folio, & excudentur non plura, quam 925, exemplaria. Acceptis ſingulis *Tomis*, 10 floreni perſolvuntur, ut omne opus 50 florenis conſtiturum ſit. *Primum Volumen* die 10 Aprilis proximo prodibit; ultimum Cal. Jan. A. 1753. Ampliſſimo autem Viro merito corona decernitur civica, cum tot ab oblivione injuſta interituque cives liberaverit. Augebunt fortaſſe ejusmodi nominum conſervationes doctorum virorum ſtudia; ut, poſtquam animadverterint, non defuturos poſt fata *Ottones*, *Zilettos*, *Grævios*, *Gronovios*, *Muratorios*, *Meermanos*, aliosque, qui vitam reddere mortuis, & refigere memorias hominum, ſtudeant, multo alacrius in officio literarum animos ſint retenturi. Jucundiores enim ingenuæ menti & lætiores erunt, propter hanc æternitatis ſpem, graves & ſportulas non afferentes vigiliæ, neque tanta in poſterum, quanta olim fuit, fati in literatos poteſtas.

Ut Mors Meermanum *ſenſit tot reddere luci,*
Styx vale! ait; vitæ jam patefacta via eſt.

GEORG. RUDOLPH. BOEHMERI, PHIL. & Med. Doct. Flora Lipſiæ indigena.

Lipſiæ, apud Jo. Gothofr. Dyckium, 1750, 8.
Alph. 1.

Ea noſtri potiſſimum ſeculi eſt felicitas, ut corpora naturalia non copioſos ſolum acceperint amatores, ſed etiam ut illi ipſi de iis conquirendis æque ac in ordinem digerendis cogi-

cogitent ſtudioſius. Quantæ vero noſtræ præ aliis regionibus Saxoniæ conceſſæ ſint a provida natura prærogativæ, neminem latere poſſe arbitramur, & illa poterit, de qua in præſenti agimus, ſtirpium, in Lipſienſi terra reperiundarum, docere collectio. Tentarunt varii, a longo jam abhinc tempore, Lipſienſium exhibere plantarum enumerationem, quorum merita Clariſſ. Autor recenſet, ut *Welſchius*, *Ammannus*, *Wipacherus*; in quantum vero, quod ad indigenas attinet plantas, finem fuerint conſecuti, ſibi præfixum, ipſa eorum ſcripta, leviter tantum conſiderata, teſtantur. Alii porro, de quorum ſcientia, & in diſponendis plantis peritia, evidentibus conſtat documentis, diverſis impediti difficultatibus, ab hacce opera ex animi ſui ſententia curatius exequenda avocabantur. Incitamento tamen Clariſſ. *Bœhmero* & præſtantiſſimo fuerunt adjumento; ex quorum numero, præter *Hebenſtreitium* atque *Ludwigium*, inprimis laudari meretur *Gleditſchius*, quippe qui & variis Floram hancce auxit obſervationibus, & faciliorem in diſponendis graminibus, fungis, muſcisque, præbuit methodum, epiphyllofpermarum vero plantarum novum plane ſyſtema conditum liberaliter conceſſit. Exponuntur autem plantæ ſecundum eam, quam Cel. noſter *Ludwigius* condidit, methodum, facilem naturæque convenientem, in quarum deſcriptione ea præſtitit Autor, ut, præmiſſo generis nomini ſpecies ſubjungeret, iisque optimorum Autorum adjungeret ſynonyma, ſimulque & Germanica nomina, & natalia loca, accurate notaret, nec non, ſi neceſſe fuerit viſum, adjectis obſervationibus illuſtraret. Paucas autem quod plantarum ſpecies propoſuerit: nam octingenti tantum & octoginta quinque, in tam fertili terra repertæ, deſcribuntur; inde factum eſſe aſſerit, quod limata plantarum disquiſitio, varietatum copiam plerorumque Autorum ſpecies auxiſſe, declaraverit. Nihilo tamen minus inde quoque evenit, ut novis inſigniri debuerint quædam plantæ nominibus & deſcriptionibus, quæ earum ab aliis congeneribus differentiam manifeſtant. Sic *Jaſione* ob florem regularem a *Rapunculo*, cui a Cel. *Ludwigio* adjungitur, ſeparatur. *Centaurium*,

Digitized by Google

rium, vulgo *minus* dictum, a recentioribus ad Gentianas relatum, ſub *Centaurii corolla quinquifida, foliis lanceolatis*, nomine deſcribitur. *Vaccinium*, cujus duas vulgo diſtinguimus ſpecies, rubram & nigram, quas *Linnæus*, *Hallerus*, aliique, ex foliorum duratione annua, vel perenni, diſcernebant, conſtantiori quadam nota, ex petiolorum creſcendi modo deſumta, diſtinctas obſervamus, ita quidem, ut prius *Vaccinium, florum petiolis racemoſis, pendulis, foliis integris*, poſterius vero *Vaccinium florum petiolis unifloris, pendulis, foliis ſerratis*, nominetur. Quæ certe exempla, quibus plura addi poſſent, accuratiſſimam plantarum deſcriptarum disquiſitionem a Clariſſ. Autore fuiſſe inſtitutam, teſtantur, ſpemque faciunt, fore, ut plures ejus opera in naturalem hiſtoriam redundent utilitates. Adjecti vero Indices, tum Autorum, quorum uſus eſt opera, tum nominum plantarum deſcriptarum, non parum eos juvare poterunt, qui ubivis obviorum vegetabilium convenientem aliquam ſibi comparare voluerint notitiam.

INTRODUCTIO IN ANALYSIN INFINITORUM, Autore LEONHARDO EULERO, Prof. Regio Berolinenſi, & Acad. Imp. Scient. Petropol. Socio.

Tomi II.

Lauſannæ & Genevæ, apud Marc. Mich. Bouſquet & Soc. 1748, 4 maj.

Tom. I Alph. 1 plag. 16, Tom. II Alph. 2 plag. 4, Tabb. æn. 40.

Analyſin ſubliniorem, prout noſtro ævo exculta, & ad reſolutionem omnis generis quæſtionum traducta eſt, ita comparatam eſſe, ut, etſi plerumque circa conſiderationem infiniti verſetur, & peculiaribus principiis in hac indagatione utatur, ſubinde tamen quoque varia ad communem Analyſin finitorum referenda, in ſubſidium vocet, nemo eſt in hiſce aliquantum verſatus, qui ignoret. Tantum autem abeſt, ut in communibus Algebræ Elementis omnia illa pertractentur, quæ

quæ ad finitorum conſiderationem pertinent, quæque ſimul præparationis ad infinitorum Analyſin vice fungi debent, ut potius multæ exſtent materiæ, quæ in iis ne quidem attingi ſolent, ut doctrina de functionibus, de ſeriebus recurrentibus, de natura curvarum in genere, & ſimilia. Quæ cum ita ſint, quis eſt, qui non videat, quantum conſulturus ſit cultorum Analyſeos commodo, qui omnia iſta, ad Analyſin finitorum quidem proprie pertinentia, ſed in Analyſi infinitorum maxime applicanda, ordine ſyſtematico pertractare inſtituerit. Merito itaque ſibi gratulabantur hi omnes, quod huic labori manum admovere voluerit Vir, qui, uti in ipſa Analyſi per nova inventa continuo locupletanda facile eſt princeps, ita & omnia iſta, vel ab aliis jam detecta, ex genuinis principiis explicare, vel ipſe novis augmentis ornare, omnium optime novit. In quo ita verſatus eſt, ut non ſolum ea ex Analyſi finitorum, quæ in Analyſi infinitorum abſolute requiruntur, uberius ac diſtinctius, quam vulgo fit, exponere ſtuduerit, ſed & alias bene multas quæſtiones enodaverit, quibus lectores ſenſim & quaſi præter exſpectationem ideam infiniti ſibi familiarem reddant; prætereaque plures quæſtiones per præcepta communis Algebræ reſolverit, quæ vulgo in Analyſi infinitorum tractantur, ut ſic dein eo melius ſummus utriusque methodi conſenſus eluceat. Hujus itaque Operis elegantiſſimi, quod ſic *Introductionis in Analyſin infinitorum* nomen vere meretur, notitiam Lectoribus noſtris exhibituri, haud quidem omnia in eo contenta fuſe exponemus: nemo enim eſt Analyſeos ſtudioſus, qui ipſo libro carere poſſit; ſed tantum ideam quandam eorum adumbrabimus, ut, quid de eo promittere ſibi debeant, ii norint, ad quorum manus nondum pervenit.

Totum *Opus* in duas *Partes* primarias diſpeſcitur. Altera, quæ ad meram Analyſin, altera, quæ ad Geometriam ſpectant, complectitur. *Prima*, cum univerſa Analyſis infinitorum circa quantitates variabiles, earumque functiones, verſetur, de functionibus orditur, hocque argumentum inprimis fuſe & perſpicue pertractat. *Caput I* de functionibus in genere agit,

Fun-

Functionis idea generalis traditur, quod nempe ſit expreſſio analytica, quomodocunque compoſita e quantitate variabili, (cujus functio dicitur,) & numeris, ſeu quantitatibus, conſtantibus. Dividuntur hæ primum in *algebraicas* & *tranſcendentes*. Illæ ſunt, quæ e quantitate variabili per ſolas operationes in communi Algebra uſitatas formantur; hæ, in quibus operationes aliæ tranſcendentes inſunt. Illarum iterum palmaria diviſio eſt in rationales, basque iterum vel *explicitas*, quæ per ſigna radicalia (ut quantitates irrationales vulgares) ſunt evolutæ, vel *implicitas*, quæ e reſtitutione æquationum ortum habent (ut radices æquationum altiorum). Porro in genere dividuntur functiones in *uniformes*, *multiformes*, *infinitiformes*, prout pro quovis valore variabilis determinato habent valores vel unum, vel plures, vel infinitos. Item in *pares* & *impares*, ſi, poſita variabili negativa, valor ejus vel manet, vel quoque in negativum tranſit. De hiſce omnibus varia traduntur Theoremata generalia. Jam doctrinam de *transformatione* functionum incipit, & quidem primo *Cap. II* de ea, quæ fit per *reſolutionem*, & ad functiones rationales ſpeciatim pertinet. Functiones nimirum integræ reſolvuntur in factores: ubi varia occurrunt de factoribus realibus & imaginariis notatu digna; fractæ autem vel (ſi fieri poteſt) in integram & fractam, vel in plures alias fractas, quarum denominatores in ejus denominatore ceu factores continentur, quam methodum conſtat eſſe maximi uſus in integratione formularum differentialium per differentialia logarithmica. Alia transformatio, quæ fit per *ſubſtitutionem*, quæque ad functiones irrationales ſpectat, *Cap. III* docetur. Irrationales explicitæ mutantur per ſubſtitutionem in rationales, quæ eſt methodus *Diophantæa*; implicitæ vero ita transformantur, ut introducatur nova variabilis, per quam & quantitas, & functio ejus, (in æquatione ſecum invicem permixtæ,) exprimantur forma rationali. Alia iterum transformatio in *evolutione* per ſeries infinitas conſiſtit, ad algebraicas rationales irrationalesque pariter, ac tranſcendentes, ſummo cum fructu applicanda. Hanc pro rationalibus oſtendit *Caput IV*.

Fra-

Digitized by Google

Fractæ functiones transformantur in ſeriem infinitam terminorum integrorum. Qui cum ita ſint comparati, ut quilibet determinetur ex aliquot antecedentibus ſecundum legem quandam conſtantem, ſeries dicitur *recurrens*. Variarum ejusmodi ſerierum geneſis hic oſtenditur. Irrationales autem, & quidem explicitæ, ſimiliter transformantur in ſeriem rationalium per Theorema binomiale. *Cap. V* de functionibus duarum pluriumve variabilium agit. Præter diviſiones harum cum præcedentibus communes, occurrit hic inprimis maxime notatu digna diſtributio in *homogeneas*, ubi in omnibus terminis idem numerus dimenſionum variabilium regnat, & *heterogeneas*, ubi ſecus. De homogenearum transformatione varia docentur. Jam ad functiones tranſcendentes pergens, Autor doctrinam de *quantitatibus exponentialibus* & *Logarithmis* orditur *Cap. VI.* Primo ideæ diſtinctæ harum functionum, & valorum, quos pro varia quantitatum, ad quas pertinent, conditione recipiunt, exhibentur. Logarithmus ita definitur: Si, poſito numero dato a, variabilis y per z ita determinatur, ut ſit $a^z = y$; tum, ſi vice verſa quæratur z ex y, iſte valor ipſius z, quatenus tanquam functio ipſius y ſpectatur, dicitur Log. ipſius y, conſtans autem a *baſis*. Hinc Theoremata circa operationes in Logarithmis, ſyſtemata Logarithmorum, &c. traduntur, ut & Problemata varia arithmetica elegantia, in quibus uſus Logarithmorum eſt conſpicuus, ob incognitam in exponente exiſtentem. Quomodo quantitates dictæ exponentiales & logarithmicæ in algebraicas transformentur, explicatione nempe per ſeries, *Cap. VII* oſtendit. Hæc quidem ex idea ante tradita nexu maxime naturali eliciuntur. Speciatim autem docetur conſtructio ſyſtematis Logarithmorum naturalium. Aliud functionum tranſcendentium genus, eas nempe, quæ ex Circulo oriuntur, conſiderat *Cap. VIII.* Varia hic primo traduntur Theoremata circa lineas, per quas arcus in Trigonometria exprimi ſolent, earumque relationem mutuam pro data relatione arcuum reſpondentium. Inde derivatur expreſſio ſinuum, tangentium per arcus, conſtructio tabularum pro hiſce lineis, reductio logarithmorum imagina-

Digitized by Google

riorum ad expreſſiones arcuum reales, circulique rectificatio per ſeriem, quæ omnia abſque calculo infiniteſimali eruuntur. Ex hiſce principiis *Cap. IX* traditur methodus pro reſolutione functionis rationalis in factores trinomiales, (quemadmodum *Cap. II* in binomiales,) quorum coefficientes ingrediuntur coſinus. Hæc methodus adhibetur tam ad functiones algebraicas, quam tranſcendentes exponentiales. Uſus horum factorum in definiendis ſummis ſerierum infinitarum oſtenditur *Cap. X*, earum nempe, quæ dicuntur *ſeries potentiarum reciprocæ*, quarum denominatores ſunt in progreſſione arithmetica, aliarumque, quæ ex earum additione generari poſſunt. Pergit jam in præcedenti inſtituto, aliasque expreſſiones quantitatum circularium infinitas exhibet *Cap. XI*, quæ ſpectant ad relationem arcuum & ſinuum tangentiumque mutuam, inprimis vero ad logarithmos eorum, quorum computatio perfacilis explicatur. Porro, quemadmodum ſupra *Cap. II* reſolutio functionis integræ in factores ſimplices traducta erat ad reſolutionem fractionis in plures fractiones, quarum denominatores ſunt factores ſimplices denominatoris illius, ita reſolutio functionum integrarum in factores duplices, ſive trinomiales, *Cap. IX* oſtenſa, applicatur ad reſolutionem fractarum in alias, quarum denominatores conſtant factoribus ejusmodi duplicibus. Hæc methodus uſum maximum habet in ſeriebus recurrentibus. Sicut enim in hujusmodi ſeriebus, quæ ex evolutione fractionis per diviſionem actualem oriuntur, lex progreſſus a denominatore fractionis pendet; ita, ſi fractio quævis ope methodi *Cap. præc.* in ſimplices reſolvatur, ſeries recurrens quoque in ſimpliciores reſolvi poterit. Hanc itaque de ſeriebus recurrentibus tractationem complectitur *Cap. XIII*. Primo exhibetur methodus pro inventione termini generalis, hoc eſt, expreſſione generali cujusvis termini per numerum ſuum, ſecluſis præcedentibus. Quod fit vel data functione, cujus evolutione producitur ſeries, vel ex ipſa lege progreſſus. Dein earundem ſerierum ſumma inveſtigatur, vel in infinitum, vel ad datum terminum usque. Jam iterum reſumitur doctrina de expreſſionibus circularibus, & qui-

Digitized by Google

quidem multiplicatio ac diviſio angulorum traditur *Cap. XIV.* Exprimitur nempe ſinus, coſinus, tangens, ſecans anguli multipli, per ſinum &c. ſimpli, variis modis. Inde quoque deducitur ſumma ſinuum & coſinuum quotvis, quorum anguli progreſſionem arithmeticam conſtituunt, ut & poteſtatum quarumvis ſinus, coſinus, &c. per ſinum, coſinum, &c. ipſum expreſſio. Quantam vero omnia præcedentia de quantitatum circularium expreſſione & relatione mutua utilitatem in univerſa Analyſi ſublimiori habeant, quovis paſſu oſtendet, quicunque in hac vel paulum progredi voluerit. Allud argumentum aggreditur *Cap. XV*, de ſeriebus nempe, quæ ex evolutione functionum in factores oriuntur, earum natura & ſummis, converſione in productum infinitum, aliisque, quæ doctrinam ſerierum non parum augent & illuſtrant. Quemadmodum vero quantitates in factores reſolvere hactenus docuit; ita de earum reſolutione in partes, ſeu de *partitione numerorum*, agit *Cap. XVI.* Quæritur nempe hic, quot modis datus numerus ex aliis, datam conditionem habentibus, per additionem produci queat. Numeri vero hi ponuntur vel e ſerie numerorum naturalium, vel e ſerie imparium tantum, vel e progreſſione geometrica. Plurima hic occurrunt nova & lectu digna. *Cap. XVII* rem nondum ſatis explicatam nec ad uſum traductam, applicationem nempe ſerierum recurrentium ad radices æquationum, enucleat. Hunc quidem ſerierum recurrentium uſum indicavit Cel. *Dan. Bernoulli* in *Comm. Petrop. Tom. III*; at nec via methodi exinde ſatis patuiſſe videtur, nec quoque penitus eſt univerſalis, caſibus occurrentibus, quibus nihil ope ejus reperiri poteſt, iis nempe, quando æquatio continet radices æquales. Rem igitur præſtitit Analyſtis gratiſſimam Cel. Autor, dum totius methodi fundamentum & ambitum evidentiſſime hic expoſuit. Finem imponit huic *Parti* alia tractatio, de *Fractionibus* nempe *continuis*, *Cap. XVIII*, de quibus jam commentatus eſt in *Comment. Petrop. Tomo IX.* Hæ enim novum expreſſionum infinitarum genus, quemadmodum ſeries infinitæ & producta infinita duo alia genera, conſtituunt, parum adhuc

excultum, ſed de quo ampliſſimum uſum in Analyſin infinitorum aliquando redundaturum, ſperat Cel. Autor, haud dubio quorundam ſpeciminum indicio. Eſt autem *fractio continua* talis, cujus denominator conſtat iterum integro cum fracto, hujus denominator iterum, ac ita porro, hunc in modum:

$$a + \cfrac{\alpha}{b + \cfrac{\beta}{c + \cfrac{\gamma}{d + \&c.}}}$$

Hæc quidem ad conſuetam fractionum formam facile reducitur. Inprimis vero hic oſtenditur modus, eam in ſeriem terminorum alternantium convertendi, & vice verſa ſeriem talem in ejuſmodi fractionem. Hinc porro fractionis continuæ, in infinitum progredientis, valor verus exhiberi poteſt innumeris caſibus, etiamſi e ſummis ſeriei, in quas convertitur, nihil perſpici queat. Cum etiam quævis fractio ordinaria facile in continuam transformetur; exinde uſus eorum derivatur ad fractiones minores inveniendas, quæ ad datam fractionem magnam proxime accedunt. Habent quoque utilitatem in extractione radicis quadratæ, adeoque in reſolutione æquationum quadraticarum.

Pars altera Geometriam ſublimiorem, quatenus adhuc circa quantitates finitas verſatur, tractat. Cum vero communiter in Algebra ea tantum conſiderari ſoleant, quæ ad ſectiones conicas pertinent; Cel. Autor contra multo ampliorem campum emenſus eſt, integramque theoriam curvarum generalem hic propoſuit, quæ quantum adhuc inter deſiderata relata fuerit inter Mathematicos, nemo eſt, qui ignoret. Curvas vero hic ſemper ita conſiderat, quatenus per æquationes exprimuntur, hincque omnia, quæ ad eorum naturam pertinere poſſunt, analytice deducit. *Capite* itaque *primo*, de lineis curvis in genere, prima principia explicat, quæ ad expreſſionem curvarum per æquationes ſpectant, & figuras, quæ generatim ex valore ordinatæ vel unico, vel multiplici, oriuntur. *Cap. II* de coordinatarum permutatione agit. Methodum ibi explicat, æquationem quamvis curvæ datam

in

in aliam transformandi, in qua axis quicunque, & in eo initium abſciſſarum quodvis, ponitur; quæque adeo ita erit comparata, ut generaliſſime naturam curvæ comprehendat. Hujus ope jam in poteſtate eſt, de diverſitate duarum curvarum e diverſitate æquationum judicandi, quod absque prævia hac præparatione non ſemper tuto fieri poteſt, ſi duæ æquationes ſint ejusdem ordinis. *Cap. III* linearum algebraicarum in ordines diviſionem conſiderat. Hanc omnium accommodatiſſimam eſſe, ſi more conſueto fiat ſecundum ordines æquationum, oſtendit. Æquationes generales pro variis ordinibus enumerat. Notat vero, ut curva ſtatui poſſit ejusdem ordinis cum æquatione ſua, requiri, ut æquatio ejus non poſſit in factores rationales, ſeu alias æquationes, reſolvi: alias enim iſta æquatio non unam curvam continuam, ſed plures diverſas, contineret, quas curvas *complexas* appellat. Linearum cujusvis ordinis proprietates præcipuas *Cap. IV* evolvit. Tales ſunt: concurſus cum recta, ſeu multitudo interſectionum, quarum linea quævis cum recta eſt capax; ac inde ſequens determinatio curvarum per puncta, ſeu numerus punctorum datorum, per quæ ad ſummum tranſire poteſt, ita ut penitus determinetur, qui numerus pro ordine n eſt $\frac{n.\ n+3}{2}$. Jam in ſpecie ad conſiderationem linearum ſecundi ordinis, ſeu ſectiones conicas, progreditur *Cap. V* & *VI*; in qua omnino novum quid præſtitiſſe, fatendum eſt, Cel. Autorem. Conſtat enim, vulgo eas vel per meram Geometriam more veterum pertractari; vel qui, eas analytice ſe conſideraſſe, prædicant, reapſe nil aliud faciunt, quam ut ex aſſumta æquatione proprietates earum, jam pridem detectas, ſynthetice demonſtrent, quosque ideo ſectiones conicas non analytice, ſed per calculum ſaltem algebraicum, tractaſſe, proprie dixeris. Noſter contra ex ſola æquatione proprietates omnes ipſe deducit, & quaſi denuo detegit, ſicque vere analytice ſectiones conicas expoſuiſſe primus cenſendus eſt. Methodus autem, qua hunc in finem utitur, eo redit, ut primo conſideret æquationem generalem, e cujus coefficientibus ſta-

 tim

Digitized by Google

tim deducuntur proprietates ad diametros applicatas, interſe-ctionem earum mutuam, hincque oriundas rationes earum, ſpatia, &c. ut & ad tangentes, focosque, pertinentes. Hæ itaque omnes ſectiones conicas in genere reſpiciunt. Dein æquationem generalem, prius ad aliam lineam abſciſſarum ita transformatam, ut ſit hujus formæ: $yy = \alpha + \beta x + \gamma xx$, in tres ſpecies diſtinguit e conditione coëfficientis γ, prout is eſt vel $= o$, vel poſitivus, vel negativus, quæ præbent reſpective tres ſpecies notiſſimas, Parabolam, Hyperbolam, Ellipſin. Singularum proprietates eodem modo, quo antea in genere factum, evolvit. Jam ad theoriam curvarum generalem revertens, ramorum, in infinitum excurrentium, affectiones inveſtigat *Cap. VII.* Generatim itaque quærit conditiones, ſub quibus curva habere poteſt ramos, in infinitum excurrentes, ipſorumque ramorum naturam; id quod nempe pendet a ſupremo membro æquationis, (hoc eſt, eo, in quo coordinatæ habent tot dimenſiones, quoti gradus eſt æquatio,) quales illud habeat factores ſimplices. Cum vero exinde pateat, ramos iſtos valde inter ſe differre, etiamſi ad eandem rectam ceu aſymptoton ſint poſitæ; hinc præterea pro data curva invenire docet curvam ſimpliciſſimam, cum qua proxime in infinito coincidit. Hæc, aſymtotorum naturam penitus determinantia, uberius exponuntur *Cap. VII.* Præmiſſis hiſce, linearum tertii ordinis in ſpecies ſubdiviſionem *Cap. IX* aggreditur. Hujus autem fundamentum commodiſſimum oſtendit eſſe ramorum, in infinitum excurrentium, numerum & naturam. Ex hoc derivat 16 genera diverſa, quorum quodvis iterum in varias ſpecies, quemadmodum fecit *Newtonus*, poteſt diſtribui, ſi nempe ad omnimodam figuræ variationem reſpiciatur. Præcipuas autem earum proprietates *Cap. X* exponit, quæ ſpectant ad diametros, centrum, poſitionem crurum in genere, &c. Simili modo linearum quarti ordinis in genera diſtributionem ſuſcepit, quæ vero ſaltem ſummatim attingere, rei ambitus permittit. Sunt earum in univerſum genera 146, ſingula autem plurimas iterum ſpecies plerumque complectuntur. Ceterum methodus, in præceden-

tium

Digitized by Google

tium ordinum ſubdiviſione & enumeratione adhibita, ita eſt comparata, ut ſimiliter ad evolutionem aliarum linearum, ſub æquatione generali contentarum, facile applicari queat. Nunc iterum ad curvas in genere procedit, deque inveſtigatione figuræ earum agit *Cap. XII*, quam nempe habent in ſpatio finito: de extenſione enim earum in infinitum actum eſt in præcedentibus. Ea vero vix penitus ex æquatione determinari poteſt, niſi alterutra coordinatarum ſit vel unius, vel duarum dimenſionum tantum, pro quibus caſibus etiam ſolutio hic traditur. Methodus tangentium explicatur *Cap. XIII*, quatenus e ſolius Algebræ communis principiis ea deduci poteſt. Inde derivatur poſitionis partium curvæ, punctorumque ejus multiplicium, determinatio. Eodem modo *Cap. XIV* tractatur doctrina de curvatura linearum, ut & de punctis flexus contrarii & cuſpidibus. Horum inventio ex æquatione ſimiliter oſtenditur, etſi negari nequeat, in ipſa applicationis facilitate hanc methodum ei, quæ in calculo differentiali explicari ſolet, longe cedere. Hac occaſione litem dirimit, quæ circa *cuſpidem ſecundæ ſpeciei*, hoc eſt, punctum reflexionis, ubi duo rami in eandem partem ſint convexi, eſt exorta. Talem dari, affirmavit *Hoſpitalius*, negarunt alii. Noſter ex ipſa curvarum natura demonſtrat, aliud punctum reflexionis non dari, niſi ubi duo rami ſibi mutuo convexitatem obvertant. Quod autem tale in quibusdam caſibus adeſſe videatur, in cauſa eſſe, quod curva non ſit completa; ſi enim tota ſecundum æquationis ambitum conſtruatur, oriri duos ramos, ſe mutuo tangentes, & verſus eandem partem convexos, at in utramque partem puncti contactus progredientes, ut adeo punctum hocce non ſit punctum reflexionis, etſi ab utraque parte talem cuſpidem referat. Tales vero curvas actu exiſtere, exemplo unius e quarto ordine comprobat. Quod vero *Hoſpitalius* deſcriptionem mechanicam talium punctorum reflexus tradiderit, nil obſtare; cum hujusmodi deſcriptiones non ſemper totam curvam, quæ æquatione continetur, ſed tantum ejus partem, producant. *Cap. XV* in curvas, diametris una pluribusve præditas, ſeu duas pluresve partes inter ſe ſimiles

Digitized by Google

miles habentes, inquirit. Duobus autem in univerſum modis id fieri poteſt. Vel enim duæ partes ſimiles & æquales utrinque circa lineam rectam ita ſunt diſpoſitæ, ut omnes ordinatæ ad eam normales ſimul biſecentur: quo caſu hæc recta dici ſolet *diameter orthogonalis*; vel eæ in partes oppoſitas puncti cadunt, ita ut omnis recta, per id punctum ducta, curvam dividat in duas partes alternatim æquales, quod tunc dicitur *centrum*. Prioris generis curvas appellat *diametraliter æquales*, poſterioris *alternatim æquales*. Pro utraque autem ſpecie æquationes condit generales pro curvis, duas pluresve ejusmodi partes habentibus. Quemadmodum in *Capite* præcedenti curvæ non ceu datæ, ſed e certis conditionibus inveniendæ, conſideratæ ſunt; ita *Cap. XVI* de curvarum, e datis applicatarum proprietatibus, inventione agit. Hæ proprietates in eo conſiſtunt, ut certa detur relatio inter ordinatas, eidem abſciſſæ reſpondentes, e. g. ut ſumma poteſtatum certi gradus æquetur datæ, vel inter ordinatas abſcisſis a vertice hinc inde æqualibus, e. g. ut rectangulum ſub iis ſit conſtans, &c. methodus autem, qua in hiſce utitur quæſtionibus, maxime doctrina de coefficientibus æquationum, & de functionibus paribus imparibusque, nititur. Idem *Cap. XVII* exequitur, ſi aliæ dentur proprietates. Ejusmodi eam tantum hic conſiderat, quæ conſiſtit in indole rectarum, e dato puncto ad curvam ductarum. Ita docet omnes curvas invenire, quæ a recta per puncta ducta in uno, duobus, &c. punctis tantum ſecantur, & inter has iterum eas, quæ certam relationem inter partes duas tresve hujusmodi rectarum reſectas obtinent, quales *Curvas ſegmentorum* olim nuncupavit *Jo. Bernoulli*. Doctrinam de ſimilitudine & affinitate curvarum explicat *Cap. XVIII. Similes* dicuntur, ſi in æquatione præter x, y, unica adſit conſtans a, cui alii atque alii valores tribui poſſunt, quæque tunc dicitur *parameter*; habentque tales curvæ eam proprietatem, ut, ſumtis abſcisſis in ratione parametrorum, applicatæ ſimul eandem teneant rationem, imo omnes aliæ lineæ, ad curvam pertinentes. Quando autem, abſcisſis in data ratione progredientibus, ordinatæ applicatæ

catæ in alia ratione procedunt, curvæ tantum dicuntur *affines.* Ita e. g. omnes circuli ſunt inter ſe ſimiles, ſed omnes ellipſes affines. Docetur etiam in hoc *Capite* modus, ſeriem infinitarum curvarum, earundem, vel diverſarum, data lege progredientium, æquatione exprimendi. Curvarum interſectionem contemplatur *Cap. XIX.* Ab interſectione curvæ a recta orditur, &, quomodo ea ex data æquatione definiatur, oſtendit. Dein mutuam duarum curvarum interſectionem conſiderat, cujus determinatio cum pendeat ab eliminatione ordinatæ ex utraque æquatione curvarum, formulas tradit generales pro variis gradibus, quarum applicatione operatio iſta facilius perficitur. Præterea ſingularem proponit methodum pro eliminatione incognitæ, quæ tædioſam ſubſtitutionum repetitionem non requirit. Conſiſtit ea in multiplicatione utriusque æquationis per formulam quandam, quæ incognitam eliminandam cum certo numero coefficientium indeterminatarum continet; quo facto, ſingula membra utriusque æquantur, & valores aſſumtarum determinantur, ſicque ad æquationem inter datas ſolum pervenitur. Cum e doctrina de interſectionibus curvarum ad conſtructionem æquationum determinatarum nexu maxime naturali perveniatur; eandem ſequenti *Cap. XX* perſpicue explicat. Miſſis tandem curvis algebraicis, ad tranſcendentes ſe convertit *Cap. XXI.* Earum claſſis ſimpliciſſima eſt, in quarum æquationes tantum loco exponentium rationalium irrationales ingrediuntur, ideo a *Leibnitio* dictæ *interſcendentes.* Sequuntur curvæ logarithmicæ & exponentiales; nec non eæ, quæ per arcus circulares exprimuntur. Harum omnium varias ſpecies conſiderat. Denique *Cap. XXII* ſolvit nonnulla Problemata, ad circulum pertinentia, quæ, etſi ratione objecti ad Geometriam planam pertinere videantur, ita tamen ſunt comparata, ut peculiarem methodum in ſolvendo requirant. Sunt autem ejus indolis, ut quæratur arcus e data relatione inter eum & lineas, ad ipſum pertinentes, e. g. arcus ſuo coſinui, tangenti, &c. æqualis, vel ſi e dato puncto circuli area ſit in data ratione ſecanda, &c. Methodus vero ipſa eo potiſſimum redit, ut e valore circiter cognito continua approxi-

matione per partes proportionales, ad quæſitum perveniatur.

Appendicis loco accedit tractatio de *Superficiebus*, quæ eodem modo, quo antea curvæ, conſiderantur. Primo generatim, quomodo ſuperficies æquationibus per tres variabiles exprimantur, quæque exinde reſultent affectiones earum generales, exponit. Dein ſectiones ſuperficierum, a planis quibusvis factas, variasque ſuperficierum ſpecies, hoc reſpectu oriundas, examinat. Tum ſpeciatim tria ſuperficierum genera, maxime occurrentia, cylindricam, conicam, ſphæricam, earumque ſectiones, conſiderat; unde nova ſectionum conicarum inveſtigatio oritur. Porro, quid ex immutatione coordinatarum in æquationibus reſultet, oſtendit. Cum vero æquatio, quomodocunque transformata, tamen ſemper eundem dimenſionum numerum retineat; hinc emergit ſuperficierum in certos ordines (ſicut curvarum) diſtributio. Jam itaque inveſtigat primum ordinem, qui ſolam ſuperficiem planam præbet; & ſecundum, quem in ſex genera dividit, eorumque affectiones generales, quemadmodum ante in lineis ſecundi ſequentiumque ordinum factum, enumerat; ut ſic propoſita æquatione duarum dimenſionum facile, ad quam ſuperficiem pertineat, dignoſci queat. Tandem de ſuperficierum interſectione mutua disquiſitio Tractatui huic finem imponit.

Ad laudem Operis *Euleriani* quidquam addere nos quidem veremur. Id autem ſilentio præterire non poſſumus, totum, quantum eſt, incomparabili cum perſpicuitate & evidentia, qualem vix in libro, ad Matheſin ſubliniorem pertinente, meminerimus nos obſervare, conſcriptum elaboratumque eſſe. Quo inprimis facere videtur, quod omnia e genuinis fontibus, egregio ordine, & apertis utique artificiis inveniendi, expoſita ſint, ut Lector quaſi ipſe omnia ſe credat detegere, id quod vere Analyſeos nomen meretur. Quanto ſcientiarum bono cederet, ſi ſemper Viri ſummi, Noſtri ad exemplum, eo usque vellent deſcendere, ut inventa ſua clare exponant, nec gloriolam quandam in reticendis eorum fontibus quærere! Ceterum, neminem fore, credimus, horum ſtudiorum amatorem, qui

non

non cupide exſpectet ipſam infinitorum Analyſin, in quam hæc eſt introductio, eodem modo a Cel. Autore exarandam: ad quam ſpartam ornandam nemo doctorum hominum hoc ipſo aptior exiſtimari debet.

COMMENTARII DE REBUS PERTINENTIBUS ad Ang. Mar. S. R. E. Cardinalem Quirinum. Partis ſecundæ Liber ſecundus.

Brixiæ, 1749, 8 maj.
Plag. 21½.

In Præfatione dicitur *Pars* illa *Tomus tertius*, iidemque clinici ſcriptoris opus. In hac inter alia, quod grati agnoſcimus, licet ad rem ipſam nonnihil forte moneri poſſit, *Actis* his noſtris magna celebritas atque autoritas tribuitur. Utique noſtrum eſt, virtutes potius commendare, quam vitiorum ſordes tangere, nec alia humanitate Pontificios, quam purioribus ſacris addictos, tractare, quanquam indidem partis alterutrius errores haud approbemus. Ad rem autem reverſi, non ſine paululum cernimus, ſpem nobis factam editionis Epiſtolarum *Reginaldi Poli* abſolvendæ. Nec inviti animadvertimus, quod, compactis dogmaticis Epiſtolis, quas Emin. *Quirini Decades* variis locis complectuntur, *Panopliam adverſus hæreſes* ex ea collectione adornare, ei ſit propoſitum. Interea vero nobis Epiſtolæ ſufficiunt, quibus hæc ipſa Vitæ continuatio nititur. Sunt earum Autores *Joſeph. Sim. Aſſemannus*, Cuſtos Bibl. Vat. *Benedictus XIII*, P. M. *Petrus Benedictus*, S. J. *Lud. Calinus*, antiſtes Cremenſis, *Clemens XII*, P. M. *Petr. Marcell. Corradinus*, Purpuratus, *Nereus Corſinus*, Purpuratus, *Barthol. Fanzelli*, Abb. Caſin. *Jac. Guil. Feuerlinus*, Gotting. P. P. *Joſeph. Firau*, Purpuratus, *Andr. Herc. Fleurius*, *Marcus Fuſcarenus*, Legatus Venetus, *Jo. Ant. Guadagnus*, Purpuratus, *Jo. Bapt. Kraus*, Abb. S. Emmer. S. R. I. pr. *Celeſtinus Leuthner*, Ord. S. Bened. Congr. Bav. *Lud. Ant. Noallius*, *Dom. Paſſioneus*, Purpuratus, *Jo. Raverdy*, Ord. S. Ben. *Sam. Herm. Reimarus*, P. P. Hamb., Senatus Venetus, & *Jo. Bapt.* Marchio *de Torcy*. Crebro pariter memorantur inter edita monumenta *Joſ. Roc. Vulpii* Epiſtolæ Tiburtinæ, quem modo eximium Poetam nominat, modo aliis ex-

extollit laudibus, ut *Franc. Bargnani*, Congr. Somaſchæ Epigrammata, *Clementis XII*, *Benedicti XIII* & *XIV*, Literas Apoſtolicas, *Æn. Sylv. Picolominei*, Romani Præſulis, Orationem in funere *Clementis XII*, plurimas inſcriptiones, atque alia, taceamus. Exhibet autem ille *Tomus* ſpatium temporis a 26 Nov. A. 1727 usque ad A. 1740, quo *Benedictus XIV* electus, eſt, idque *Capitibus XIV*. *Primum* agit de iis, quæ contigerunt usque ad initium Martii A. 1728, & quidem de principiis Purpuratorum dignitatis & ſuæ & *Prioli*, Purpurati Veneti, aliisque momentis; *alterum* de binis gratulatoriis literis, quas Lutetia Noſter, ante diſceſſum ab urbe, accepit, Epiſtola paſtorali, quam purpuræ ſuæ gratia ipſe ſcripſit ad Brixianos, & ad urbem Brixianam, ubi novum templum condere laboravit, & unde patriam bis petiit, acceſſu; *tertium* de reditu Romam, ac feliciter ibi confecto negotio unionis Commendæ S. *Andreæ de Buſco*, Congreg. Caſinenſis, de novo Brixiam acceſſu, ibique per octo circiter menſes manſione, de Roma denuo repetita, *Noailii*que literis, puriori doctrinæ perquam faventibus, ibidem acceptis, &, poſt *Benedicti XIII* fata, publicatis, tandemque de ſepulcro, illi Pontifici conſtructo; *quartum* de comitiis Pontificiis poſt eam mortem, crebrisque in eorum loco ſermonibus de novo Brixiano templo, porro de *Clemente XIII* electo, qui Bibliothecæ Vaticanæ præfectum dedit, deque ceteris inde a Febr. A. 1730 ad Octobrem A. 1732; *quintum* de operibus Em. *Quirini* civilibus, architectonicis, literariis, usque ad Majum A. 1734; *ſextum* de actis per ſesqui annum Brixianis; *ſeptimum* de frequentibus Romam & Brixiam itineribus, inprimis A. 1736; *octavum* de anni ſequentis in urbem Brixienſem ornandam, remque literariam illius promovendam, meritis. Hac ſimul occaſione poſterioris occupationis veluti compendium aliquod inferitur; dum liber percenſetur, cui titulum fecit Noſter *de Brixiana literatura renaſcentium literarum ætate*. Exorſus eſt illud opus ab ea cura, quam majores ſuſceperant, ut, artis æneis formis ſcribendi recens inventæ beneficio, publicam Brixiæ lucem acciperent antiqui Poetæ, inde a *Plauti* Comœdiis usque ad Epigrammata *Martialis*. Inter recentiores Grammaticos palma defertur *Auguſtino Saturnio Lazaroneo*,

inter

inter Oratores *Jovita Rapicio*, inter Poetas *Laurentio Gambara*, qui de *Columbi* navigatione Poema confecit, de quo conſuli poteſt *Manutius*. Ejuſdem argumenti Carmen etiam ſcripſit *Julius Cæſar Stella*, quod epiſtola *Franc. Bencii*, libris illius præfixa, commendat, nec minus *Ubertinus Carrara*, *Æneidi Virgilianæ* par a quibusdam habitum. Præterimus hic Academiam Occultorum, quæ Brixiæ tunc floruit, Latinamque Poeſin cum Etruſca conjunxit; præterimus Poetrias doctiſſimas, *Lauram Ceretam*, *Veronicam Gambaram*, & alias. Unum modo pro *Rapicii* de numero oratorio conſcriptione teſtimonium addimus, quam Noſter cedro dignam vocat, ubi, quæ ad hanc partem, ab aliis neglectam, ab aliis, quaſi percipi nullo modo poſſet, depoſitam ac deſperatam, pertinent, adeo docte copioſeque tradiderit, ut in eadem *Rapicius* unus legi mereatur. At nobis progrediendum eſt. *Caput nonum* percenſet negotium varium, antequam Præſuli Veneto, cujus ſimul elogium exhibetur, A. 1737 purpureus traderetur pileus; *decimum* occupationes Em. Autoris in Abbatia Vangaditienſi ornanda, ſermonemque, A. 1739 in nova cathedrali Brixiana, non ſine generali plauſu, habitum; ſequens *Franciſci Barbari*, Patricii Veneti præſtantiſſimi, Brixianæque urbis, a Mediolanenſium Duce oppugnatæ, defenſoris invicti, Epiſtolarum collectionem; *duodecimum* ad annum ſeculi quadrageſimum acta, quibus præſertim inſunt Pontificis mors, & electio novi, nec non vindiciæ *Pauli II*, eo tempore ſcriptæ; *penultimum* Epiſtolas *Fleurii*, Purpurati, ad annos poſtremos *Benedicti XIII*, & omnes *Clementis XII*, referendas, ac poſtremum tandem Epiſtolas quasdam Marchionis *de Torcy*, de obita a *Guadagni*, Purpurato, viſitatione ſacra templorum S. *Marci* & S. *Praxedis*, deque ſtatu ædis S. *Alexii*. Epiſtolarum *Fleurii*, Gallica lingua conſignatarum, earumque breviorum, quamplurimæ exhibentur inde a *pag. 276* ad *305*. Quodſi autem Epiſtolas amamus, adeſt Appendix ad *Libri I Partem II* Commentariorum, Brixiæ A. 1750 ſeorſim ædita, quæ complectitur *Reſponſa, ſeu Conſilia, præſtantium medicinæ doctorum* de morbo, qui nuper, ut diximus, afflixit hunc annis Neſtoreis dignisſimum Purpuratum. Memorabiles hic ſunt Epiſtolæ *Jo.*

Digitized by Google

Bapt. Grandi, *Leon. Deri*, *Andr. Paſtæ*, *J. B. Beccari*, *Car. Fr. Hundertmarkii*, *Frid. Ott. Menckenii*, *Juſti Gothofr. Günzii*, *Jo. Matth. Geſneri*, *Jo. Jac. Halleri*, *Jac. Gu. Feuerlini*, *Jul. Car. Schlægeri*, *Jo. Phil. Caſſelii*, *Jo. Ge. Schelbornii*, *Godofredi*, Abbatis Cœnobii S. *Petri*, *Herm. Sam. Reimari*, *Lettre de M. de Perard*, *Lettera del P. D. Andr. Gordon*, & hujusmodi; unde patet, hanc Appendicem plus exhibere in nigro, quam in rubro promiſit. Nobis autem, eam nominaſſe, hic ſufficiat, cum pluribus jam de ea dictum ſit in *Novis Actis A. 1750 Menſ. Nov. pag. 652 ſeq.*

ELIÆ LUZAC, FIL. DISQUISITIO POLItico-moralis, num civis innocens iræ hoſtis, longe potentioris, juſte permitti poſſit, ut excidium totius civitatis evitetur. Nullum hypotheſibus philoſophicis locum concedimus, ubi principiis generalibus ad ratiocinandum opus eſt, ſive quid a poſteriori colligendum, ſive a priori eruendum, aut demonſtrandum. *Chriſt. Wolf. de Hypoth. Philoſ. §. 4.*

Lugduni Batavorum, typis Autoris, 1749, 8 maj.
Plag. 7.

Antiquiſſimis temporibus, quod in Præfatione aſſeritur, ſub obſcuris locutionibus, ſymbolis, ænigmatibus, hieroglyphis, involuta lucem adſpexit doctrina moralis. Quædam præceptiones morales, multis ineptiis merſæ, eadem ſubſecutæ fuerunt. Proverbia ſententiæque, quemadmodum egregia, ſic perverſa, plurima continebant, nec facile cuiquam, veritatis amanti, aſſenſum extorquebant. Nullæ ratiocinationes, nullæ demonſtrationes: eloquentia ſola totum negotium abſolvebat. Actutum cogimur Philoſophum noſtrum hic amice monere, haud adeo diſtinctis notionibus, nedum ratiocinationibus, ſententiarum non ſolum ſpecies ab eo confundi, ſed etiam has ipſas promiſcue cum eloquentia poni; quam, ipſe videat, num accurate ſatis, a Philoſophiæ demonſtrationibus, quas potius, quantum fieri poteſt, fundamentum habet, ſejungat. Tanto id

id potius monemus, dum *Platonica* tempora ſaltem ſequun-
tur, quibus de virtute diſputatum eſt, & quædam principia
Dialogis fuere condita, quæ quidem admodum Noſter vacil-
lantia vocat. Hic idem deinceps pedetentim ad certiora
ſurgit, &, a generalibus ad ſingularia progrediens, non paucas
ſanarum partium regulas, eademque principia, fundamenti lo-
co ponit, quibus ad ſuum ſibi ſcopum iter muniat. Ipſum
vero argumentum ratione docendi mathematica proponit;
idque *tribus Capitibus*, plurimas obſervationes ſubjectas ha-
bentibus. *Primum* agit de variis ſententiis, ad originem ci- Cap. I
vitatum quod attinet. Indigentiam, vim improborum, me- pag. 3.
tum ab aliis, mutuam ſecuritatem, infirmitatem familiarum
ſegregum, ingenitum ſocietatis amorem, cauſam fuiſſe, ob
quam civitates conſtitutæ ſint, varii contendunt. *Plato Lib.* 4.
II de Republ. putat, rerum plurium indigentiam ad ſocietates
civiles ineundas homines incitaſſe. *Luzaco* tamen, & aliis,
quos allegat, hæc ratio minoris eſt momenti: dum & fami-
liæ ſegreges æque ac civitates integræ commercia poſ-
ſent exercere, &, quibus opus habebant, ſibi mutuo conferre.
Grotius ergo familiarum ſegregum infirmitatem cauſam im-
pellentem nominat. In genere Noſter ad cauſas illas impel- 14.
lentes animadvertit, quod ſupponant, homines quondam ple-
na gaviſos eſſe libertate. Quod ſi admittamus, mirum certe 15.
videri poteſt, quare patres familiarum, periculo depulſo, non
ad illum ſtatum redierint; quare non per fœdera ſe munie-
rint. Quodſi ergo ad fata populorum, & ad naturam hu-
manam, attendimus, convincimur, homines nunquam ſta-
tum mutaſſe, ſi unquam liberi fuiſſent & æquales. At, 49.
quacunque demum de cauſa homines peculiares, familiæ, vel
civitates minores, coierint, id immutatum manebit, quod lex
fundamentalis cujusvis civitatis, aut ſocietatis, ſit, felicitatem il-
lius omni cura promovere, modo totum genus humanum,
vel ejus minores partes, inde non capiant detrimentum.
Hinc facile patet, felicitatem totius felicitati partis ſemper eſſe
præferendam. *Caput ſecundum* varias Autorum ſententias, 52.
ad eam quæſtionem quod attinet, ſiſtit. Quæritur hic in ge-
nere, num, ſi civitas quædam ab hoſte minus juſto ſic prema- 53.
tur,

Pag. 55. tur, ut exitium totius moraliter vitari nequeat, unus civium,
56. ab hoſte deſignatus, ipſius iræ permitti queat, ut is a propoſito
57. deſiſtat, & tota civitas ab imminente periculo liberetur; ſin-
58. gulatim, num talis civis a reliquis deſeri poſſit, num teneatur
ſemet ipſe tradere, ac num juſte tradi queat. Deſeri poſſe,
contenditur a multis, quod rectoris officium magis circa to-
tum, quam partes, verſatur; quod & ipſa peribit civitas, & in-
nocens haudquaquam ſervabitur; quod is poſtulare nequit, ut
64. pro ſe ac ſecum tota civitas pereat; quod minus malum majo-
65. ri præferri debet; & quod naturaliter eſt in poteſtate cujusvis
civis, ob utilitatem privatam emigrare tali de republica, ſi-
66. ne venia principis, aut rectorum publicorum, ideoque viciſſim
68. permittitur, civitati deſerere civem. Eundem renitentem tra-
di poſſe, firmatur his argumentis, quod imperantes cogere
poſſunt cives ad res indifferentes, indeque majori jure ad ea,
quibus lege caritatis tenebantur, quod lex civilis quosdam vir-
80. tutis actus præcipere poteſt, ſub certo mortis periculo, quod
eſt officium boni civis, perdere potius vitam, quam occidere,
81. vitam defendendo, vitam totius civitatis, et ſi quæ alia ſunt
argumenta, quæ vero pariter ex altera parte conſiderantur ac
85. refelluntur. Nos igitur ad *ultimum Caput* progredimur, ubi
quæritur, num quid certi hac de quæſtione determinari poſſit.
Hoc loco, definitionibus nonnullis ac propoſitionibus, quæ
tanquam demonſtratæ conſiderantur, fundamenti loco poſitis;
88. ſequentia deducuntur. Summ[illegible]perantes tenentur ſalutem
civitatis, reſpectu habito ad un[illegible]autem, intendere, ita de-
mum habent tradendi jus, ac viciſſim. Quæ cum ita ſint, vi-
dendum eſt, num, quatenus, & quousque, ſaluti publicæ poſſit
89. inſervire, vel obeſſe, traditio. Verum enim vero traditione civis
92. felicitati generis humani civitatisque non conſulitur; quin po-
tius nocetur, dum pravi ſunt tales depoſcentes, atque ulterius
nihilominus progredi poſſunt vires, atque animum periclitati,
concitantur alii, debilitantur cives, &c. Hinc imperantes non
habent jus, civem tradendi. Adeoque, quod rei caput eſt, jus
naturæ non permittit, ut interitu civis innocentis liberemus
civitatem ab excidio imminenti, quo ſatisfiat hoſti
potentiori.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maji Anno MDCCLI.

CATALOGUS BIBLIOTHECÆ BRUHLIANÆ. *Pars I.*

Dresdæ, literis Harpetræ viduæ, 1750. fol. Alph. 3 plag. 2.

In excelſo fortunæ & honorum faſtigio collocatus, & gratia Regis ſui valentiſſimus, earumque omnium virtutum, quibus ad regendam Saxoniam opus eſt, ſplendore coruſcans, Heros *Bruhlius*, ne quid in ſe inveniri demum poſſet, in quo magnus ipſe & incomparabilis non eſſet, inter illuſtriſſima reipublicæ ſtudia, & graviſſimas rerum maximarum curas, humiles etiam, tantæque opis indigas, Camœnas non tuetur tantum benigniſſime, ſed ornat etiam mirifice, & opera, autoritate, denique exemplo ſuo, ut potentioribus ſint gratioſæ, & inſigni gaudeant felicitate, efficit. Id igitur agenti, quod omnium ætatum viris ſummis, hoc eſt, ingenio & animo excellentiſſimis, in more fuiſſe poſitum meminimus, viſum eſt & ſibi, & Saxoniæ, & ipſis illis, quibus eſſe tanquam Deus tutelaris ſolet, Muſis, non ſolum non indecorum, ſed glorioſum etiam & honorificum, de colligenda, cui ſimiles ad hunc diem paucæ exſtitiſſent, Bibliotheca cogitare, & in hac ita inſtruenda, ut inter præcipua patriæ noſtræ decora numerari jure poſſet, ſumtus pæne regales conſumere. Demandavit autem eam curam Viris, ut doctrinæ haud vulgaris,

Digitized by Google

garis, ita ad bene gerendum hoc munus ſatis idoneis; in quibus, minime nos fallet judicium, ſi, qui nunc in excolendo amœniſſimo hoc horto occupatur, Prænobiliſſimo *Roſtio* ſingularem præ ceteris egregie collocati laboris laudem tribuamus. Horum igitur incredibili & inuſitato prorſus ſtudio perfectum eſt, ut jam exterorum æque ac noſtros in ſe oculos convertat, & ſpectatores omnes magna *Bruhlianæ* in literas munificentiæ admiratione impleat, quæ brevi tempore, a tenuiſſimis orta initiis, ad eam, qua vix eſſe major poteſt, amplitudinem deducta eſt, ſancta hæc domus Apollinis, vel ipſo Conditoris ſui nomine inter illuſtriſſimas habenda. Jam vero, ut omnibus pateant immenſæ hæ ac prorſus ſtupendæ opes, & tanquam æternitati conſecretur magni animi, quo ad opus tam præclarum incomparabilis ille Saxonicæ felicitatis autor eſt converſus, memoria, prodit Bibliothecæ tam commemorabilis *Catalogus*, isque ornamentis iis omnibus, quibus commendari id genus librorum politiſſimo cuique poteſt, plenisſime inſtructus. In quo quidem dextre conficiendo, & ad ingenium ſeculi accommodando, mira ejus, quem modo diximus, *Roſtii* induſtria apparuit, ut nemo facile futurus ſit Lectorum, qui, ſuæ quidquam eorum, quæ ab illo hic ſunt præſtita, reſpondere exſpectationi, neget. Hujus autem Operis, cum fieri nullo modo potuerit, ut tantæ copiæ librorum uno, quantumvis ſpiſſo, volumine concluderentur, jam in manus noſtras *Pars* non niſi *prima* datur, ſed quam ceteræ deinde, ut ſperare nos in Præfatione *Roſtius* jubet, & ſua ſponte omnes ſperant, juſto tempore ſequentur. Forma operis externa, ſive chartæ, ſive typorum, elegantia ſpectetur, ferme talis eſt, qualem Catalogi *Bibliothecæ Trajectino-Batavæ*, *Univerſitatis Lugduno-Batavæ*, ſimiliumque aliarum, præ ſe ferunt, hoc eſt, ſpectabilis & magnifica, ſed quæ decora ſimul quadam & amabili modeſtia commendatur. Hanc igitur *Catalogi Partem*, tanquam ex ſplendidisſima corona gemmam, propius inſpicientibus haud obſcure intelligitur, non id unquam in animo fuiſſe Illuſtriſſ. *Bruhlio*, ut librorum, quotquot inde ab inventa arte typographica

phica ad hoc uſque tempus prelis ſunt egreſſi, numeroſiſſimas ex omni Europa copias colligeret: quod ſane, ſi quis ſuſcipiat, magnum eſt, ſed nunquam perficiendum, & ob id quodammodo inane, opus; ſed, prudentiſſimo conſilio, Bibliothecam ei talem inſtitutam, quæ poſſeſſore vitæ non umbratilis, ſed in luce & purpura vivente, inprimis haberi digna poſſet. Sunt enim *primæ* hujus *Partis* tria velut Capita; quibus ea continentur, quæ pertinent ad ſtudia illuſtriora, aut elegantiæ & ſuavitatis plurimum habentia, atque ob id ipſum viris in republica principibus inprimis grata & familiaria, *Hiſtoriam* nempe *univerſalem*, *Hiſtoriam antiquam Græcam & Romanam*, denique omnis generis *Antiquitates*. In his agris dominatur *Bruhlianus*, libris bonis integra palatia implendi, ardor; nec, ſi quis totum hunc *Catalogum* inſpexerit, lacunas, quas ſuppleri ipſe jure optet, adeo multas inveniet; quin, eorum, quos inſtruendæ Bibliothecæ cura occupavit, ſingulare prorſus ac inauditum pæne in colligendo ſtudium fuiſſe, argumento eſſe illud poteſt, quod librorum, tam veterum, quam recentiorum, etſi non omnium, tamen plurimorum, quæcunque fere exſtant, editiones, tam novæ, & pleniores, & emendatæ, quam antiquæ, & minus accuratæ, & ob id aliquantum contemtæ, ſuum hic locum invenerunt; id quod multum juvat hiſtoriam librorum, & ad noſcenda horum fata, ſingularia interdum & ſcitu digna, facit. Jam, quid nobis librorum ſint *Catalogi* hujus *Partes* reliquæ daturæ, haud definire nobis ſatis certo licet; at ex *prima* hac, Hiſtoriæ initia & fundamenta exhibente, non male colligere videmur, ſuo ordine *Hiſtoriam imperiorum*, atque, hac expedita, *Poetas*, *Oratores*, & ex politiorum Scriptorum genere ceteros, ſecuturos. Ipſa *Catalogi* hoc elegantior eſt ratio, quo felicius naturam, omnium rerum magiſtram, imitatur. Nam, quod *Hiſtoriæ univerſalis* Scriptores nobis *de arte hiſtorica*, *Geographiæ generalis*, *Itinerariorum*, *genealogicos generales*, *heraldicos*, *hiſtoriæ Ordinum equeſtrium*, *Chronologiæ technicæ*, *& hiſtoricæ*, *Hiſtoriæ univerſalis certi temporis*, *& rerum publicarum*, *Biographos generales*, & *Hiſtoriæ univerſalis miſcel-*

Digitized by Google

lanea, ſuppeditat, *Hiſtoria* autem *antiqua Græca & Romana*, diſtinctis particulis, in *Græcam, Romanam*, & *antiquam mixtam*, diſpeſcitur; denique in numero *Antiquitatum Hiſtoria Deorum, religio veterum, antiquitates Ægyptiacæ, Aſiaticæ*, & *Græcæ, Romanarum Syſtemata & Compendia*, ipſa *Urbs Roma, variæ res veterum, tam publicæ, quam privatæ, ædificia, ſtatuæ, imagines, aliaque monumenta antiqua, Inſcriptiones antiquæ ac recentiores, Gemmæ antiquæ & Sigilla, menſuræ, pondera*, ac *res numaria, tam veterum, quam recentiorum, Muſea*, & *Antiquitatum miſcellanea*, recenſentur, aptus is utique & concinnus ordo eſt, hoc gratior lectoribus, quo minus affectatus, & quo uſitatior tot aliis *Catalogis*. In titulis librorum transſcribendis accuratus eſt *Roſtius*, laude in eo dignus, quod, neglectis ſuperfluis ac inutilibus, ea inprimis dedit, quibus præcipuum librorum argumentum continetur. Quod vero paſſim in nominibus Autorum, & ejusmodi aliis rebus, aliquid vitii latet, &, ut exemplis aliquot utamur, *pag. 34 lin. 7 Lagomarſii* pro *Lagomarſini, pag. 55 lin. 26 Henr. Ayreri* pro *Ge. Henr. Ayreri, pag. 79 lin. 25 Melanchtone* pro *Melanchthone, pag. 137 lin. 12 Schifferi* pro *Schefferi, pag. 140 lin. 2 Freinshemi* pro *Freinshemii, pag. 141 lin. 13 Heracidæ* pro *Heraclidæ, pag. 168 lin. 13 Glodovs* pro *Gladovs, pag. 176 lin. ult. Krigelis* pro *Krigelii, pag. 209 lin. 15 in arce Peruſina* pro *in agro Peruſino, pag. 241 lin. 1 Numophilacium* pro *Numophylacium*, & *ead. pag. lin. 8 Agnethler Numophylacium* pro *Agnethler Numophylacium Schulzianum*, legitur, nemo tam iniquus eſt Lectorum, qui manifeſta operarum peccata doctiſſimo in his rebus *Roſtio* tribuat. Ceterum primaria hæc *Catalogi*, quem jam manibus tenemus, dos eſt, quam, neſcimus, an alius præter illum *Bibliothecæ Menckenianæ* cum eo communem habeat, quod Scriptores, quorum nulla in titulis librorum facta mentio, ſed qui ſunt in integra Scriptorum Corpora, *Theſauros, Collectiones*, & his ſimilia armamentaria, redacti, hic nominatim indicantur, ut ſic facilior lectoribus illarum opum uſus fiat, quæ ſuis adhuc cavernis occluſæ, & a doctorum hominum commercio quodammodo remotæ, jacue-

cuerunt. Dudum, fatemur, ea nobis opinio ſedit, de Bibliotheca Scriptorum univerſali cogitantibus agendum id inprimis eſſe, ut eorum, qui, cum aliis editi, & his longo ordine adjecti, in tenebras magis, quam in lucem, abierunt, diligenter nomina & ſcripta colligant: id quod commodiſſime fieri poterit, ſi, qui deinde nobis *Catalogos* Bibliothecarum dabunt, illuſtre hoc exemplum ſecuturi, eorum, quæ obtecta ſunt & incognita, rationem vel maxime habebunt. Atque ſic de inſigni hoc *Brubliana* partim in optimas Muſas beneficentiæ, partim induſtriæ *Roſtianæ*, monumento, etſi non ſatis ad laudem, ſatis tamen ad docendos eos, quos noſcendi hujus *Catalogi*, Illuſtriſſ. *Brublii* ſumtibus excuſi, nec, quod ſcimus, in tabernis venum proſtantis, cupidiſſimos ſcimus, dictum eſt; nec, quod his addi debeat, quidquam eſt, niſi hoc unum, in tanto nobis pretio literatum hoc cimelium haberi, ut, a munifica tanti Mecænatis manu haud meliora iis, qui literas profitentur, proficiſci munera potuiſſe, nobis ſit certiſſime perſuaſum. O beatam igitur Saxoniam, quæ, annuente hoc mitiſſimo Apolline, & liberale Muſis hoſpitium præbet, &, ab his viciſſim diligentiſſime culta, invidendo exteris regionibus florentiſſimoque rerum omnium ſuarum ſtatu fruitur!

DE JURIS DIVINI ET NATURALIS ORIGINE CAROLI POLINI, S. Martini Abbatis, Libri tres.

Brixiæ, ex officina Jacobi Turlini, 1750, 4 maj.
Alph. 2 plag. 9.

Cum *tres* hujus libri ſint *Partes*; in *primo* ſtatim *prioris Partis Capite* rationes Clariſſimus profert Autor, quæ ad ſcribendum ipſum impulerunt, quas quidem jam dicendo repetere haud juvat, cum ſufficiat, Lectores non ignorare, *Anſaldum* doctiſſimum ante aliquot annos idem fere opus confeciſſe, varia variorum judia expertum. Clariſſ. *Polinus* ſuum illi libro attribuit pretium; nihilo tamen minus non ſuperfluum eſſe ducit, ea addere, quæ in hoc argumento ab *Anſaldo* omiſſa, & a cenſoribus quibusdam libri illius deſiderata fuerant. Quæ

Pag. 11. 14.

Digitized by Google

qualia fuerint, ex iis apparebit, quæ poſtea dicemus. Autor no-
Pag. 21. ſter hinc pergit in *Capite ſecundo* humanam naturam eatenus conſiderare, quatenus ſatis eſt ad inde cognoſcendum, quantum roboris atque virium habeat ipſa per ſe cum ad veri cognitionem, tum ad eum finem aſſequendum, ad quem referuntur virtu-
26. tis ſtudia. Hic ſtatuendum eſſe putat Autor, naturæ quidem eſ-
27. ſe vocem, juſte & honeſte vivere, & officia debita omnibus præſtare; quoniam vero firmamenta horum principiorum extra omnem dubitationem ſtatui debeant, &, intus quæſita a Philoſophis in homine ipſo, non eadem in omnibus videantur, eo, quia raro homo ſincerus integerque appareat, & in multis ratio ipſa depravata ſit, idcirco alia generali prænotione opus eſſe, ex qua irrefragabilis principiorum horum firmitas deducatur. Si enim de univerſo juris divini & naturalis ſyſtemate ſermo inſtituatur, ex quo ſcilicet pia & juſta hominum officia conſtituantur, humanique mores regantur, fatendum eſt, alienis ſemper auxiliis opus eſſe, ut firmiter
29. conſtitui poſſint. Legem tamen adeſſe interiorem, quæ facile animadvertenti homini ſe prodat; at, cum id multi perraro attendant, aliorſum plane vitæ conſuetudine abrepti, ex
30. eo accidere ſolet, ut legem interiorem haud conſulant, quæ recte facienda præſcribit, & recte facta interno gaudio remuneratur; ex quo dilucide apparet, legem quandam nobiſcum una exſtare, quæ univerſa componit, & ſingula colligit in unum finem, qui eſt omnium ſocietatum coagulum. Longe tamen hæc innata virtus a parta, ſeu acquiſita, diſtat, ut ab abſolutione ingentis operis leviter tantum adumbrata initia diſtant. Fundamenta enim, quibus æque nitatur, ſunt jacienda, niſi velis, totam corruere vitæ moralis diſciplinam. Ex his ad *tertium Caput* Autor progreditur, disquirens, unde ju-
33. ſtitia, omnibus numeris abſoluta, originem traxerit. Hinc in quæſtionem diſſolvendam incidit, an morum diſciplina a Philoſophia deducta fuerit. Latini quidem & Græci Philoſophi pertinaciter contenderunt, Philoſophiam eſſe humanarum actionum moderatricem, probitatis opificem, ſocietatis effectricem, ac felicitatis ducem; ſed ex veterum atque recentio-

tiorum Philoſophorum placitis dignoſci poterit, quam tum, Pag. 38.
ex mente Autoris, a veritate aberraverint, ſiquidem doctrina
morum in tot abſurdis, & ſibi contrariis, ſententiis verſatur
apud veteres, quod & *Cicero* ipſe teſtatus eſt. Exinde colli- 45.
gitur, a Deo, omnis veritatis fonte, diſciplinæ moralis fluere
firmitatem. *Caput quartum* inſcribitur *de humanæ animæ* 46.
*natura, & proprietatibus, an ejus notitia ab humani intellectus
acie haberi poſſit.* Omnia, quæ hic ab Autore dicta fuere, eo
pertinent, ut Philoſophorum ipſe opiniones de anima humana,
ejusque natura & proprietatibus, recenſeret, & inde colligeret, 51.
gentium de immortalitate animorum perſuaſionem a Philo- 57.
ſophia non eſſe profectam; ſed ex adverſo philoſophan-
tium alios in impietatem, alios in ſcepticiſmum, abiiſſe. In
Capite quinto ex teſtimoniis Philoſophorum probatur, quam 58.
dubia & fallax ſit phyſica facultas in explicandis rerum natu-
ralium cauſis, &, licet eæ ſciantur, nihil tamen hoc prodeſſe
ad vitæ futuræ veram atque exactam cognitionem. Hæc omnia 66.
eum in finem ab Autore noſtro diſputantur, ut lectores eo fa-
cilius ad amplectendum id, quod ipſe pluribus in hoc Opere
exequitur, neceſſitatem ſcilicet primigeniæ traditionis, ſe com-
ponant. Cum enim Philoſophia inepta viſa ſit ad inveſti-
ganda ea, quæ ipſius humanæ naturæ videntur propria, alias-
que res, quæ ſub ſenſus cadunt; quanto magis fatendum
erit, ineptam eſſe ad comprehendendam, ſola humanæ men-
tis acie, ineffabilem Dei naturam, infinitaque ejus attributa,
ut in Deo vere ſunt, percipienda. Quotus enim quisque eſt,
qui immenſum capiat, infinitumque circumſcribat? Propter-
ea, quod immenſum eſt, ſoli ſibi notum eſt id, quod eſt.
Hinc quoque factum eſſe putatur, ut gentiles maxime in de- 70.
ſcribenda divina natura erraverint, &, ubi aliquid veri di-
xerint, primigeniæ traditioni id acceptum retulerint. Ipſa 72.
enim humanæ mentis acies ad tanta rerum momenta perve-
ſtiganda nequit adſcendere, ſed in impia & falſa dogmata in-
veſtigando incidit. Et de hujusmodi Philoſophorum, circa crea- 84.
tionem & providentiam divinam, erroribus longa hic inſtitui- 86.
tur diſputatio. In *Capite ſeptimo Spinozæ* ſyſtema circa naturam

hujus

hujus univerſi, quam Deum ſibi fingebat, expenditur explodi-
Pag. 99. turque. Atque hic Ill. *Wolffium* præter alios excitat Autor, qui
invictis argumentis demonſtraverit, nullo modo geometricam
methodum ſyſtemati *Spinozæ* potuiſſe aptari. Hypothe-
ſin enim ſuam, de ſubſtantia unica infinita, cujus attributo-
rum modificationibus neceſſariis prodeunt res ceteræ
omnes, ex ſuis definitionibus *Spinoza* probare annititur, ſed
a communi ſenſu illæ quam longiſſime ſunt remotæ. *Octa-*
105. *vo Capite* Autor inquirit in multiplicem viam, qua in
hominum animos rerum cognitio, verique intelligentia, de-
ſcendat, ubi iterum iterumque monet, ea tantummodo hunc
in finem a ſe diſputari, ut viri, nimium humanæ menti tri-
buentes, atque audaci cupiditate ultra humanitatis ſuæ termi-
nos evagantes, cognoſcant, quanto in periculo ipſi verſentur,
& quam vanis atque periculoſis opinionibus ſe impli-
110. cent, qui hoc faciunt. Omnis tamen recte philoſophandi ra-
tio in Logices, recte conſtitutæ, præceptis eſt quærenda; quæ
præcepta non ſunt negligenda, inprimis cum a recen-
tioribus Philoſophis plurima in canones ſint relata, & ita
conſtituta, ut ad veritatem dijudicandam quamplurimum fa-
ciant, & methodum de rebus quibuscunque acute diſſerendi
114. præſcribant. Nec in hac via Philoſophia gentilium tota eſt
inutilis, ſed utilis etiam ad contemplandas actiones &
virtutes humanas reddi poteſt, delibando ea, quæ vera ſunt.
116. Conſtat enim, puriorem etiam gentilium Theologiam e
duplici fonte fuiſſe deductam, ex majorum nempe tra-
ditionibus, & ex naturali ratione. Cernebant ſcilicet,
humanæ rationi eſſe ſubnixa, quæ traditione acceperant.
Capita enim ſumma, a Deo homini primo tradita, veritatis
fontes, lumen ſuum ceteris rebus porrigunt, ut cum Deum
ipſum, tum cetera, videre poſſis; ut adeo contemplatione aſſi-
dua eadem objecta magis ac magis illuſtrentur. Si vero in iiſ-
dem inveſtigandis, ſola humana ratione duce, totus inſiſtas,
ſimplicitate ſua fugiunt obtutum, & abundanti luce ſua men-
118. tem afficiunt ita, ut quaſi per caliginem tenebras obducant. Itaque
dolendum eſt, audere quosdam Philoſophos certum quid, ſola
huma-

Digitized by Google

humana ratione, de majeſtate divina, rerum initiis, morumque diſciplina, decernere, de quibus inde a tot ſeculis Philoſophia fruſtra deliberat. Notiones tamen, quæ unicuique neceſſariæ ſunt, quasque ſcire hominum intereſt, omnibus præſto ſunt, ut tuta & conſtans rerum agendarum ſcientia reddatur. Ex his notionibus orta eſt vera in populis pietas ac ju- Pag. 119.
ſtitia, vitæque gerendæ tota ab his ratio dependet. Illud etiam omnibus nationibus omni ævo firmiter perſuaſum fuit, & noſtro quoque eſt, Deum eſſe omnipotentem, univerſi creatorem ac moderatorem, nutu ſuo cuncta regentem, qui primos homines docuerit, eisque dederit leges ſanctiſſimas, nos Illuminantes, & inclinantes ad conſentiendum Dei mandatis, nec inde unquam aberrandum, quanquam ipſe in libertate conſtituerit hominem repugnandi illis legibus, & a tramite juſtitiæ, ſi æternum miſeros efficere ſe voluerint, deflectendi. Omnium enim gentium perſuaſio de animorum humanorum immortalitate, de extremo judicio, de præmiis pœnisque in vita futura, ſuperne illapſa eſt ex voluntate illa invincibili, ac certiſſima, cui non credere, manifeſtum amentiæ argumentum eſt. Inde, cum humanæ argumentationes ex hiſce principiis deducantur, omnium gentium conſenſione probatis, ſponte fluunt boni ac pii hominis officia, verique intelligentia in animos deſcendit. Conſulto hactenus totam Autoris de origine juris divini & humani doctrinam enarravimus,
ne poſtea, ſ rente ita enarrationis noſtræ ordine, de ea nobis 121.
ſæpius dicendum eſſet. Progredimur inde ſtatim ad *Librum*
ſecundum, ubi Autor probare ſtudet, traditiones eſſe divinas, ho- 134.
mini primo datas, moralitatis principia adſtruentes. *Caput* itaque *primum* demonſtrat, Deum, vel ipſum per ſe, vel per ſanctorum angelorum miniſteria, de quibus hic præcipuus
ſermo eſt, primos humani generis Patriarchas docuiſſe, eaque 144.
omnia, quæ hoc pacto illi didicerant, accurato magiſterio oralis traditionis parentum ad filios, conſtanti ſucceſſione, & hæreditario quodam jure, ad omnes gentes tranſiiſſe; ex quibus omnibus lex conſtituta eſt, quæ viget, & vigebit usque ad conſummationem ſeculi. Argumenta vero, ex Scriptura petita, noſtro judicio, nulla ratione id probant, quod proba-

Digitized by Google

re debent. Sunt enim partim nimis generalia & ampla, partim ita comparata, ut nil niſi meram poſſibilitatem involvant.
Pag. 134. Gentilium vero teſtimonia ſunt obſcura, nec rei probandæ
144. ſufficientia. Licet enim dicant, homines a Deo eſſe doctos, non tamen oſtendunt, quid ſint docti, & quomodo Deus illos docuerit, inprimis cum Dii gentilium veri nunquam fuerint, & vere exſtiterint, adeoque nec homines docere potue-
146. rint. In *Capite ſecundo*, de præſtantiſſima Dei natura, & maxime de ejus omnipotente voluntate, quæ in mundi creatione, & gubernatione, potiſſimum oſtenditur, Autor dicit, eandem materiam philoſophandi a traditione primigenia pendere, &, licet Philoſophi virtutem Dei, creandi ex nihilo, demonſtrent, eorum tamen argumenta cum traditione eſſe conjungenda. Autor hic addit: Profecto per cognitionem veri Dei, quæ ex divina revelatione hauritur, efficimur divinæ naturæ conſortes, in luce ambulamus, pii reddimur, & rationem connexionis inter res divinas & humanas
147. percipimus. Sed hic non ſatis accuratus eſt, ad annales
149. *Moſis*, ex quibus per traditionem multa didicerint gentes, provocans. Quid tum vero? Hoc ad rhombum minime pertinet. Sic revelata religio cum naturali confunditur, quod in
150. Philoſopho haud eſt tolerandum. Quid inde argumenti pro traditione philoſophica deſumi poteſt, quando legimus, apud gentiles ſepteni diei fieri commemorationem ſacram; aut
156. quando ex profanorum hominum teſtimoniis probatur, eos omnes Deum, ſummum creatorem, agnoſcere atque credere, eosdemque, hanc exiſtentiæ divinæ notionem a cœlo eſſe delapſam, dicere? Poſterius enim proprie non verum eſt. Nam improprie hic de naturali & inſita Dei cognitione eſt cogitandum,
161. ſi veri aliquid amplectendum ſit. *Caput tertium* de primo homine, primique hominis ætate, ac juris divini & naturalis origine, diſputat, ſed ita, ut Autor primo nihil aliud agat, quam ut ex
165. *Pfannero, Voſſio*, aliisque, doceat, gentilium fabulas facile cum protoplaſtorum convenire felicitate, lapſu, & miſeria. De his vero nemo facile per omnia dubitabit. Nec ſermo eſt de
181. hac re, verum de eo, num principia ſanctitatis ex tradi-

tione

Digitized by Google

tione orali habuerint, an ſolum ex lumine naturæ. Porro Autor dicit, jus divinum ex propria abſolutaque Dei imperandi, prohibendique poteſtate conſtitui; qui, cum ſit hominum conditor & parens, dominus quoque & legislator eſt. Hinc jus divinum, in quo ſcilicet divini cultus ratio ineſt, in prima mundi ætate a *Moſe* deſcriptum, parentum ad filios orali traditione, piorumque ſacrificiorum more, hæreditario quodam jure ad omnes gentes propagatum eſt. Multa hic de ſacrificiis gentilium inſtituendis, & hoſtiis apud gentes immolandis, dicuntur. Eadem in reliquis eſt tractandi ratio Autoris, ita, ut ſine difficultate ex iis, quæ modo enarrata ſunt, Lectores intelligant, quid in ſequentibus Autoris ſit inſtitutum, ubi per *quinque Capita* de animorum humanorum immortalitate, de extremo judicio, de præmiis pœnisve in vita futura, quin etiam de portentoſa totius orbis inundatione, de *Noacho*, ex quo nova hominum poſt diluvium progenies procreata eſt, deque mundi ætate, recenſio inſtituitur. Poſtea oſtenditur, quomodo in hominibus conſervatæ ſint notiones de cultu divino, & iis, quæ ad religionis ſpectant negotium. Prius tamen, quam Autor ad hæc convertitur, pluribus docet, capita ſumma religionis, & quicquid ad religionis ſubſtantiam ſpectet, non ab Hebræis ad gentes perveniſſe, ſed ante *Abrahami* jam tempora ab iis cognita fuiſſe, id quod in cauſa fuerit, quare *Abrahamus* evocaretur, cum omnia miſcere gentes inciperent. Sed id eſt, quod ulterius fuiſſet ab Autore probandum. Sicco hic plerumque pede enarratores divini Codicis rem totam prætereunt. In *Libro tertio* per *ſeptem Capita* agitur de vera religione, ejusque continuata ſucceſſione, de antiquiſſima gentium religione, de origine & progreſſu idololatriæ, de cultu heroibus, vita functis, interdum etiam viventibus, a gentibus præſtito, in quo tetrior idololatriæ facies exhibetur, licet ex hiſce quoque denſioribus idololatriæ tenebris capita ſumma religionis clare elucent. Deinde deteguntur artes mali in orco genii, quibus ad corrumpendam religionem, depravandosque hominum mores, uſus eſt. Denique Philoſophorum quorundam

Pag. 192. 213. 235. 247. 263. 294. 304. 325. 349.

Digitized by Google

excutiuntur rationes, divinam providentiam negantium, aut calumniantium, atque aliquorum rationes ad examen revocantur ac refelluntur, quibus, religionem rei publicæ cauſa a ſapientibus invectam fuiſſe, pertinaciter contendunt. Perlegendo totum hoc Opus animadvertiſſe nobis videmur, Autorem occaſione doctrinæ, ab Eccleſia Romana de *traditione orali* receptæ, eo delapſum eſſe, ut omnia hic perturbet, &, quæ in abſtracto conſideranda, ſeu ex ipſa rationis, recte conſtitutæ, forma & genio depromenda, erant, ex concreto, perſonis ſcilicet, gentilibus, eorumque ſacris fictitiis, confirmet. Nec fieri aliter
Pag. 339. potuit, quin multos cœtus ſui errores, inprimis quod ſpectat ad idololatriam, illi toties a rectius ſententibus objectam, quantum in ipſo eſſet, defenderet; quod, ſi mites & indulgentes judices nos poſcat, ſtudio placendi ſectæ ſuæ, a quo, quis eſt, qui ſe dicere immunem poſſit? condonamus.

TRAITE' DU NAVIRE, &c.
hoc eſt
TRACTATUS DE NAVE, EJUS CONSTRUCTIONE, & motibus; Autore BOUGUERO, Academiæ Regiæ Scientiarum Socio, antehac Hydrographo Regio in Portibus Croiſici & Gratiæ.

Pariſiis, apud Jombertum, 1746, 4 maj.
Alph. 4, Tabb. æn. 12.

Quod ſolet eſſe fatum rerum, praxin reſpicientium, id jam dudum maximo ſuo damno experta eſt Architectura navalis. Nulla ei facem præferente theoria, relicta eſt operariorum manibus, qui, quod narravere, quodve conſtruxere patres, fideliter imitati, rudi tentamine res maximi momenti diſcutientes, confundentes omnia, ſæpiſſime ipſi inter ſe diſcordes, & præterea myſterium, artificibus adeo ſolenne, ubique affectantes, praxin quandam conſtituerunt, nullo ratiocinio nitentem, infinitis erroribus ſcatentem, & a perfectionis, quam attingere poſſet, apice mirum quantum remotam. Non defuere quidem penitus viri periti, qui, malo huic remedium afferre cupientes, rem navalem ad certa principia reducere conati ſunt. Huc inprimis pertinet concilium, Pariſiis

riliis A. 1681, aſſiſtentibus pluribus artificibus, aliisque perſonis rei maritimæ gnaris, præſertim Marchione *du Queſnio* & Equite *Renaldo*, qui paucis annis poſt *Theoriam navalem* edidit, habitum; quo varia ad dimenſionem navium certis regulis ſunt adſtricta, publica quoque autoritate dein confirmata. Sed, retenta nimis praxi jam recepta, de figura tantum externa navis, ceu corpus ſaltem geometricum conſideratæ, facilius deſcribenda agebatur; quæ vero altioris ſunt indaginis, & ex principiis phyſicis mechanicisque repetenda, nullo modo attingebantur. Ulterius greſſum protulit P. *Hoſtius*, S. J. qui A. 1697 librum publicavit, ſat magni voluminis, ſub titulo *Theoria conſtructionis navium.* Sed, præterea quod falſo ibi theoriam ſuam inædificaverit principio, eidem nempe, quod adhibuit *Renaldus* in *Theoria novali*, quodque everſiſſe conſtat *Hugenium & Bernoullium*, accidit viro bono humani quidpiam, quod ſæpe ſolet in hujusmodi materiis, ut, neglectis variis conditionibus neceſſariis, circumſtantiisque eſſentialibus, ſolutiones produxerit mere hypotheticas, & ad ipſam praxin actu non applicabiles. In animum igitur induxit Cel. *Bouguerus*, aliis jam ingenii & doctrinæ ſpeciminibus in republica literaria clarus, tentare, quid valeat theoria in determinanda certius conſtructione & motu navium, non ſolum nullis niſi firmis principiis aſſumtis, ſed conditionibus quoque, quas praxis ſuggerit, ubique cum cura in computum ductis; propoſitum ſane, & a ſagacitate, quæ in exequendo requiritur, & ab inſigni, quam præ ſe fert, utilitate omnibus modis commendandum. Compoſuit Opus hocce in Peruvianis oris, ad menſuram telluris inſtituendam eo ab Academia miſſus; idque eum in finem fecit, ut in reditu ad ea, quæ forte mutanda doceret experientia, poſſet attendere. In ſubſidium vocavit ubique Geometriam & Analyſin, tam vulgarem, quam ſublimiorem, ſine quibus in re tam difficili nihil abſolvi poſſet; &, licet artificum vulgo ſic non intelligendus evaſerit, concluſiones tamen ita aptavit, ut absque ipſa diſcuſſione ſolutionum poſſent percipi. Sed paulo accuratius luſtremus ipſius Operis contenta, hoc ſaltem adhuc monito, mereri, ut

Digitized by Google

legatur, Præfationem, in qua neceſſitatem & uſum theoriæ in rebus practicis, & praxeos, theoria deſtitutæ, miſeriam, eleganter oſtendit Cl. Autor: cum ſane noſtris diebus nil ſit ea communius opinione, parum habere utilitatis in practicis theoriam; quin etiam multi, neſcimus quale, theoriam inter & praxin diſſidium incongrue ſibi fingant, quo in illa ſint alia vera, in hac alia. Sed ad rem.

In *tres Libros* totum Opus diſpeſcitur. *Primus* Introductionis in reliquos vice fungitur, in quo conſtructio navium, quæque ad eam pertinent, prout actu hæc perficere jam moris eſt, explicantur; ſimul quoque idea generalis traditur plurimorum, in quibus inveſtigandis dein verſabuntur ſequentia.
Pag. 1. Agit itaque *Sectio I de figura navis, partiumque ejus interiorum*, hujusque *Caput I* de variis navium ſpeciebus; *Caput II & III* præcipuas partes navis externas internasque, earumque proportiones conſuetas, explicant. *Caput IV & V* methodos, quibus utuntur artifices in delineanda ſectione navis, longitudine ejus normali, media, ſeu maxima, nec non duabus extremis, declarant. *Caput VI* modum docet, formandi ſuperficiem navis poſticam, determinando certa lege e ſectione media reliquas omnes ei parallelas: qua in re notantur varia circa aſſeres flexiles (*liſſes*), quæ medium inter & extremitatem aptantur, ut ſuperficiem navis externam definiant. *Caput VII* idem circa partem navis anticam exequitur. *Caput VIII* monſtrat, qua ratione effici queat, ut curvatura dictorum aſſerum unam eandemque curvam continuam conſtituat. *Caput IX* methodum, ſectiones navis, per alia plana factas, delineandi tradit, e. g. ſectionem verticalem ſecundum longitudinem navis, horizontalem ab aqua factam, &c. *Caput X & XI* annotationes varias circa formam, quam communiter tribuere ſolent navibus artifices, continent. Oſtendit hic Autor, quam vagis, omnique fundamento deſtitutis, regulis utantur in determinando ſitu amplitudinis maximæ, quam navis habet proram verſus, nec non quantitate, qua magis immergi debeat aquæ puppis, quam prora; & qua ratione ex certioribus principiis emendari poſſit figura navium, aliam formam, non

non minus in conſtruendo facilem, aliisque emolumentis gaudentem, proræ puppique conciliando. *Caput XII* modum, naves conſtructas aquæ immittendi, deſcribit; &, qua ratione cognoſci poſſit, an motu hoc violento curvaturam ſenſibilem ſecundum longitudinem ſuſcipiant, edocet. *Sectio II* circa *varium apparatum, qui ad navem pertinet*, verſatur. Pag. 80. *Caput I* de gubernaculo, ejus conſtructione, uſu, & diſpoſitione optima, ut et de ergatis ad trahendos funes, quibus anchora & vela moventur, agit. Notat, angulum, quem efficere debere gubernaculum, ut impulſum ab aqua accipiat maximum, determinarunt Autores, paulo minorem fieri, ſi longitudo navis ad longitudinem gubernaculi rationem finitam habere ſtatuatur; ſed differentia hæc ¾ unius gradus vix excedit. *Caput II* de antliis ſuctoriis, in navi diſponendis, earum neceſſitate, optimaque conſtruendi ratione, tractat. Jam conſtat, in antliis ſuctoriis, pro certa ratione inter altitudinem emboli, & ſpatium, quo it reditque, dari poſſe limitem, ultra quem aqua elevari nequeat, quantumcunque motus emboli continuetur. Hunc limitem, ideoque proportionem, quam habere debeant partes antliæ, ut deſideratum effectum præſtent, Noſter demonſtrat. Conſultum ducit, ad ſublevandum laborem hominum, alas, a vento circumagendas, movendo embolo applicari, quod magna cum ſimplicitate fieri poſſet. *Caput III* de funium ad levandas anchoras dimenſionibus & pondere, deque anchorarum magnitudine, pondere, easque firmandi & ſublevandi ratione, agit. *Caput IV* motum remorum conſiderat, rem haud ſatis accurate adhucdum examinatam. Primo ipſum mechaniſmum actionis remorum diſtincte explicat. Non ſatis clare rem concipiunt, qui cum *Ariſtotele* remum pro ſolo vecte primi generis habeat, ubi navis ſit hypomochlium; nam de ipſo hujus navis motu agitur. Multo magis falluntur, qui cum *Fournierio*, plurimisque aliis, illum pro vecte ſecundi generis venditant, ubi aqua ipſa fulcri locum obtineat, navis autem onus exhibeat; nam, ſi potentia applicetur prope ipſum locum, ubi remus navem attingit, ita ut diſtantiam eandem a fulcro habeat cum ipſo onere, neceſſario ex principiis vectis

mo-

motus hujus conſequeretur; cum tamen, nec navem, nec remum, ſic moveri poſſe, experientia teſtetur. Sed ita eſt: Remo motum imprimit remex, eoque ipſo reſiſtentiam aquæ vincit; hoc igitur reſpectu remus vicem ſubit vectis primi generis. Sed, dum remus aquæ impellitur, aqua eadem vi reagit, ac ſi in ipſum quieſcentem æquali velocitate incurreret, hæcque vis applicatur navi movendæ. Aliud ergo eſt, ſi vis potentiæ motricis comparetur cum reſiſtentia aquæ, quam remo facit; aliud, ſi impulſus, quem remus viciſſim ab aqua patitur, comparetur cum reſiſtentia, quam navis ipſa facit motui, oriunda nempe ex alliſu proræ ad undas. Ex omnibus impulſibus, qui a ſingulis remis oriuntur, componitur vis totalis, quæ dictæ reſiſtentiæ, quam prora experitur, æqualis ſit, neceſſe eſt, quando navis motu uniformi progreditur. His & ſimilibus explicatis, varia ſolvit Autor Problemata, ad motum remorum attinentia; ut, ſi, datis quantitate & celeritate vis motricis, quæratur longitudo partis remi exterioris, ſeu potius limes, cui, quantum fieri poteſt, appropinquandum, ut effectum edat maximum; vel ſi, ad eundem finem, ex data ſuperficie remi, aquam ferientis, definienda ſit illa longitudo; quam ſolutionem dein ita generalem reddit, ut pro numero quovis remigum, eorumque actione, & velocitate navis, ſatisfaciat. Denique circa uſum remorum in navibus quoque magnis, ubi eos vulgo applicare moris non eſt, quædam monet, &, qua ratione cum fructu & facile in iis adhiberi poſſint, docet. *Caput V* malorum, velorum, antennarumque, dimenſionem, figuram, & poſitionem, prout communiter fieri ſolent, exponit. *Caput VI* regulas vulgares præcedentes examini ſubjicit, earumque imperfectionem demonſtrat. Oſtendit, malos eſſe plerumque nimis altos, adeo, ut vis venti ex parte ad inclinandam navem, non ad promovendam, impendatur; cum potius mali depreſſiores, vela latiora, reddi debeant. Præterea falli artifices eodem ex fundamento, dum navem minorem malis veliſque inſtruant, eandem proportionem ad ejus dimenſiones habentibus, quam in nave majori obſervarunt; cum vis venti

ad

Digitized by Google

ad evertendam navem illam non eandem rationem ad pondus ejus, ſeu reſiſtentiam, habeat, quam in hac, ſed potius hoc magis augeatur, quo minor eſt navis. Alias igitur regulas obſervandas demonſtrat Autor, ut proportio debita inter dimenſiones navis & malorum obtineatur, ſi ex una nave, velis bene inſtructa, conjecturam facere velimus ad aliam. Poſitis e. g. duabus navibus perfecte ſimilibus, quadrata altitudinum malorum debere eſſe, ut cubi longitudinum navium; vel, exiſtente duarum navium longitudine eadem, altitudines malorum debere eſſe, ut latitudines; & id genus alia. Ipſe experimentum inſtituit cum duabus navibus exiguis æque magnis, quarum una, ſecundum regulas communes malis velisque inſtructa, perpetuo everteretur a vento, altera, ex ipſius mente iisdem inſtructa, vim venti ferret, debitumque effectum præſtaret. *Caput VII* funium multiplicium, ad ſuſtinendos malos, firmanda movendaque vela, idoneorum, diſpoſitionem & uſum, nec non methodum, qua ope ſcalæ dimenſiones eorum determinari ſolent, explicat. *Sectio III de vi, ſeu reſiſtentia, qua ſingulæ navis partes gaudere debent*, inſcripta eſt. Hujus *Cap. I* de reſiſtentia, & quidem abſoluta, ſolidorum, inprimis ligni & ferri, quædam commentatur. *Cap. II* varios modos, quibus impediri queat, ne navis curvaturam ſecundum longitudinem accipiat, edocet. Eos examini ſubjicit *Cap. III*, &, quid in iis deſideretur, quaque ratione emendari poſſint, exponit. *Cap. IV* de reſiſtentia ſolidorum relativa agit. Nondum ſatis certa, oſtendit, haberi principia, unde hæc a priori definiri poſſit; ſed relictam nobis ſolam eſſe cognitionem ejus comparativam. Nimirum, ſi duo ſint ſolida, quorum ſectiones ſint figuræ ſimiles, reſiſtentiam fibrarum abſolutam in utroque eſſe, ut ipſas ſectiones, ſeu ut quadrata laterum homologorum; ſed præterea centrum gravitatis, in quo concipi poteſt unita vis totalis fibrarum, eſſe ſimiliter in utroque poſitum, idemque valere de puncto, quod hypomochlii vicem in utroque ſubit (quod quale ſit, ipſe non definit,); adeoque ipſa momenta reſiſtentiarum eſſe, ut cubos laterum homologorum. Hac ergo ratione experimenta tan- Pag. 147.

tum circa ſolida minora eſſent inſtituenda, atquè ex iis concludi poſſet ad reſiſtentiam majorum quorumvis datorum. Noſtro quidem judicio nondum ſatis clarum eſt, duo hæc puncta, de quibus diximus, in utroque ſolido, ſimiliter eſſe poſita. Nam, cum, fatente ipſo Autore, centrum, in quo vis tota fibrarum ceu unita ſpectanda ſit, difficulter determinari queat, undenam conſtat, centrum gravitatis pro eo aſſumendum eſſe, ideo quidem, quod ſectiones ſint ſimiles? Dein quoque hypomochlium, quod haud magis cognoſcimus, cum fibræ partim extendantur, partim comprimantur, unde novimus, ſimiliter eſſe utrinque poſitum? Nonne ergo, ſi proportio hæc variaret, inſtituta in minoribus ſolidis experimenta magnos errores in majoribus parerent? Sed hæc obiter. Pergit Autor ad applicanda dicta, ad vim contignationis trabium examinandam, nec non ad determinandam reſiſtentiam debitam variarum navis partium. *Cap. V* figuram & magnitudinem malorum antennarumque determinare conatur. *Cap. VI* reſiſtentiam funium examinat. Oſtendit, funes craſſiores nequaquam præbere reſiſtentiam majorem, quam tenuiores in ratione filorum, e quibus componuntur, ſed contorſione horum magnam partem firmitatis ſuæ perdere; adeo ut difficulter reſiſtentia funis determinari poſſit. Interim oſtendit, quomodo quam proxime eam ſcire liceat, quæque remedia ad majorem funibus reſiſtentiam conciliandam adhiberi queant. Denique *Cap. VII*, quanta debeat eſſe reſiſtentia funium, ad varios uſus in navi applicatorum, definit.

Secundus jam *Liber* ipſam navem conſiderat, undis immiſ-

Pag. 199. ſam, at nondum vela facientem. *Prima* quidem *Sectio pondus totius navis, & vim aquæ ad illud ſuſtinendum*, examinat. *Cap. I* theoriam generalem de æquilibrio ſolidorum in fluidis perſpicue explicatam ſiſtit, vi cujus pondus totius navis ſemper æquat pondus molis fluidæ, cujus locum occupat. *Cap. II* ex hoc fundamento oſtendit methodos, pondus navis ex dimenſione carinæ, ſeu partis aquæ immerſæ, inveniendi. Primo tentatur, quid prodeat, conſiderando navem ſub forma regulari, ut figura Ellipſoidis; ſed hic modus

Digitized by Google

dus nimis a vero aberrat. Huic ergo propius acceditur, ſi carina concipiatur diviſa per ſectiones horizontales, aliasque verticales, in plura priſmata quadrangularia, quæ absque errore ſenſibili aſſumi poſſint, ceu ſuperficiebus planis incluſa. Idem in ſpecie docetur pro menſuranda parte, duabus ſectionibus horizontalibus propinquis comprehenſa; qua occaſione Autor modum affert ſimpliciſſimum, aream quamvis curvilineam quam proxime menſurandi, ſi dividatur ea per parallelas æquidiſtantes in tot partes, ut ipſius curvæ partes interceptæ absque errore ſenſibili pro rectis haberi queant, tumque diſtantia parallelarum ducatur in ſummam omnium parallelarum, exceptis duabus extremis, quarum ſaltem dimidium ſumitur, & in ſummam conjicitur. *Cap. III* inquirit, quantum portio navis, aquæ immerſa, augeatur minuaturve, prout pondus ipſius eandem variationem ſuſcipit, additis, vel ſublatis, variis partibus, inprimis quando ipſa carinæ figura mutatur. *Cap. IV* de Stereometria navium agit; & primo quidem, ſi hæc menſura exprimatur in pedibus cubicis, id quod eodem modo, quo fiebat antea carinæ dimenſio, perficitur. *Cap. V* docetur, quomodo navis, ſeu potius oneris, ei impoſiti, menſura inveniatur in doliis, quorum unum eſt 2000 librarum. Varias hac de re praxes, uſu receptas, ſed erroribus ſcatentes, recenſet; &, quomodo vere definiatur per differentiam ſpatiorum, quibus immergitur navis primo vacua, dein onuſta, edocet. Conſiderata hactenus quantitate preſſionis, quam aqua ad ſuſtinendam navem exercet, eique æquivalente pondere navis, jam *Sectio II* circa *mediam ejus directionem, ſeu punctum, in quo unitur vis tota*, atque hinc circa *diſtribuendum pondus totius navis*, verſatur. Et quidem *Cap. I* methodos pro inveniendo carinæ centro gravitatis, quippe in quo vis aquæ tota unitur, exhibet: alteram mere mechanicam, alteram geometricam, rem approximando conficientem, eodemque fundamento nitentem, quo ſupra (ad *Cap. II Sect. prac.*) diximus ſoliditatem carinæ menſurari. *Cap. II* in maximam altitudinem, in qua ſtatui poſſit centrum gravitatis totius navis, inquirit. Oſtendit hic generatim, qua- Pag. 249.

 lem

lem ſitum habere debeat centrum grav. ſolidi, ut hoc in fluido poſſit eſſe in æquilibrio, &, ſi ex eo diſturbetur, in id iterum pervenire. Concipiatur nempe ſolidum fluido innatans; unde ob æquilibrium erunt centrum grav. ſolidi & centrum grav. partis immerſæ in eadem recta verticali, ita ut pondus ſolidi & preſſio fluidi ſe mutuo deſtruant. Disturbetur jam paululum ſolidum ex hoc ſitu, & per centrum grav. partis fluido nunc immerſæ ducta verticalis definiet directionem novam preſſionis fluidi. Secet jam verticalis hæc priorem in puncto, quod Autor *metacentrum* vocat. Manifeſtum eſt, ſi centrum grav. ſolidi ſit in ipſo hoc puncto, tunc illud etiam in novo ſitu fore adhuc in æquilibrio; ſin centrum grav. ſit infra dictum punctum, tunc recidere ſolidum in ſitum priſtinum, & oſcillationes hinc inde perficere; ſin denique ſupra, tunc ſolidum multo magis decidere verſus partem, ad quam inclinatum eſt. Hinc colligitur, ſolum caſum ſecundum proprie navi competere debere, ut, ſi vi quavis ex ſitu ſuo verticali dimoveatur, in hunc iterum redire tentet; nempe centrum grav. totius navis infra metacentrum debere eſſe poſitum. In definiendo itaque hoc metacentro verſatur *Caput III.* Elegantem ſolutionem generalem tradit Autor, quam integram explicare, inſtituti noſtri limites non permittunt. Delibabimus itaque ſaltem formulam generalem, e ſolutione reſultantem. Sit nempe ſolidum fluido innatans, & concipiatur ſectio ejus horizontalis, per ſuperficiem fluidi. Inclinetur parumper; & fiet nova ſectio, priorem ſecans in recta, quæ ſumatur pro axe, in quo, ſumtis abſciſſis $= x$, ſint ſemper ordinatæ rectangulæ in plano ſectionis utrinque æqualis $= y$. His poſitis, dictaque carinæ ſoliditate $= p$, erit diſtantia metacentri a centro grav. carinæ $= \frac{2\int y^3 dx}{3p}$; unde pro quovis ſolido figuræ regularis inventio ejus in promtu eſt. Si ſolidi ſectiones omnes verticales ſint figuræ ſimiles, formula præcedens fit ſimplicior, & ad inventionem centri grav. unius harum ſectionum redit. Hactenus dicta applicat *Cap. IV* ad ſolida varia, ad

figuram

Digitized by Google

figuram navis quodammodo accedentia; & primo quidem ad parallelipipedum rectangulum, ubi diſtantia metacentri a centro grav. carinæ ſit tertia proportionalis ad triplam profunditatem partis ſubmerſæ, & dimidiam ejus latitudinem; dein ad ſolidum, cujus ſectiones omnes verticales ſint triangula rectangula, angulo rectangulo, angulo recto exacte deorſum ſpectantia; quo caſu metacentrum eadem quantitate elevatur ſupra ſuperficiem fluidi, qua centrum grav.carinæ, pro homogenea ſpectatæ, infra eam deprimitur; denique ad corpus,cujus ſectiones omnes verticales ſint ellipſes inter ſe ſimiles; quo poſito,non minus ſimplex fit diſtantiæ illius expreſſio. Sed fatendum, metacentrum hactenus conſideratum fuiſſe non niſi poſita inclinatione navis perexigua; oriri itaque poſſet ſuſpicio, an non, facta inclinatione ſatis notabili, metacentrum poſſit deſcendere infra punctum, antea aſſignatum, & hinc infra ipſum centrum grav. carinæ, adeo, ut jam navis ſponte ſe rurſum erigere nequeat. Igitur in poſitionem metacentri, facta inclinatione navis quacunque, ulterius inquirit Noſter *Cap. V.* Si nempe concipiatur navis inclinari continuo; centrum grav. partis immerſæ variabile deſcribet curvam, ejus naturæ, ut directio media preſſionis aquæ reſpondens ei ſemper ſit normalis. Harum normalium duæ quævis proximæ concurſu ſuo efficient metacentrum; adeoque curva nova, exinde oriunda, quæ dici poterit *metacentrica*, nil aliud erit, quam evoluta prioris. Quando itaque curva hæc ejus eſt figuræ, ut a metacentro primo ſurſum vergat; tunc nullus ſuſpicioni locus eſt, ut navis inclinata ſeſe relevare nequeat. Applicat hæc ad figuras, ſupra examinatas, & in ſolido, e rectangulis, vel triangulis, vel ellipſibus, compoſito, ſemper invenit, ejusmodi ſitum curvæ metacentricæ locum habere. Exinde quoque ad figuram navium emendandam quædam derivat. *Cap. VI*, quomodo in navibus conſtruendis actu cognoſci poſſit, an centrum gravitatis ſitum requiſitum reſpectu metacentri habeat, docet. Hujus rei, quæ primo intuitu videri poſſet admodum perplexa, ſpecimen actu exhibet, examinata nave mediocri, cui nomen *Gazellæ*, in *Portu Gratiæ*

conſtructa. Hinc quoque generalia quædam circa naves, tam majores, quam minores, annotat. *Cap. VII* mutationem, quam ſuſcipiat ſitus metacentri ex mutata carinæ figura; conſiderat. Si & ſoliditas carinæ, & ſectio horizontalis per ſuperficiem aquæ, maneant eadem; eadem quoque erit diſtantia metacentri a centro gravitatis; ut vel e formula ſuperiori, vel a priori, ſatis patet. Si ſola longitudo carinæ mutetur, manentibus reliquis; & metacentrum, & centrum grav. eodem in loco reſtant. Si ſola mutetur latitudo, & id quidem pro quavis ſectione horizontali in eadem proportione; centrum grav. in ſitu ſuo remanet, ſed diſtantia metacentri ab eo ſequitur rationem latitudinum duplicatam. Si denique ſola profunditas variet; diſtantia centri grav. a ſuperficie aquæ minuitur in eadem proportione cum ipſa profunditate, ſed metacentri ab eo diſtantia in eadem augetur. Hinc jam *Cap. VIII* mutationem, quam ex mutata carina ſubeat ipſa ſtabilitas navis, ſeu vis, quacum ab inclinatione ſeſe relevare conatur, examini ſubjicit. Primo quidem, ſi ſola variet longitudo; manente metacentro, ſtabilitas variabit in eadem ratione. Si profunditas ſola mutetur quomodocunque; ſtabilitas manebit prorſus eadem. Unde derivatur modus, ſtabilitatem pro ſolido quovis facile computandi, ſubſtituto ſimpliciori, ut ſphæroide, quod eandem ſectionem horizontalem per ſuperficiem aquæ cum propoſito habeat. Si latitudo mutetur ſola, & quidem proportionaliter; erit ſtabilitas in ratione ejus triplicata. Denique, manente penitus dimenſione carinæ, ſi ea materia ponderoſiori oneretur, centrum gravitatis deſcendet, hincque ſtabilitas navis augebitur. Quodſi vero non dimenſio carinæ tota mutetur modis hactenus allatis, ſed tantum pars quædam addatur dematurve; quomodo hoc ipſo afficiatur ſtabilitas, *Cap. IX* inquirit. *Cap. X* inveſtigat, quænam eſſe poſſit minima profunditas carinæ in navibus, parte ſuperiori valde oneratis, eo ut centrum grav. ſit metacentro inferius; quod inprimis uſu venit in navibus majoribus. Tandem *Cap. XI* methodum oſtendit valde ſimplicem, in navibus jam conſtructis experientia detegendi, an cen-

centrum grav. poſitione requiſita gaudeat, cujus prima idea debetur P. *Hoſtio;* id quod fit appenſo ad latus navis pondere ſatis magno, & menſurando inclinationem, inde prodeuntem. Aliam adhuc circumſtantiam, in conſtructione navis, & quidem in diſtribuendo rite totius pondere, obſervandam, in computum ducit *Sect. III, motum* nempe *oſcillatorium,* quo navis hinc inde it reditque. *Cap. I* punctum, circa quod fit hic motus, conſiderat; idque centrum gravitatis navis eſſe, evincit. Hinc ſequitur, quo major eſt metacentri (in quo unitur vis, motum producens,) a centro grav. diſtantia, ſeu, quo inferius eſt, ceteris paribus, centrum gravitatis, eo breviores eſſe oſcillationes. Quin &, manente centro graviore, variari poteſt harum duratio, ſi res ponderoſiores hinc inde ab eo removeantur, vel ad id admoveantur; cum oſcillationes fiant illo caſu longiores, hoc breviores. Unde cognoſcitur, quid diſtributio rerum in navi huc faciat. *Cap. II* ipſum motum hunc oſcillatorium examinat. Invenit nempe, longitudinem penduli iſochroni prodire multiplicando pondus partis cujusvis per quadratum diſtantiæ reſpectivæ a centro grav. horumque productorum omnium ſummam dividendo per pondus totius corporis ductum in diſtantiam metacentri. Unde ſequitur, pro eodem corpore durationes oſcillationum eſſe reciproce, ut radices quadratæ diſtantiarum metacentri a centro grav. Hæc ad naves ipſas applicat. Denique *Cap. III* inquirit, quid transpoſitio variarum navis partium ad mutandum motum oſcillatorium conferat; & annotationes quasdam circa oſcillationem navis in longitudinem affert. Pag. 325.

Satis diu vel in terra, vel in portu, morati, age tandem vela demus læti. Pervenimus enim ad *Librum tertium,* qui navem in motu conſiderat. *Prima Sectio* eſt generalis, *&* *leges univerſales percuſſionis fluidorum, inprimis venti ad vela, aquæ ad proram, allidentis,* examini ſubjicit. *Cap. I* generatim, quid percuſſio, cum venti, tum aquæ, ad motum navis conferat, diſcutit. Theorema palmarium: In omni motu navis uniformi vim, quæ ex impulſu venti ad velum ſecundum 347.

cus circuli genitam, Pro ſuperficie curva quavis methodum tradit *Caput VI;* dividendo nempe eam in partes tot, ut absque errore ſenſibili pro planis haberi queant. *Caput VII* variationem, quam recipiat percuſſio fluidi pro eadem ſuperficie, mutata ejus directione, examinat. Varia hac de re notatu digna inventa explicat. Qualiscunque ſit ſuperficies, modo circa axem utrinque partes æquales habens, ſi mutetur fluidi directio, ita ut quadratum ſinus obliquitatis augeatur minuaturve in progreſſione arithmetica; percuſſionem ſecundum axem variare etiam in progreſſione tali, demonſtrat. Unde pro ſuperficie ejusmodi quavis exhiberi poteſt recta, ceu locus geometricus, percuſſiones omnes, ex data unica directa, definiens. Plurima elegantia exinde deducit Noſter, quæ pluribus explicare non licet: unicum ſaltem afferemus, quod nempe ſuperficies quæcunque, percuſſionem minimam a fluido ſecundum datam quandam directionem ſuſcipiens, eadem adhuc proprietate ſecundum quamvis aliam directionem gaudeat; adeo ut ſolidum minimæ reſiſtentiæ, licet diverſum pro varia data baſi, idem tamen prorſus ſit pro directione quavis. Quemadmodum hactenus actum de vi ſecundum axem, a percuſſione oriunda; ita *Caput VIII* ſimiliter vim lateralem, ex eadem oriundam, ejusque variationem, pro objecto habet, eaque de re varia continet elegantia, e. g. vis totalis, e directa & laterali compoſitæ, directionem ſemper tranſire per idem punctum axis, quomodocunque mutetur obliquitas percuſſionis; item ſolidum minimæ reſiſtentiæ ea inſuper proprietate eſſe præditum, ut, in directione obliqua motum, maximam faciat reſiſtentiam lateralem vi venti, ipſum detorquere conanti, adeoque ſimul ſolidum minimæ deviationis præbeat. Pergimus ad *Sectionem II*, qua ex principiis, hactenus traditis, *ſolutio generalis præcipuorum Problematum, ad Manuariam nauticam ſpectantium*, tentatur. *Caput I* velocitatem, quam reſpectu velocitatis venti acquirat navis, conſiderat; de qua definienda nemo adhuc cogitavit. Inſtitutis experimentis, cognovit, velocitatem navis reſpectu venti nequaquam eſſe negligendam, ſed fere intra limites $\frac{1}{7}$ & $\frac{1}{2}$ Pag. 416.

 con-

Digitized by Google

conſiſtere, ſi vento directe impellantur. *Caput II* mutationem, quam motus ſuperficiei ad percuſſionem, quam a fluido experitur, conferat, examini ſubjicit. Cum nempe percuſſio a velocitate utriusque relativa pendeat; videndum eſt, an ſuperficies parallele mota vel cum fluido, vel contra id, moveatur; illic enim minuitur, hic augetur, percuſſio. Obiter hæc ad poſitionem optimam alarum molendini applicat; docetque, quæ vulgo de ea determinari ſolent, in rigore locum non habere, cum neglecta ſit alæ reſpectu venti velocitas; qua in computum ducta, ſequitur, alas non eandem ubique inclinationem ad axem habere debere, ſed magis ab axe diſtantes partes majorem, adeo ut alæ integræ ſuperficies curva concilianda ſit. Præcedentia generalia *Caput III* applicat ad mutationem, quam motus navis ad vim & directionem relativam venti conferat; &, quomodo hæ in navi actu cognoſci queant, edocet. *Caput IV* circa relationem inter deviationem navis, & poſitionem velorum, verſatur, formulamque præbet valde ſimplicem, cujus ope ex unica obſervatione pro caſu quovis determinari poteſt. *Caput V* in varias navis velocitates, pro variis ejus deviationibus, inquirit. Formula pro iis ſuppeditatur generalis; e qua patet, eas nec extenſioni velorum, ut ſtatuit P. *Fournier*, nec radici quadratæ hujus extenſionis, ut putarunt alii, eſſe proportionales, niſi velocitas venti reſpectu navis ponatur infinita. Explicat quoque Noſter, quomodo fieri poſſit, ut navis velocitatem acquirat majorem, ſi ventum paulo oblique recipiat, quam ſi directe; nec non, quod eſt paradoxi inſtar, quomodo navis velocius moveri queat ipſo vento, etſi ſola vi venti impulſa. Ipſas Tabulas velocitatum ex formula præcedenti conſtruendi rationem docet *Caput VI.* Poſitionem optimam navis & velorum reſpectu venti pro vario fine inveſtigat *Caput VII.* Huc ſpectat, ſi navis in data directione maxima velocitate debeat progredi. Inprimis Problema ſolvit de inveniendа poſitione optima, ſi vento directe contrario obviam eundum ſit, ut navis maxime ſecundum hanc plagam progrediatur. Hoc ita perfecit, ut primo quærat, quænam, poſito certo angulo navis & veli, utriusque poſitio reſpectu venti ſit opti-

Digitized by Google

optima; quam quidem invenit talem, ut angulus venti cum velo ſit æqualis angulo viæ navis cum normali ad directionem venti; dein, poſita hac conditione, iterum quærat, quinam angulus veli & navis omnium ſit optimus, quod paucis tentaminibus ope Tabularum dictarum obtinetur. Allatam quoque regulam uſu venire docet, ſi navis navem optime velit inſequi. Si quæſtionum præcedentium, loco ſolutionis arithmeticæ, malit quis conſtructionem geometricam; eandem *Caput VIII* exhibet. Hactenus dicta ſpectabant navem integram; varia adhuc, ſingulas ejus partes reſpicientia, quæque pro variis circumſtantiis in conſiderationem veniunt, ſequentes tractant *Sectiones. Tertia eam navis proprietatem, qua bene debet poſſe dirigi, tam ope gubernaculi, quam velorum,* pro objecto habet. *Caput I* malorum poſitionem, numerum, & æquilibrium inter vela proræ & puppis, conſiderat. *Caput II* in figuram navibus conciliandam, ut perfectiſſime ope velorum poſſint dirigi, inquirit; quam requiri talem, ut directio media reſiſtentiæ aquæ tranſeat per centrum grav. totius navis, oſtendit; hocque ex fundamento formam optimam navium variæ figuræ determinat. Sed fatendum, proprietatem hanc navis, ut bene poſſit dirigi, directe opponi ei, ut celeriter progrediatur; cum illa poſcat proram magis, hæc minus, latam. *Caput III* locum navis, in quo maximam habere debeat latitudinem, ut gubernaculo optime obedire poſſit, inveſtigat. Generalem hic tradit theoriam motus liberi rectæ pondere oneratæ; determinatque punctum, circa quod fiat converſio primo momento, celeritatem motus, & diſtantiam, in qua firmandum ſit pondus, ut celeritas angularis prodeat maxima; quorum ultimum uſui præſenti inprimis inſervit. Cum vero eam formam, quam hæc conſideratio exigit, navi conciliare non liceat, niſi aliis requiſitis contrariari velimus; ideo *Caput IV* inquirit, quomodo, navi actu conſtructa, tamen cognoſci queat, an proprietate illa ad ſufficientem ſaltem gradum gaudeat. Hic generatim de motu corporis, a pluribus potentiis ſollicitati, puncto nempe, circa quod primum fit converſio, & celeritate angulari, agit; quæ

omnia, principiis neceſſariis antea explicatis, *Caput V* ulterius
Pag. 509. deducit, & ad ipſas naves applicat. *Sectio IV eam navis proprietatem* reſpicit, *qua vela debet bene facere.* *Caput I* vim ſecundum directionem verticalem, ab impulſu venti ad vela & reſiſtentia aquæ oriundam, generatim contemplatur. *Caput II* varios ſitus, quos duæ hæ vires navi conciliare poſſunt, examinat; ſimulque de optima poſitione malorum quædam addit. *Caput III* principium generale pro determinanda altitudine, quam tribuere licet malis absque ſubverſionis periculo, maxima, tradit. Oſtendit nempe, ſi navis ſit ſtabilis, ſive ſi ſit æquilibrium inter potentias omnes, eam afficientes, momenta ponderis totius navis, & vis venti in vela, perfecte inter ſe æquari, etſi diverſis in directionibus. Quinam itaque ſit limes altitudinis malorum, ut pondus navis vi venti, illam evertere conanti, reſiſtere queat, *Cap. IV* definit, & ad naves variæ formæ applicat. Quæ forſan hic formari poſſent objectiones, diluere conatur *Caput V.* Præterea, quænam velorum dimenſio potiſſimum augenda ſit, nec ne, an malis ejus navis diverſas altitudines tribuere expediat, examini ſubjicit. Quomodo, navi jam conſtructa optima, inveniri poſſit malorum velorumque poſitio, vi præcedentium docet *Caput VI.* In definienda figura, navi ſecundum latitudinem tribuenda, ut optime vela faciat, & velociſſime moveatur, verſatur *Caput VII.* Proportionem vero longitudinis ad inventam latitudinem determinat *Caput VIII*, &, qua ratione maxime ſic
570. poſſit augeri navis velocitas, oſtendit. *Sectio V* denique *eam navis proprietatem* in computum ducit, *qua moveri debet celerrime*, e qua per ſe hanc aliam ſequi, *ut in curſu aliquo minime deviet*, jam ſupra diximus. Primo in figuram proræ, ut minimam a fluido experiatur reſiſtentiam, inquirit, quæ eſt celebris inter Geometras quæſtio. Solutiones ejus pro variis conditionibus ſolidi varias tradit *Caput I - IV*, easque generales & elegantes. Conditionem vero hanc porro Autor *Cap. V* & *VI* cum ea inprimis combinare ſtudet, ut navis bene vela faciat, quacum non ſine ſagacitate conciliari poteſt. Figuram, puppi inducendam, ut maximum a refluente aqua impulſum ſuſcipiat, deter-

determinat *Caput VII & VIII.* Speciatim vero figuras, quas navibus varii generis tribuere conducat, examinat *Caput IX & X*; hocque finem imponit ſuis diſquiſitionibus Cel. Autor. Quæ omnia niſi ita comparata eſſe fateamur, ut, facta debita eorum applicatione, perfectionem rei nauticæ exinde ſperare liceat haud exiguam, in veritatem ſimus injurii. Quo imprimis maximopere conducet, ſi, quas paſſim indicavit, experientiæ, fundamenti loco aſſumendæ, a viris, rei expertis, ſufficientique theoria imbutis, debita cum cura inſtituantur. Denique, ſi bonitas libri alicujus cum bonitate ſcriptionis & methodi haud adeo ſæpe pari paſſu ambulat, huic certe ubique utramque laudem æquali modo tribuendam eſſe, convicti fatemur.

TRACTATUS THEORETICO-PRACTICUS de Febribus, Autore ANTONIO FRACASSINI, Medico Veronenſi.

Veronæ, 1750, 4.
Alph. 1 pl. 7.

Principia curandarum febrium firma ſtabiliturus Autor, omnem Phyſiologiam, in quantum illa ad praxin febrium facit, luculenta ſcriptione proponit. De hoc argumento liber ſingularis agit. Corpus humanum ſolidis, ſuos humores coercentibus, & ab humore, dum transfluit, determinata ratione compulſis, conſtat. Humores, dum circumeunt, varia celeritate progrediuntur, nec ullus ex illis eſt, qui penitus quieſcat. Celerior eſt ſanguinis, celerrimus ſpirituum, circulus. Sanguinis ea eſt indoles, ut ex illo reliqui humores, diverſis vaſis circumducti, exſurgant, illique, niſi heterogenei ſunt, reddantur. Solvitur enim vi vitæ ſanguis in ſeroſum liquamen, hoc in lympham exit, & viciſſim, lympha ſanguini reddita, in ſerum, hoc in rubrum iterum coit ſanguinem. Serum, ferventi immiſſum, coagulabitur; eſt adeoque illi ſua ſingularis tenacitas. Oportet autem ſanguinem, minimas arterias tranſiturum, in compares iſtis anguſtiis globulos, id eſt, minimos, ſolvi; quam minuti autem iſti ſint, montes ta-

men-erunt, ſi cum minimo illo globulo, qui ſpirituum, per nervos excurrentium, pars eſt, comparentur; tanto etiam celerior eſt iſtius fluidi per ſua vaſa, diametrum ſenſibus imperceptibilem habentia, progreſſio. Similiter ex minimis, glutine, vel oleo, adunatis, ſicut analyſis chymica docet, concreſcunt ſolida, quorum conceptus ad fibram redit, quæ ductilis, cum varia tamen renitendi poteſtate, eſt, uti partes ipſæ plus minusve cohæſerint, varioſque duritiei gradus conſtituerint, ex illis membrana ſimplex, ex membrana ſimplici vas ſimplex & primum, quod, niſi unum ſubtilioris ſeri globulum, haud recipit, & in quibus propterea obſtructiones oriri nequeunt, ex vaſis ſimplicibus ejusmodi, membrana compoſita, ex illa convoluta vas compoſitum, & tamen minimum, contexitur. In iſtis minimis tranſitus humorum ſua natura eſt difficilis, difficilior futurus, niſi globuli ſanguinis ac ſeri ſphærici ſeſe in ellipticos, ſub ipſo tranſeundi conatu, transmutare poſſent. Dubitandum tamen magnopere eſt, an dentur adeo tenues arteriarum apices, tamque tenuia venarum oſtia, ut unicus ſaltem ſanguinis, vel ſeri, globus admittatur; hac enim ſtante ſententia, craſis & mutua diverſarum ſanguinis partium miſcela futura nullibi eſt. Putat tamen Autor dari, & in eo chyli mutationem, ut ſanguis fiat, conſiſtere, dum ſanguine crudior eſt, ideoque ad vas unum, ſanguinis globulum recipere valens, ingreſſurus, dedolatur & compingitur, ſicque in colorem, qui ex pinguis ſalinæ & terrenæ rei unione reſultat, rubrum ſcilicet, convertitur. Non diſſimilis eſt pulmonum actio in ſanguinem, qui, exilium vaſculorum congeries, partem nimis craſſam atterunt, dividunt, ac heterogeneam illam ſubſtantiam, quotidie ſanguini de novo adductam, nempe chylum, ejus craſſiores partes attenuando, ſubtiliores in globulos cogendo, ſanguini aſſimulant; quam pulmonum actionem aeris inſpiratio ſuo contra veſiculas pulmonales & vaſa arterioſa, ibi diſperſa, niſu multum juvat, ſinitque, ubi exſpiravit, ſanguinem, ita compreſſum, libere ad oſtia venarum pulmonalium procedere. Etiamſi autem aer in omnibus humoribus vitalibus eſt, ſicut experimenta inſtituta,

Digitized by Google

ta, ineſſe, docent, dum videmus, eundem, in vacuo *Boyleano*, ex ſanguine, bile, aliique liquidis vitalibus, proſici, magna tamen dubitatio ſupermanet, an ille ex pulmonibus ad ſanguinem iverit, an cum chylo illi adductus ſit. Oportet autem intus eſſe aerem, qui externo, nos ambienti, reſiſtat æqualiter. Eſt enim mira aeris gravitas, ut, ſubducta ratione, ſi aeris cylinder, unius pedis latam baſin habens, 1703 librarum pondus æquet, neceſſum ſit, humanum corpus plus quam 34 mille librarum pondus ſuſtineat, cui aeris preſſioni, per tot experimenta declaratæ, reſiſtit efficaciter internus pulmonum atque alius, qui cavis ſuo modo ineſt, aer. Accipit adeoque ſanguinem, ita compreſſum, ut globuli ejus minimo vaſi cuivis reſpondeant. Accipit illud primum motus ſui impetum ab influente per nervos ſpiritu. Nam, ſi nervus paris vagi ligatus eſt, aut moritur animal ſubito, aut flacceſcit inſigniter. Eſt tamen etiam in ipſis cordis fibris admirabilis, impreſſum ſibi motum continuandi, facilitas, ut corda etiam reſecta adhuc moveantur, etiamſi illis motor abeſt. Eſt autem in corde vis, quæ 3000 librarum pondus ſuſtinere valet, qua intenſiore facultate opus omnino eſt, cum omne vas minimum etiam minimo & uni globulo ſanguinis magnam ponat reſiſtentiam, quæ ſuperanda cordi eſt. Sicut ergo minimus arteriæ apex ad minimum ſanguinis globulum eſt; ita ille varia variaque ratione mutatur. Fiunt ergo ex ſanguine humores, aliquantulum textura diſpares, lympha, ſerum, alii. Poteſt quidem ſolus arteriæ apex ſine interjecto illi folliculo mutare ac ſecernere, uti varia ſecretionum, ſine apparatu glanduloſo peractarum, exempla docent. Major tamen futura eſt limpidiſſimæ lymphæ puritas, ſi illa porro, poſtquam effecta eſt, per glandularum folliculos, tanquam per filtra, transjicitur, & ſpirituum copia, illuc adducta, diteſcit. Eſt propterea præter cordis facultatem etiam determinata quædam vaſis omnibus flexilitas, durities, & elaſticitas, &, quo plus humoris transprimendi eſt, eo plus in contrarium arteriarum fibroſi nituntur orbiculi, quod in pulſus contrectatione *durum* dicitur. Oportebat etiam vaſa in transfluentem humo-

Digitized by Google

humorem efficacius agere, cum periculum, niſi ita fuerit, foret, ne langueſcat accepta a corde impreſſio, quam arteriæ, tanquam nova ubique corda, veluti acceperunt, ſervant, imo augent, quo, præter alios vitæ ſanæ effectus, fieri etiam poſſit nutritio. Subtilis hic movetur quæſtio, an de ſolidis aliquid decedat quotidie, illisque quotidie accedat aliud ſimile. Fieri hoc poſſe, recte negat Noſter. Si enim ſolidum quid eſt, contextum ita erit atque cohærens, ut, niſi vi, deteri haud poſſit. Quapropter nutritionis forma in ſolidorum extenſione, quantam illa capere poſſunt, quamdiu creſcunt, inque interſperſione fluidorum ad vacua, quæ ſolidis interſunt, loca, conſiſtit; ab eo autem tempore, quo ad incrementi ſummam ſolida iverunt, ſervant formam, quam habent, & quotidiana illius, quod abſumitur, quodque per vires accedit, mutatio ad rationes fluidorum, minimis ſolidis applicatorum, redit unice. Propterea vaſorum oſcillatio, expanſio ſcilicet & contractio, chyli particulas conterit & attenuat, ut illæ, etiamſi ſanguinis purpuram nondum induxerunt, id quod ſubita refectio docet, dotes vitales & ad nutriendum aptas acquirere tamen poſſint. Præterquam autem, quod ſolida in fluida agant, hæc in illa, eſt etiam inter ipſa ſolida vis reciproca, reſiſtentia, & æquilibrium. Sic cordis ſyſtaltica vis cum arteriarum reſiſtentia æqua lege ſtat. Sic inter vaſa ipſa, tam ejusdem, quam diverſi, generis, quædam veluti eſt, ratione niſus in uno, obſequii autem in altero, concordia ac conſpiratio, ut arteriæ ſeſe ad venas, hæ ad illas ſeſe, æqualiter gerant, nec alterum ſeſe ab altero vaſe ſuperari patiatur; a qua etiam harmonia, admirabilis ille partium corporis noſtri conſenſus, dependet, omnesque vitæ ac mortis, ſanitatis ac morbi, conceptus in eo poſiti ſunt, ut æquilibrium iſtud vel firmum ſit, vel flaccidum, vel ablatum penitus. Quamvis autem ad æquilibrii iſtius, inter ſolida ac fluida, inter ſolida etiam ac ſolida, ablati, rationes omnis morbi idea generatim revertatur; plus tamen hæc doctrina valet in febribus. De his *Liber* inſcriptus *alter* eſt. Vera febrium forma in pulſus determinata velocitate conſiſtit. Neque enim vel calor, vel frigus, de eſſentia febris ſunt, cum

hæc

hæc ſine illis ſit ſæpiſſime. Velocitas pulſus velocitatem motus cordis ac totius ſyſtematis arterioſi arguit; cum autem ſolidorum oſcillatio augeri, niſi fluida contenta illorum parietes diſpellant ac urgeant, haud poſſit, ideo fluidorum motus velox velocitati pulſus accedit ubique, ſi febris eſt, dum ſingulari contractioni cordis ſingularem ſanguinis jactum reſpondere oportet. Quoniam autem lentor humorum ſæpe depletionem cordis ventriculorum ſecum affert, ideoque velocitati adjuncta eſſe poteſt *parvitas*, uti, ſi expedita eſt projectio, *magnitudo*, ſicubi autem reſiſtentia materiæ adeſt contra vaſorum parietes ipſumque cor, *durities*, accedit, aut *inæqualitas*. Igitur febris, ſeu *ſolidorum ac fluidorum motus auctus*, contingit, quotieſcunque inter ſolida ac fluida æquilibrium tollitur, ſeu illa reciproca momenti proportio, qua ſolida agunt, in fluida & viciſſim fluida reagunt ac renituntur in ſolida. Mutatur inſigniter tolliturve ejuſmodi æquilibrium modo vitio ſolidorum, modo fluidorum, modo utrorumque. Vitium ſolidorum vel in atonia ac præternaturali imbecillitate, ob ſpiritus elatere deſtitutos, vel in eorum rigiditate, hinc majore contra cor reſiſtentia, ponitur, idque eo plus magiſque, quo plus ſua natura cordis augetur reſiſtentia, ſi in extremis minimiſque tubulis ſanguis eſt, ubi in proportione diſtantiarum puncta contactuum augentur, quo ipſo cordis vis intenditur hujus reſiſtentiæ ſuperandæ ſtudio. Fit etiam, ut, ſi poſt dilatationem arteriarum vehementior earum ſuccedit contractio, ultra ſuos terminos ſanguis ruber vaſa ſeroſa, hinc lymphatica, ſubeat, ſicut, id ita fieri, candidiſſimæ oculi tunicæ inflammatorius rubor docet, unde, propter attritum in vaſis anguſtiſſimis ortum, calorem oriri oportet, ruborem hinc ac tumorem, ruptiſque inde vaſis, gangrænam, idque eo plus magiſque ac nocentius fiet, quo plura ejuſmodi vaſa minuta repleta ſunt, quoque in nerveæ magis compagis membranis tranſitus in peregrina vaſa, vel certe in minimos arteriarum apices, rubro ſanguini haud reſpondentes, facta fuerit. Eo autem difficilior eſt ſanguinis ex iſto labyrintho reditus,

Digitized by Google

ditus, quo tenacior ille fuerit. Quare in febre, ſi quæ a cacochymis ſuccis accenditur, ipſæ etiam excretiones, quæ ſalutem afferre debebant, langueut, ac ſæpe deficiunt. Accedit ex inæquali ſanguinis ad cerebrum appulſu inordinata ſpirituum ſecretio, quæ ſolidarum partium elaſticitatem modo auget, uti ſit in ſpaſticis viſcerum affectibus, modo minuit. Aſſumta eſt ab Autore febrium, uti illæ vel continuæ ſunt, vel intermittentes, diviſio, ſiquidem vera continens, cujus momenta omnia ubique ſunt æqualia, vix ita eſt, ut non illi, etiamſi ex ardentibus contumacior fuerit, aliquid remiſſionis intercedat. Continuas diſpeſcit in ſimplices, eundem ſervantes typum, & compoſitas, quibus, etiamſi apyrexia haud adeſt, nova intercurrit, cum horrore, ad modum intermittentium, exacerbatio, unde etiam hemitritææ dictæ ſunt. Ex ſimplicibus mitior eſt ephemera, quæ ſuas ætates, a parvo quodam horrore intra diei ac noctis ſpatium, percurrit, & determinatis horis illud, cum mitiore aliqua cordis contentione, experitur, quod aliæ diebus criticis habent, ut, poſtquam emota penitus materies eſt, per competens aliquod organon illa ejiciatur. Sed, ſi ad ſeptimum diem febris durat, ſynochus eſt, acuta ſane, breviter, ſed ſine periculo, decurrens, ſi regularis eſt. Hæc, ſi ſtatim ab initio viget, *acmaſtica*, ſi lento gradu ſenſim incaleſcit, *epacmaſtica*, ſi, poſtquam ſtatim viguit, decreſcit etiam ſubito, *paracmaſtica*, appellata eſt a veteribus. Equidem & *cauſos*, aut ardens, febris brevior eſt, & ſeptimum diem vix excurrens, ſed ſummo cum periculo brevitas iſta conjungitur, cum calor ſit ardentiſſimus, reſpiratio ſumme anxia, ſitis, inquietudo. Hanc a bile eſſe, fæces albæ & urina rufa ſatis ſuperque indicant; unde etiam bilioſa haud male multis audit. Recte etiam malignas febres ab ardentibus diſtinguit, cum cura ſit diſpar. Notat autem, probe perſpiciendum eſſe, an vere maligna febris adſit, taxatque illos, qui, quicquid in febribus grave & ſymptomatibus acrioribus confertum eſt, ſtatim malignum appellant, adeoque ſeſe, hac opinione inducti, a præſtantiſſimo venæſectionis uſu detineri patiuntur.

Quare

Quare malignitatem febrium in ſumma virium proſtratione collocat, cum nec calor intenſus, nec pulſus celer, ubique in malignis adſit. Has præterea, ab exanthematis diverſitate, œdematodeas, phlegmonodeas, eryſypelatodeas, & ſic porro, nominare ſolent, quarum ſumma illa & perniciosiſſima, peſtis eſt, cujus, ſimulque omnium in vulgus graſſantium febrium, indoles, ipſiusque contagii natura, expenditur quam curioſiſſime. Affines his ſunt inflammatoriæ, quæ ſanguini, alicubi in minimis quieſcenti, ſuperveniunt, & *ſymptomaticæ* ab Autore appellantur, qui etiam morbillaceas ac variolaceas in hoc ordine ſiſtit, omnesque alias, quæ alicui inflammatæ parti ſuperveniunt. Ex his quædam propter ſymptomatum ſingulorum aliquam rationem diverſo nomine gaudent. Si ſanguis majore impetu per vaſa majora cordi vicina fertur, languidus autem procedit per minima, ut tunc æſtus intus ſit, extus corpus frigeat, Lypyria eſt, ſæpe ſymptomatica, ſi ventriculus atque inteſtina inflammata ſunt, nec quidquam *Aſſodem*, ſeu anxiam febrem, ab hac Lypyria diſtinguit, niſi ſumma anxietas, & lectum mutandi deſiderium. Colliquativam febrim appellat, non illam forte hecticam, aut tabificam ac tardam, ſed illam velocem, qua brevi temporis ſpatio fluida corporis ſudoribus diſſipantur. *Epialam* appellat illam febrem, intra quam frequentes ſunt caloris ac frigoris viciſſitudines, ſæpe etiam ſynchronos frigoris quoad interna, caloris quoad externa, ſenſus. *Typhodes* ab inflammato hepate illi dicitur. Demum periodicas febres nominat illas, quas intermittentes appellare vulgo ſolemus. In generali illa febrium idea æque ac conceptu de ſingulis ſingulo, a rigore demonſtrationis mechanicæ & hydraulicæ nunquam diſcedit; anatomica ſeveritate viſcerum affectus, unde febris eſt, recenſet, ſpirituum vim atque efficaciam ubique allegat, tempora febrium bene ordinat, excretiones criticas ſuis addicit organis, prognoſin ſagaciter format, therapiam caute inſtituit, temeritatem caſtigat, aſt ignaviam medentium & hæmophoborum, a *Galeno* ita compellatorum, quod illi ſanguinem ex vena du-

 cendum

cendum metuunt, arguit, regimen calidum prorſus damnat, & talem ubique ſeſe exhibet, quales eſſe oportet ſcriptores, perſpicuum, ordinatum, conſtantem, nulli ſectæ addictum, virum ſane eruditum. Nobiscum ſentient, quicunque aliquot ſaltem pagellas legere voluerint; quo facto, ad librum totum hauriendum excitabuntur certiſſime.

MARMOR SANDVICENSE, CUM COMmentario & Notis JOANNIS TAYLORI, LL. D. Collegii D. Joannis Cant. Socii.

Cantabrigiæ, typis Academicis, 1743, 4.
Plag. 14, cum duobus foliis ære expreſſis.

Nomen *Taylori*, Viri a Græci ſermonis rerumque Græcarum peritia jam dudum celeberrimi, nobis, primum videntibus hanc Commentationem, faciebat ſpem lautarum eruditionis dapum; neque fefellit opinionem noſtram ipſe libri ſplendidiſſimi uſus atque lectio. Certe præſtitit hic vir omnia, quæ poterant ab homine tam docto in re tam difficili pariter atque illuſtri exſpectari. Ex breviſſima Præfatione diſcimus, quare marmor hoc, *monumentorum*, ut appellat, *fere omnium, quæ hodie leguntur, & literarum genere, & novitate exarandi, & certiſſimis vetuſtatis indiciis, longe commendatiſſimum*, ipſi placuerit Sandvicenſe appellare. Nimirum Illuſtriſſimus & Prænobilis vir, *Joannes* Comes *de Sandwich*, Vicecomes *de Hinchinbroke*, Baro *Montague de Fano S. Neoti*, Athenis illud A. 1739 peregre rediens in Angliam ſecum advexit, in ære deinceps quam accuratiſſime deſcriptum, & *Taylori* noſtri obſervationibus illuſtratum, habere voluit. Multum porro, profitetur Noſter, ſe debere in adornando hoc Commentario humanitati & ingenio Viri doctiſſimi, *Thomæ Dampier*, Collegii Regalis Cantabrigienſis Socii, & *Jacobi Merrik*, Oxonienſis, *eximii juvenis, & ſingulariſſima in cultioribus literis maturitate.*

tate. Nusquàm tamen, quantum meminimus, indicat, ipſorum nomina citans, quas eorum cuique debeat obſervationes. Præfationem excipit ipſum marmor, in duobus ingentis formæ foliis ære expreſſum; quorum prius anticam faciem, poſterius poſticam, exhibet. Sequuntur duo folia, quæ typis literarum vulgaribus quadratis idem marmor cum lacunis ſuis conſpectui ſiſtunt. Tandem literis, quibus communi vulgatoque more ſolent libri exprimi, minoribus cum oppoſita Latina interpretatione ſiſtitur. Hunc apparatum excipit Diſſertatio epiſtolaris ad Comitem Sandvicenſem, qua generatim excutiuntur & declarantur, quæ ad intellectum hujus monumenti faciunt, ut de ætate ejus, & ſcripturæ formis atque rationibus, Deliacis ſacris, pecunia vetere Attica, numerorum vetuſtis ſignis, Amphictyonum collegiis, &c. Hic Commentarius ad *pag*. *50* usque excurrit. Inde notæ ordiuntur, in quibus ſingulas monumenti dictiones ad examen vocat, & lacunas explere magna cum doctrina & felice ingenio tentat Autor, usque ad *pag*. *88*. Totam opellam claudit Index. Hæc eſt in univerſum docti hujus opuſculi facies. Jam, ſpeciatim amœna hæc vireta peragrantes, carpamus inde lætos egregiæ flores eruditionis.

Primum *pag*. *3* exponit modum ſcribendi, quo marmor hoc exaratum eſt: nimirum quod ſit ſimul στοιχηδὸν, &, ut ita dicamus, στηληδὸν ſcriptum, ita nempe, ut lineæ in directum procedant, nulla tamen linea literarum numero alteram excedat: ſed ſuppoſitorum verſuum literæ ſuperpoſitis exacte ſubſtratæ ſint; quod multum juvat in ſupplendis lacunis. Hac enim ratione intelligi poteſt, quot literæ deſint. Simul vexatum illum *Feſti* locum in ΤΑΕΡΟϹΟΝ tentat, & pro corrupto illo vocabulo conjicit ΤΟ ΕΞ ΟΡΘΟΝ legendum eſſe, loco, quem citat, *Diodori Siculi* inductus. Valde tamen dubitamus, ut hac medicina laboranti loco ſatisfactum ſit. Inde tranſit ad declarandam hujus monumenti ætatem, & argumentum. *Anno*, ait, *Olympiadis CI tertio, aut quarto, exaratum eſſe novimus. Complectitur enim rationes, quas Triumvi-*

ri Athenienſes Amphictyonica poteſtate rerum religionumque, in Delo celebratarum, ſub Prætoribus Callia, Chariſandro, Hippodamante, & Socratide, concluſerunt, & in tabulas publicas retulerunt, ei rei quaſitores dati. His verbis Cl. *Taylorus* argumentum hujus monumenti exponit. Age vero, paulo clarius illud atque diſtinctius percenſeamus. Prima ſua facie, poſt notatos tam Athenarum, quam Deli, Archontes, eorumque ſcribas, indicat, quæ urbes (ſunt autem illæ potiſſimum de numero inſularum Cycladum) τȣ̃ τόκȣ ἀπέδοσαν, id eſt, partem pecuniæ, tributi, aut alio quocunque, nomine debitæ, præſtiterunt in eum annum, aut panegyrin Deliacam; & quantum earum unaquæque; una cum ſumma, quæ ex omnibus, in unum computum coactis, conficitur. Deinde leguntur hominum privatorum nomina, qui pariter ſuis ſe nominibus exſolverunt. Quid porro e mulctis, e locationibus agrorum atque domuum, *Apollini Delio* ſacratarum, in fiſcum fuerit importatum. E ſingulis confecta ſumma ultimo loco ponitur. Poſtea enumeratur, quid & quantum de his reditibus, in coronam donariam *Apollinis*, in chororum præmia, id eſt, tripodes, & eorum artifices inſumtum & expenſum fuerit; quid in τὰς ἀρχιθεωρὰς, id eſt, θεωρίας, ſive ſacræ in Delum legationis duces; quid in τῶν θεωρῶν, ſeu ſacrorum in illam inſulam peregrinatorum transvectionem; quid in boves, ſeu victimas, illi religioni deſtinatas; quid in folia corollarum deauranda, quæ victimis appendi ſolebant, & in deauranda earum cornua; quid in τὰ προθύματα, & alia ſacrificiorum accidentia; quid in trajectum tripodum & boum; quid in ſupellectilem nauticam, huic expeditioni neceſſariam. Averſa vero facies hujus monumenti declarat, quæ respublicæ & quantum de ſuis nominibus non expunxerint; quæ prorſus officio ſuo defuerint, nihil omnino dantes; qui privati fiſco manſerint obnoxii; qui fuerint impietatis in ſacra Delia convicti, & mulctæ addicti; & tandem, ut nos conjicimus, quanti fuerint reditus ærarii *Apollinis* Delii (aut quanti certe non fuerint præſtiti) ex domibus privatis & aliis ædificiis, iſti

Nu-

Digitized by Google

Numini conſecratis. Nam in hac extrema faciei averſæ parte magis, quam alibi, mutilum & lacunoſum eſt hoc monumentum.

Sed procedimus in luſtrando *Taylori* doctiſſimo Commentario. *Pag.* 6 obſervat, inde, quod in hoc monumento Καλλέας nominetur Archon, qui, recepto in libris editis more, Καλλίας audit, veteribus ε pro ι fuiſſe in uſu; quod appareat ex eo, quod ἀρχεθεωροῖς & Ἰκαρέων hic legatur, pro uſitato ἀρχιθεωροῖς & Ἰκαρίων. Veteribus ε ſimplex vicem ει geſſiſſe, & Latinos quoque ſic *Leber*, pro *Liber*, *Menerva* pro *Minerva*, &c. dixiſſe. E quoque pro H inſerviiſſe, probat. Eſſe marmor hoc illo Sigæo, βυςροφηδὸν exarato, poſterius, & inſtitutam ab *Euclide* Archonte literaturam exhibere, ut quo viginti fere annis recentius ſit. Quod autem Noſter *pag.* 7 dicit, in hoc marmore nunquam ω occurrere, ſed ejus loco ο, (modo recte ceperimus ejus mentem.) non videmus, qui ſic pronuntiare potuerit, cum in eo non ſemel ω, & in ipſa primæ faciei linea prima & quarta palam, conſpiciatur. Elegans eſt, quod obſervat de ο, quod veteribus fuerit pro ȣ ſcripta. Unde locum *Apoſtolii* emendat, forte ab ipſo Autore, vetuſtiorum Autorum transſcriptore, aut certe a librariis & interpretibus, male acceptum, & prorſus non intellectum. *Philoxenus*, Poeta Tragicus, a *Dionyſio* tyranno fuerat in latomias conjectus. Unde cum evaſiſſet fuga, & revocaretur, ſed parere nollet, λαβὼν χάρτην καὶ κατὰ μέσον γράψας μικρὸν ȣ· περὶ τȣτο μεῖζον περιεχαράττεν - - πλήσας τȣτων πάντων τὴν χάρτην. Scribendum pronuntiat Noſter μικρὸν ο certiſſima emendatione. Non enim poteſt uni ȣ alterum circumſcribi. Sed ο parvo poteſt quidem aliud majus, & huic rurſus majus, & ita porro, tanquam circuli concentrici. Maculam hanc quidem eluit doctiſſimus Vir ex *Apoſtolio*, (& eandem quoque ex *Plutarchi* libro de garrulitate,) ſed unam reliquit, levem tamen, & minoris, quam illa, momenti. Scribendum enim πλήσας τȣτων πᾶσαν τὴν χάρτην. *Pag.* 9 declarat, quare ψιλὸν vocetur, nempe reſpectu ad υι habito.

Pag.

Digitized by Google

Pag. 10 diſtinctius, quam ſupra fecerat, argumentum marmoris pertractat. *Pag.* 11 de imperio Athenienſium in inſulam Delum agit; *pag.* 13 de feſto pentaëterico, ſeu quod ſingulis quatuor annis elapſis, & quinto ineunte, in orbem rediret; *pag.* 16 figit æram, qua intermiſſa diu ſacra Deliaca, poſt factam inſulæ luſtrationem, Athenienſes rurſus inſtituerunt, & ſimul emendat *Thucydidis* locum *V*, 1, in quo *ἱερᾶσθαι* pro *ἱερῶσθαι* reponit, & Latinum interpretem, qui locum iſtum ſiniſtre acceperat, & alieniſſima facie ſpectandum exhibuerat, in viam reducit. *Pag.* 17 evincit, *Niciam*, ſplendidum illum *ἀρχιθεωρὸν*, non primam, neque ſecundam, ſed tertiam ab inſtauratis ſacris Deliacis, theoriam duxiſſe, nempe anno Olymp. XC tertio. De fatis, quæ ſub Athenienſium poteſtate ſubiit Delus, agit in ſequentibus. *Pag.* 21 diſputationem de re numaria Athenienſium, notisque, quibus ad deſignandas pecuniæ ſummas utebantur, ingreditur. Difficile opus, & negligenter a viris doctis tractatum. Docet, literam T notare talentum; idque ſignum toties repetitum, quot notare talenta volebant, ubi deeſt numerus (ut Arithmetici loquuntur) denominator, intelligi debere drachmas, notam unitatis eſſe I Jota, a veteri *ἶς ἴα*, (pro *εἷς, μία, ἓν*,) notam pentadis eſſe Π, decuriæ Δ pro integro *δέκα*, notam vicenarii duplex Delta, tricenarii triplex, quinquagenarii Π, quod in ambitu ſuorum crurum medium Δ complectitur, in hunc modum |Δ|, quaſi *πεντάκις δέκα*, aut *δέκακις πέντε*, centenarii Η, primam literam, ex vetuſto ſcribendi more, vocis *ἑκατὸν*, (veteres enim pro adſpiratione Η ſcribebant,) millenarii Χ, principium vocis *χίλιοι*: ubi quingenta volebant ſignare, ſcripſiſſe |Η|, ubi quinque millia, |Χ|, id eſt, *πεντάκις χίλια*, ubi decem millia, Μ, id eſt, *μύρια*, & ſic porro. Deinde ſolidis demonſtrat argumentis, ubi deſit denominator, ſemper drachmas intelligendas eſſe. Has enim fuiſſe monetam, in vita communi & mercimoniis uſitatam; cum talentum moneta cuſa non fuerit, ſed ſumma quædam, tantum in hominum animis exiſtens, quemadmodum e. c. in Germa-

nia,

Digitized by Google

nia, cuſa moneta non eſt *ein alt Schock*, aut in Belgio, *een Sakje Seſtebalven;* in commerciis tamen frequentes ſunt, & a quovis, quantum valeant, intelliguntur. Quam rationem drachma ad aſſem Romanum habeat, quid ſit ſeſtertium, quantum differant τρίτον ἡμίδραχμον & τρία ἡμίδραχμα, docet. De proportione pretii rerum, ejus, quod tempore *Solonis* obtinebat, ad tempus hujus marmoris, & *Menandri* poſterioris, erudite & ſubtiliter diſputat. Non poſſumus harum elegantiarum ſpecimen Lectori dare; nimis enim multa afferenda eſſent, & aliquibus forſan, ob adhibendam attentionem animi & ἀκρίβειαν, integra. Remittimus ergo harum rerum cupidos ad ipſum, quem recenſemus, librum doctiſſimum. His expeditis, inquirit Autor, quid ſit hæc figura ⊦, quæ in ſummis ultimo loco addita, paſſim in hoc marmore conſpicitur. Credit, ea obelum notari. Vetuſtiſſima enim moneta rotunda non erat, ſed, ut obelus, id eſt, veru, oblonga, acuminata. Hac occaſione ad diſputationem de Digammate Æolico, de daſeia, quam Dores abſque diſcrimine vocibus præponere ſolebant, de origine ſignorum, in libris noſtris frequentium, adſpirationis, & lenitatis, (ut ita dicamus,) de tribus novis literis, a *Claudio* Imperatore in linguam Latinam invectis, &c. delabitur. De duabus earum literarum conſtat inter eruditos, quod fuerint inverſum Digamma Æolicum Ⅎ & Ɔ Antiſigma, ſeu Græcorum Ψ. Tertia, obſcurum eſt, quænam fuerit. Putat Noſter, fuiſſe literam enuntiandi ratione inter I & V, vel U, mediam, ut in *optimus* & *optumus*, *maximus* & *maxumus*, *mancipium* & *mancupium*, &c.

Inter hæc definit Commentarius in hoc marmor generalis, dignus lectu, bonæque frugis plenus. Inde ad ſingularia marmoris momenta in notis conſideranda procedit. Scripturæ compendium, quod in fronte gerit marmor, Ε Θ exponit per *εὐσεία θεῶν pag. 50. Pag. 15* emendat marmor Græcum, quod in *Gruteri* Corpore *pag. CCCCV*

 legitur.

Digitized by Google

legitur. *Pag. 52 ſeq.* de collegio Amphictyonum, & quam ob rem inſtitutum fuerit, diſputat, monſtratque, non illud in Græcia tantum, ſed etiam in Aſia, apud Iones pariter atque Dores, imo & in magna Græcia, & præcipue Calabria, ſediſſe. *Pag. 56* obſervat, ex eo, quod parare Deli ad hæc ſacra debuerint convivia, peritos eos rei coquinariæ evaſiſſe, & pleroſque nomina culinaria accepiſſe. *Pag. 57* docet, Amphictyonicam poteſtatem non fuiſſe perennem, ſed ambulatoriam, & quadrienniis definitam. *Pag. 58* de ἐυφημισμῷ Athenienſium agit; *pag. 59* de δήμοις eorundem; *pag. 62* de ſignificatione vocis τόκος in hoc marmore. Ibidem ſancit ex hoc marmore, verum nomen inſulæ, quæ vulgo male, ut putat, *Scyros* audit, Syros eſſe, & ſic ubique reſcribi debere; quemadmodum jam in *Scylace* Caryandenſi ſit evictum. *Pag. 64* obſervat, ad illa ἐξ Ῥηναίας, veteres non ſemper ἐκ dixiſſe, ubi proxime conſonans fuerit ſecuta, ſed etiam ἐξ: ſimulque locum *Theocriti XXII, 30*, emendat ex *Etymolog. M.* ἀμφοτέρων ἐξ τοίχων, ubi in vulgatis ἐκ legitur. *Pag. 66* formulam, στέφανον ἀριστεῖον, *coronam donariam*, multis aſſerit & illuſtrat Autorum locis. *Dionyſii Halicarnaſſenſis* locum *Antiqu. VIII, 29*: ἐκ ταύτης τῆς μάχης, ἀριστείοις ἀνεδέμην ὑπὸ τοῦ στρατηγοῦ στεφάνοις, a Criticorum vexatione vindicat. *Pag. 67* notat, nihil magis conſueviſſe inter antiquos retro citroque dono dari, amicitiæ, benevolentiæ, & ἀνδραγαθίας, cauſa, quam tripodes, &, quid ſint tripodes, explicat. An vero ex ſolo, quem allegat, *Herodoti* loco evinci poſſit, quod victor, talem tripodem nactus, domi eum non ſervare, ſed Deo dedicare, debuerit, in dubio relinquimus. *Pag. 69*, formulam ἐν Διονύσου, docet, *in fano Bacchi* notare, non *in feſtis Bacchi*, quemadmodum acceperunt interpretes *Plutarchi*. *Pag. 70* egregie docteque obſervat, verbum διδάσκειν in marmoribus aut nunquam, aut raro, idem illud ſignificare, quod in veterum Comicorum & Tragicorum

rum

rum didaſcaliis ſolet, nempe διδάσκειν δρᾶμα, *fabulam docere*, id eſt, exhibere, producere, ſed chorum docere, ſeu ducere, producere, moderari; quod non animadverſum interpretes marmorum a *Fulvii Urſini* inde ævo in errorem induxit. *Pag.* 72 de θεωροῖς, & eorum variis generibus, ut πυθιασταῖς, δηλιασταῖς, ἁμαλλοφόροις, & ſummo duce, ἀρχιθεωρῷ, ejusque & τριηράρχου, qui dignior & illuſtrior erat magiſtratus, differentia; *pag.* 75 de more, victimarum cornua inaurandi, & de bracteatoribus atque inauratoribus, agit. *Pag.* 76 demonſtrat, donaria & ſtatuas, quæ a vetuſtis ſcriptoribus auro ſolido fuiſſe dicantur, ideo tamen non fuiſſe niſi bractea, aut, ſi multum, craſſiore lamina aurea, ſuperinductas: πεταλα χρυσᾶ refert ad corollas chororum, inaurari ſolitas. Poſſet etiam ad corollas victimarum referri. *Pag.* 77 docet, quid ſit προθύματα; *pag.* 78, quid πεντηκοστή, πεντηκοστολόγος, πεντηκοστολόγιον, ἐλλιμενιστής, ἐλλιμένιον, nempe portorium, ſeu vectigal, quinquageſima pars, omnibus mercibus impoſita, quæ Piræeum appellerent. De publicanis diſſerit. Emendat locum *ff. l.* 9 *de Publicanis.* Nam pro vulgato *inflavit* (in illis: *calor licitantis ultra modum ſolitæ conductionis inflavit*) jubet *inflammavit* reponi. Quid porro licuerit efferri, quid minus, declarat. Inter ἐκ ἐξαγώγιμα recenſet frumentum & ligna, eoque ex capite locum *Theophraſti* in *Characteribus Cap.* 23 ſcite explicat: περὶ διδομένης τῷ ἀλαζόνι ἐξαγωγῆς ξύλων ἀτελοῦς. *Pag.* 80 ſic ſupplet manca fragmina: πεντηκοστὴ καὶ τροχηλία . . . . . . καὶ ξύλων τίμη (ſic ſemper ſcribit hanc vocem; incertum quare,). Τροχηλία eſt illa machina ſublevandis & transferendis oneribus, quæ alias geranium appellatur. Non poſſumus evidenti argumento hanc conjecturam infringere. Non tamen videmus, cui bono debuerint talem machinam Athenis in Delum ſecum in navibus transferre. Procul dubio talem ſtabi-

lem in Delo habebant. Nobis, hunc locum prima vice legentibus, incidebat, forte ſermonem ibi fieri περὶ τροπωτήρων, ſeu de loris illis, quibus remi ſolebant ad ſcalmios alligari, neceſſario rei navalis apparatu, ut patet ex illo celebri *Thucydidis*: κώπην καὶ ὑπερέσιον καὶ τροπωτῆρα. Conf. memorabilis *Ariſtophanis* locus *Acharn.* 548. Difficile eſt, in locis tam ambiguis verum cernere. *Pag.* 83 ſupplere ſtudet lacunoſum locum, idque ſic egit, ut, qui poſt eum hoc ſaxum volvent, iis relictum eſſet, ubi ſolertiam intenderent. Et nos certe nos impares fatemur reſtituendis illis, quæ doctiſſimi Angli acumen vicerunt. Ultimo tandem loco demonſtrat, etiam Delum habuiſſe ſuos ſibi proprios Archontes, & refutat aliquos, ſecus ſentientes.

Hæc fere ſunt præſtantiſſimi hujus opuſculi argumenta. Optandum erat, multa exſtare in hoc literarum genere, pari cum eruditione elaborata & prodita. Optandum quoque, a doctiſſimo Viro cetera, quorum ſpem fecit, ut *Demoſthenis* & *Lycurgi*, Oratorum, editiones, & Corpus Legum Atticarum, quantocyus publica luce donari.

TRE LETTERE DEL SIGNOR MARCHESE SCIPIONE MAFFEI etc.

hoc eſt,

TRES EPISTOLÆ MARCHIONIS SCIP. MAFFEI, prima de primo Tomo Dionis, nuper edito, ſecunda de novis excavationibus, Herculanei factis, tertia de initio magnæ Inſcriptionis, in agro Placentino effoſſæ.

Veronæ, ex typographia Seminarii, 1748, 4.

Plag. 5.

Ut ex ipſa libelli hujus inſcriptione patet, Illuſtriſſ. Marchio *prima Epiſtola*, ad *Hieronymum Lagomarſinum*, e Soc. Jeſu, quæ Florentiæ eſt, ſcripta, de nova, a *Falconio* edi cœpta, *Dionis* editione exponit. Illuſtriſſimus Vir longo abhinc tempore conſilium *Dionis* edendi iniit, ac inprimis conſtituit, novam editionem accuratiore, quam qua adhuc uſi ſumus, verſione adornare, addereque tam *Valeſii* excerpta, quam quæ *Fulvius Urſinus* ex Vaticano *Dionis* fragmento in lucem ediderat publicam. Quæ de *Xiphilino* habemus, ad meliorem reducere ordinem inſuper ſibi propoſuerat, atque fragmenta optimi hujus ſcriptoris ex Scriptoribus Byzantinis comportare. Dum hæc agebantur, accidit, ut Illuſtriſſimus Marchio a *Muratorio*, quem itinere per Mutinam facto ſalutabat, audiret, Romæ doctum quendam virum benigniori fortuna XXX, adhuc deperditos, Autoris hujus Libros inveniſſe, huncque eſſe jam in eo, ut illos una cum ceteris in publicam emitteret lucem. Ex itinere ad patrios Lares delatum Marchionem ſatis confirmabant ipſæ, quæ abſente eo perlatæ ad ipſum fuerant, literæ Abbatis *Nicol. Falconii*, ipſius viri, cui fortunam tam inſignem theſaurum indulſiſſe, brevi ante a *Muratorio* edoctus fuerat. *Falconius Maffeum* orabat, ut ejus commendatione librarius utiliſſimum hoc opus typis deſcribendum ſuſciperet; hic vero, omnia ſeſacturum, ultro ſpondebat, illumque, ut volumen manu exaratum mitteret, hortabatur. Neutiquam id fiebat; ſed prodibat contra in conſpectum publicum libellus, ita inſcriptus: *Caſſii Dionis ultimi Libri tres reperti reſtitutique*, qui omnem adhuc conceptam *Maffei* aliorumque ſpem fallebat. Exhibebantur in illo neutiquam deperditi, quos inveniſſe ſe, *Falconius* ille gloriatus fuerat, *Dionis* Libri, ſed fragmenta aliquot & breviſſimæ ſectiones, plurimam partem ex iis, quæ *Fulvius Urſinus* jam ex Vaticana Bibliotheca hanc in rem ediderat, deſcriptæ. Quod caput rei eſſe videbatur, Pag. 5.

 ipſe

ipſe *Falconius* ſeſe eum, quem fore ſe, non ſine fuco oſtenderat, in hac fragmentorum editione nequaquam præbebat. Linguæ Græcæ optime peritum eum haud eſſe, ſatis apparebat, luculentius vero poſtea id Celeberrimus Hamburgenſium Philologus, *Henr. Sam. Reimarus*, monſtravit, quod Illuſtriſſ. Marchio libens fatetur, non tamen negat, in aliquot *Falconio* objectis erroribus injuriam *Falconio* factam fuiſſe. In judicium deinde vocat nonnullas *Reimarianas* emendationes, quarum percenſione occaſionem ſibi facit, de ornamentis conſularibus ac de Conſulatus Romani ſtatu ac conditione tempore priorum Imperatorum, nonnulla in medium afferendi. Conſultius actum fuiſſet cum *Falconio*, ſi omne conſilium edendi *Dionis* abjeciſſet. Res potius eo deducebatur, ut ille re ipſa novum, cujus ſpem fecerat, & quod pro deperdito adhuc putatum fuerat, *Dionis* volumen in lucem educeret. At quæ, quæſumus, *Dionis* facies, quam *Zonaræ* potius, aut *Plutarchi*, mutilati dixeris! Manifeſte tum fraus retegebatur: *Falconius* amiſſos libros ipſe ex *Zonara*, *Plutarcho*, exceptis *Valeſianis*, cet. ſine omni judicio compilaverat, eo animo, ut pro ipſo *Dionis* labore haberentur. Quaſi non potuiſſet honori ſuo melius conſulere, *Freinshemium* imitari, & Supplementa *Dionis* ex modo dictis Græcis ſcriptoribus conficere.

Epiſtola ſecunda ad Reverendum Patrem Venetum,
Pag. 26. *Bernardum de Rubeis*, ſcripta eſt. Mittit ipſi Illuſtriſſimus Marchio triginta, nuper inventas in Herculanei ruinis, Inſcriptiones, ab Illuſtri Marchione *Pindemontio* deſcriptas. Plurimæ earum paucis quidem conſtant verbis, produnt tamen optimum, maxime *Auguſti*, ac, qui proxime ſecuti ſunt, Imperatorum, ævum, ob ſingularem inprimis, quæ effulget, ſimplicitatem, maxima cum elegantia ac majeſtate conjunctam. Notiſſima illa, quæ adhuc multorum Criticorum ingenia defatigavit, *Nonii Balbi* inſcriptio ita exhibetur:

M. NO-

M. NONIO. M. F.
BALBO. PR. PROCOS
HERCULANENSES.

Inprimis de eo haud levis afferri poteſt quæſtio, quomodo *Balbus* Prætor ac Proconſul Herculanenſium eſſe potuerit, cum ſatis ſit cognitum, ante *Conſtantini* tempora nullam in Italia præſidialem poteſtatem locum habuiſſe. Negat Illuſtriſſimus Marchio, munia hæc, quibus perfunctus *Balbus* noſter dicitur, ad Herculanenſes ſpectare, atque obſervat, honorum titulos, in Inſcriptione memoratos, *Nonium* Herculanei geſſiſſe ab antea adminiſtratis muneribus, Prætoris pariter ac Proconſulis, illo nimirum Romæ, hoc vero in aliqua ſine dubio, ad quam gubernandam Roma miſſus fuerat, provincia. Cretam iſtam fuiſſe, ſibi perſuadet, ipſum vero *N. Balbum* forſitan eum eſſe, cujus *Dio Caſſius* ad initium *Libri L* mentionem fecerit. Addit *Suetonium*, qui *Vit. Aug. Cap. 43* de *Balbi* noſtri gente quædam memoriæ prodidit. Felicem porro prædicat noſtram, in quam inciderit, ætatem, ob tantas fortunarum acceſſiones, quas Muſæ & literarum ſtudia ex Veſuvii cineribus ſibi comparaſſent. Longe majora incrementa ſibi promittit, ſi regio juſſu tota illa, ubi tot præſtantiſſima antiquitatis monumenta reperta ſunt, vicinitas exploraretur, ac terræ viſcera ibi ubivis ſuffoderentur.

Tertiam Epiſtolam ad mortuum ante quoddam tempus Virum Celeberrimum, *Apoſt. Zenum*, miſit Cel. Marchio, atque in iſta prima verba Inſcriptionis, omnium, quæ adhuc poſteris indulſit benignior fortuna, longiſſimæ, explicat. Satis notum eſt, maximas, quas adhuc habuimus, ejusmodi Inſcriptiones fuiſſe illam Lugdunenſem, cui *Claudii* oratio in ſenatu pro civitate, Lugdunenſibus danda, inciſa eſt, atque eam, quæ Romæ aſſervatur in Muſeo Farneſiano, ac leges Romanas complectitur. Superat vero utramque magnitudine ac granditate ænea illa, quæ in agro Placen- Pag. 41.

tino

tino paucis abhinc annis inventa, & a Cel. *Murato-rio Tom. V Symbolar. literar.* Cel. *Gorii* illuſtrata eſt. Quæ ad illam explicandam ab Illuſtriſſ. Marchione in medium afferuntur, ſpectant ad hæc prima illius verba: *Obligatio prædiorum ab HS deciens quadraginta quattuor milia, ut ex indulgentia optimi maximique principis, imp. Caeſ. Nervæ Trajani, Aug. Germanici Dacici pueri puellæque alimenta accipiant legitimi n.* CCXLV. *in ſingulos* HS. XVI. *n. ſ.* HS. XLVII. XL *n. legitimæ n.* XXXIV. *ſing.* HS. XII. n. f. HS. IV *DCCCXCVI. ſpurius I. HS.* CXLIV. *ſpuria I.* HS. CXX. *ſumma* HS. LIICC. *quæ fit uſura* ∽∽∽ *ſortis ſupra ſcribtæ.* Facile patet, in hac Inſcriptionis elegantiſſimæ parte pecuniæ modum ac vim, quam liberaliſſimus Princeps alimentariis pueris deſtinavit, indicari. Illuſtriſſ. Marchio ipſam ad fœnus datam pecuniæ ſummam ad calculos reducere, atque ejus rationes cum uſura ſimul indicata conferre, ſtudet. Diſcimus ex ea, veteres quinque nummorum uſuram quotannis pro centum pendere ſolitos fuiſſe. Singulis numeris tam ipſius ſummæ, quam uſuræ, additum eſt ſignum, coronam cum ramuſculo referens, quo Illuſtriſſ. Autor indicare veteres voluiſſe ſtatuit, quod ipſa pecuniæ ſumma accurate indicata ac probata fuerit.

Singulæ Epiſtolæ plenæ ſunt eruditionis & elegantiæ, dignæ utique Autore ſuo, quo, habet Italia, cur vehementer gaudeat, & glorietur. Sed literarum inprimis intereſt, Virum hunc, ſive ipſa ejus doctrina, ſive doctrinæ varietas, ſpectetur, in ſummis & egregiis habendum, famæ ſuæ, quam meritiſſimam dudum conſecutus eſt, diu ſupereſſe, ne tot alia erudi-ditiſſima opera, quorum ab eo novimus editionem parari, immaturo quodam Viri fato, magno autem elegantiorum ſtudiorum detrimento, æternis, quæ optimorum librorum triſtis haud raro ſors eſt, tenebris ſepeliantur. Faxit Numen illud, quod literis præſidet, & harum incrementa promovet, ac dignitatem tuetur, feliciter!

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno MDCCLI.

Pars I.

HISTORIA JOSEPHI I CÆSARIS, Auguſti, felicis, cum appendice uſque ad pacem Badenſem. Conſcripta a Patre FRANCISCO WAGNERO, *S. J. Presbytero.*

Viennæ Auſtriæ, typis & ſumtibus Kaliwoldianis, 1746, fol. Alph. 3.

Illuſtre adhuc fuit Reverendi Autoris inter gentis noſtræ Hiſtoricos nomen, nec exigua laus, quam Commentariis illis de *Leopoldi* Imp. Aug. rebus geſtis, luculento ac vaſto Opere, ſibi acquiſivit. Merita ſua novo nunc auget volumine, quo *Joſephi*, filii *Leopoldi*, & in locum ejus ſurrogati, memoriam poſteris commendavit. Breve quidem temporis fuiſſe ſpatium, nemo ignorat, quo glorioſiſſimus *Joſephus* noſtro imperio R. G. præfuit; illuſtratum tamen ac nobilitatum rerum geſtarum multitudine ac magnitudine, ita ut, hiſtoriæ recentioris expers, aut Germani nominis obtrectator, ſit, oporteat, qui, omni cura ſtudioque dignum eſſe argumentum, negare ſibi ſumat, quod diligentius jam explicavit Cel. *Wagnerus*. Certe, quo gravioris momenti ea ſunt, quæ *Joſephus* magna conſilii prudentia ſuſcepit, majori autem fortuna exceptus eſt Imperator, eo magis nos decet recta ratione ea

commemorare, quæ in hoc libro Autor præſtitit. Singulas equidem perſequi expeditiones bellicas, ſingulos recenſere de hoſtibus triumphos, ſingula, quæ facta ſunt, Senatusconſulta referre, non libet, ſiquidem hæc omnia maximam partem omnibus cognita ſunt, & diligentia doctorum virorum, *Dumontii*, *Lambertii*, *Rouſſeti*, *Terrii*, aliorumque, expedita. Sufficiat, generatim notare, qualem tractandi rationem ingreſſus ſit Noſter, quove modo ardua quidem, honorifica tamen ac glorioſa, Hiſtorici provincia functus ſit. Falluntur ſane, qui ſibi perſuadent, abſolutam hanc eſſe & omnibus numeris perfectam hiſtoriam *Joſephi*: id quod longe alienum fuit ab inſtituti hujus rationibus. Nihil ſane invenitur de *Joſephi* ortu, educatione, ac rebus, cum pater in vivis eſſet, præclare geſtis. Ea potius enarravit, quæ eo tempore contigerunt, quo *Joſephus* imperium noſtrum gubernavit; nec attigit quidem res imperii, ſed Auſtriacæ potius fortunæ expoſuit viciſſitudines, quæ domi foriſque uſu venerunt. Fruſtra ergo quæres ea, quæ in Germania ipſa acciderunt; fruſtra quæres, ut rem exemplis declaremus, narrationes de Bohemi ad conſeſſus Electorum in comitiis admiſſione; de Hannoverano, eidem Collegio adſcripto; de proſcriptione Bavari & Colonienſis; de emendatione Cameræ Vezlarienſis; de expetitis Boruſſi & Saxonis aliorumque in Collegio Principum votis, ceteris. Majori diligentia bellum Hiſpanicum & Ungaricum expoſuit, ac orationem ab anno 1705, quo *Leopoldus* ex hac vita diſceſſit, & *Joſephus* imperium auſpicato ſuſcepit, exorſus eſt. Dicendi ordinem hunc ſibi præſcripſit, ut per ſingulos annos res geſtas perſequeretur, hiſtoriamque uſque ad annum 1714 produceret, quo Raſtadienſis pax concluſa, & triſtiſſimis cladibus finis impoſitus fuit. Singulatim enarrat, quæ in Ungaria & Tranſſilvania contra aſſeclas *Ragoczii*; in Italia, & Hiſpania; item in provinciis Rhenanis contra Gallos, feliciter acta ſunt. Belgicas res ad annum 1708 attingere cœpit, quo *Joſephi* exercitus auſpiciis *Eugenii* operam ſuam Anglis & Batavis junxit; brevius tamen, quam ceteras hujus hiſtoriæ partes, expeditiones Hiſpanicas expoſuit, pro-

propterea quod pleriſque earum monumentis, manu quippe ſcriptis, & in tabulariis repoſitis, fuerit deſtitutus. Jungimus ſane noſtra *Wagneri* votis, ut in lucem publicam protrahantur, qui adhuc latent, *Sotomajoris* de rebus Hiſpanicis Commentarii. Ubivis pragmaticum ſcribendi genus adhibuit; diligens fuit in veſtigandis eventorum cauſis; quibus miniſtris uſus ſit Imperator, quænam eorum virtutes, quænam vitia & crimina; qualis fuerit ingenii & animi in illis indoles, ſæpenumero notavit; nec ſibi temperavit, quo minus liberius ea vituperaret, quæ in Auſtriacis reprehendenda eſſe, ipſi viſa ſunt. Accuſat eos, quod *vel tantiſper celandi ratio* eis defuerit. Pag. 10. Conqueritur de indigna & pernicioſa munerum militarium venundatione; alibi de ducum ac præfectorum ſimultatibus & diſſidiis; 34. de pecuniæ penuria; de ſolita ac domeſtica tarditate; de incommodis exercituum imperialium, 162. aliiſque ſexcentis. Ut rei hujus ſpecimen exhibeamus, liceat nobis ea recitare, quæ de odio Caſtellanorum erga *Carolum* auguſtiſſimamque domum ita retulit: *Tantæ alienationis multiplices cauſæ fuere.* 24. *Arragoniis vetus eſt cum Caſtellanis æmulatio dignitatis. Illi, memores, adjecto dotali Caſtellæ regno, & cum Auſtria connubio, a ſe primum profectam hanc Hiſpaniæ magnitudinem, primas item ſibi depoſcunt; Caſtellana contra Nobilitas, translata ad ſe Regum ſede, prærepitiſque fere primis regni muniis, ſuperba, prærogativam ſe nationem ducit. Non minus a Catalanis, ſeu ſingularium privilegiorum invidentia, ſeu morum diverſitate, ſeu ante annos non multos atrocis defectionis memoria, diffident Caſtellani. Id quoque ſtimulos ſubdebat acriores, quod Catalanos, ac Arragones, uti primi ſe Carolo addixerant, ita primum gratiæ locum occupaturos exiſtimabant; aſſurgendum Catalanis; Caſtellanos in ſecundis, nec eodem numero, fore. Hoc jam aculeo confixos ea cura propius angebat Procerum eminentiores: quorum in officina cuſus codicillus, evocatus Andegavenſis, afflicta cum Leganio, Almirante, & Oropeſa, pars adverſa. Hæc ſi viribus & populari favore rurſum caput attolleret, actum nempe de capite, & fortunis, ac, inter perduelles habitum*

tum ſe iri, ſatis providebant. Ergo nullum non lapidem movere, nulli induſtriæ parcere, qua plebis voluntates ab Auſtriacis abducerent penitus. Nullum ad id telum acutius viſum eſt Religionibus: Anglos (ajebant) non alia re, ac illatis Hiſpaniæ cladibus, notiores; Batavos ſuos rebelles, ac primam inclinantis Monarchiæ labem, non ut Catholici Regis Fœderatos, ſed ut hæreticos, Proteſtantes, ac vix Chriſtianos, adſpiciendos. Quid hoc novi eſſet, hæreticorum ope (hoc nempe robur erat Auſtriacæ factionis) fieri Regem Catholicum? Magnum pondus addebat ſummi Pontificis autoritas, non alium, ac Andegavenſem Regem, noſcentis; perſuaſi ſcilicet, eatenus religionibus cautum ſatis, qua Borboniorum regnum pertineret. Conſentiebant Pontifici maximi minoresque eccleſiarum præſules, Sacerdotum collegia, monaſteriorum antiſtites viri, ſumma doctrina & ſanctimoniæ fama, ipſique ruſticæ plebis Curiones, quibus & ſuapte, & ex Epiſcoporum præſcripto, non aliud e pulpito orationis argumentum crebrius, vel ſpecioſius, ac deplorare decumana, religionibus ab his gentibus impendentia, pericula; verſandum jam cum iis, quorum vel nomen, nedum conſpectum, execrati eſſent alias; volaturos in aula, nec tam cito e captis urbibus deducturos præſidia, quin interim e peſtifero convictu incautæ plebi adhæreſcat aliquid. Vanum deinceps ſanctum illud inquiſitionis nomen, invictum hactenus adverſus novitates impias aggerem. Fruſtra pulſos Mauros, ſi peſtis alia, ſpecie quidem minus horrida, contage longe nocentior, irrepat. Exſtinctum iri, obfuſcatum certe, quo præ ceteris Catholicis regnis Hiſpania, velut peculiari, gloriata ſit hactenus, religionis illibatæ ſplendorem. Tetrioribus etiam coloribus exaggerabatur, ſi quid ab Anglo-Batavis, in Caſtella deſidentibus, (quæ autem ſeveritas vulgi militaris petulantiam ad vivum reſecet?) in templa, Divos Cælites, Catholicos ritus, impie dictum factumve fuerat. Invidioſis adeo clamoribus cum exedræ, conciones urbanæ & ruſticæ, perſonarent, ſummaque præ ceteris Hiſpanis obſervantia ſacerdotium colant Caſtellani, incredibile dictu, quam horrificam Carolinarum partium imaginem impreſſerint, qua averſatione impleverint

ſimpli-

Digitized by Google

ſimplices multitudinis animos. Inprimis vero laudabilem curam & ingens ſtudium in eo poſuit, ut conſilia, quæ diverſis temporibus de pace ineunda propoſita fuerunt, ſingulatim recenſeret, & ſignificaret, quænam ſingularum partium ſententiæ fuerint. Documento nobis ſunt, quæ de Helvetio Pag. 151.
quopiam Hagam delegato prodit; quæ de pacis capitibus, 269.
A. 1706 per Bavarum propoſitis; de tentaminibus *Petkumi*, legati Holſati; de formula Torcyana; de congreſſu Gertru- 324.
denbergenſi; &, quod caput rei eſt, de Trajectenſi & Raſta- 329.
dienſi pace, copioſe diſſeruit. Nimis fuſe agit de aulæ Angli- 361 ſeq.
canæ ſub *Anna* regina immutatione; de Torianorum & Wiggianorum partibus, earumque ſtudiis, de communi Torianorum erga *Marleburgum* odio; de intempeſtiva Anglorum pacis faciendæ cupiditate. Præterea haud raro ſententiam de conſiliis ita dicit, ut, civilis prudentiæ eum haud expertem eſſe, quiſque cognoſcat. Sic elegans nobis viſa eſt *Caroli* ſex- 424.
ti cum quinto comparatio, quam eum in finem inſtituit Autor Cl. ut quæſtionem ſubdifficilem componeret: num expediat Europæ, eundem Regem Hiſpaniæ & Imperatorem eſſe. Neque id ſilentio prætermittendum eſſe exiſtimamus, varias rerum, quæ ſub *Joſepho* contigerunt, origines ab initio eſſe repetitas, ſicque narrationes ipſas mirifice illuſtratas. In quo numero apud nos ea ſunt, quæ de bello *Caroli XII*, & admi- 164.
randa ejus felicitate; de Comaclenſi civitate; de feudis Lan- 231.
garum, ſive Landarum, in Italia, attulit. Ingenii denique fa- 293.
cultatisque judicandi vim haud exiguam in iis locis ſpirare, credimus, ubi animorum characteres, uti Philoſophi loquuntur, rite effingere, ſibi ſumit. Rara quidem in noſtro libro hæc eſſe ornamenta, quæ gravem hiſtoriarum ſcriptorum maxime decere putamus, non inficiamur; provocamus tamen ad imagines *Ludovici* Badenſis, *Caroli*, Sueciæ Re- 78.
gis, *Joſephi* Imperatoris, & *Annæ Mariæ*, quam *Fulvius* 172.
Urſinus viduam reliquerat, quas pictorum more elegantiſſime 408.
expreſſit. E re eſſe videtur, exemplum hujus rei adjicere. 510.
Sic ille de *Ludovico* Badenſi: *Vir aliis temporibus dignus, ſe-* 78.
que futurus major, ſi ejus ingenio, providentiæ, militari ſci-

 entiæ,

Digitized by Google

entia, obedientior miles, firmioresque caſtrenſis ærarii nervi, reſpondiſſent. Quod aulicorum faſtidia minus ferret, atque militari libertate loqueretur ſcriberetque, animi elatioris ac ſententiæ tenacior habebatur, ceterum primis, quos Germania tulit, heroibus accenſendus. Satis itaque prædicavimus Cl. Autoris in *Joſephi* hiſtoriam merita, ac præclara ornamenta, quibus Opus hoc ſplendet; noſtrum tamen eſt, ea quoque indicare, quæ minus recte aut mente concepta, aut literis expreſſa, nobis videntur. Quisquis primum dixit, vere dixit, Hiſtoricum oportere eſſe ſine religione, id eſt, ſine partium ſtudio, quod odio erga alios, qui ſacris a nobis diſcrepant, comprobatur. Hanc tamen virtutem in Cl. *Wagnero* non eſſe quærendam, luculenta demonſtrant ejus effata. Non negamus, multum profuiſſe *Carolo* in Hiſpania *Joannem Thomam Henriquez*, Ducem *de Medina del Rio ſecco*, Admirantis Caſtiliæ titulo dignitateque conſpicuum; nec diffitemur, dignum eum fuiſſe laudibus, quibus *Wagnerus* eum extulit; miramur tamen, eum hoc uſum eſſe argumento: *Ut, qua religione fuerit, æſtimes, pecuniæ vim bene magnam in eorum nutrimenta legavit, qui ex eadem, qua ego ſum, vitæ ſocietate, per utramque Indiam ſanctum Jeſu Chriſti Evangelium docent barbaros, hominesque reddunt & Chriſtianos.* Nec prudentibus rerumque peritis facile perſuadebit, vera eſſe, quæ ad purgandos ſodales ſuos alibi his verbis attulit: *Spes erat adeo, modum tandem fore famoſis Londini ac Hagæ dictis, libellisque, non tam Ungaros contumaces, quam Aulicorum pravas artes, conſilii inopiam, lentitudinem, moroſitatem nodum in ſcirpo quærentium, quoque nihil putidius, Jeſuitarum technas, criminantibus. Id quod vulgi ſtultitiæ condonandum, Principum oratoribus ſane indecorum, qui, ipſa aularum viſcera rimari ſoliti, ignorare non poterant, alia omnia, quam de religionibus, agi, & a Joſepho ad ſacra quidem procuranda adhiberi, non item in partem regni vocari, ſacerdotes.* Si quis, ignoſcendum hoc eſſe *Lojolæ* aſſeclæ, credat; tamen, velit, nolit, fateatur oportet, parum caute, parum prudenter, ſcripta eſſe, quæ potentiſſimo Magnæ Britanniæ Regi, ejusque Augustiſſimæ

Pag. 51. (margin note beside "men, eum hoc uſum eſſe argumento")

134. (margin note beside "dentibus rerumque peritis")

guſtiſſimæ domui, injurioſa eſſe, patet. *Implicatior*, inquit, *de Anglico poſtulato diſputatio erat ejusmodi: Poſt Jacobum II, Caroli I filium, regno dejectum, mortuam item ejusdem ſororem Mariam, Wilhelmo Auriaco, adſcititio Regi, nuptam, ſi & Anna, ſoror altera, nullo mare harede relicto, diem obiret, Jacobus III, ſecundi filius, quem* Prætendentem, *aut S. Georgii equitem, appellant, hæres erat minime dubius. Hoc vero, jure, an injuria, excluſo, erant ſecundarii hæredes permulti; Eliſabethæ Stuartæ, Caroli I ſororis, nepotes; Salmenſis Princeps, Mutinæ Dux, Amalia Auguſta, aliique naſcendi ordine propiores. Hi una omnes celeberrima Parlamenti lege, regni jure excidiſſe, judicati ſunt, non alio crimine, ac quod Catholica ſacra ſecuti, metum facerent, ne regnum adepti, veterem patrum religionem, impuri Henrici defectione abolitam, poſtliminio loco reſtituerent ſuo. Eadem Parlamenti lege ſancitum, ne Magnæ Britanniæ Rex ullo ævo Catholicus eſſet, & Georgius Ludovicus, Hannoveræ Elector, ejusdem Eliſabethæ e Sophia filia, quantumvis natu poſteriore, nepos, cum Proteſtante poſteritate unus legitimus hæres haberetur. Hujus legis ſponſores & Galliam, & fœderatos omnes, depoſcebant, hoc ſuſcepti a ſe longe ſumtuoſiſſimi belli pretium ſtatuebant maximum, receſſuri illico, ni poſtulatum evincerent. Nec Gallia, nec ſociorum ceteri, fidem ſuam interponendo, difficiles fuere; ſoli Cæſari, recti amantiſſimo, parum religioſum videbatur, legem, cum tanta & juſtorum hæredum, & avitæ religionis, injuria conjunctam, non probare ſolum, ſed & ſociatis armis ſuſtinere; nec durum minus apparebat, alienata Anglia Hiſpanicæ hæreditatis ſpem omnem projicere. Juris utriusque conſultiſſimi reſpondere: videri, viam tenendam, quam Leopoldus Imperator poſt depulſum Jacobum II anno prioris Seculi octavo ſupra octogeſimum cum Wilhelmo Rege tenuerit: æquum, an iniquum, ſtatuerit Parlamentum, non eſſe Cæſaris judicium. Non tam cum Rege, qui edicere quidem, non item ſine populi aſſenſu gerere queat bellum, quam cum Anglicana republica, fœdus percuſſum.* Similiter Autor de *Anna* regina: *Non minore caritate ac miſeratione proſecuta fratrem, quem pro ſuppoſito* Pag. 269.

ſumma

ſumma impudentia traduxerant Wiggii. Poſtquam Pariſiis in locum parentis Jacobi III nomine renuntiatus eſt Magnæ Britanniæ Rex, gratias nempe Ludovico Regi egit impenſe, qui & parentem, e naufragio benigne acceptum, ultra viginti annos regie habuerit, & extorrem fratrem paterna prope benevolentia complectatur. Ut nobiliſſimus quisque animus quidvis ante ſit, quam ingratus; ita fieri vix poterat, quin genti tam erga ſe beneficæ & amicæ vel non infenſa, vel non privatim benevola, fieret; ac demum gratiam cum Europæ pernicie conjunctam publice referret. Ad tenerum hunc fraterni amoris, religionis alter ſtimulus acrior acceſſit. Etſi Caroli avi voluntate a teneris Anglicanæ eccleſiæ dogmatis addicta, nec a patre Jacobo ſe ad Catholicos ullo pacto traduci paſſa erat; non tamen exierat Proteſtantium numero, qui iniquum æquum, vel Chriſti leges Catholicis duntaxat ſequendas, Deumque ſcelerum vindicem verendum, exiſtimant. Ut erat minime mala, homines callidiſſimi, tenera fœminæ probitate diligenter in rem ſuam abuſi, non deſinebant exaggerare injuſtitiæ magnitudinem, qua frater non de fundis prædiisque aliquot, ſed legitima trium regnorum hæreditate, detruſus, forisque vel egeret, vel alieno beneficio viveret, Stuartus ſanguis. His ſumma arte inditis aculeis confixa illa, eo adducta eſt, ut impiam ſe crederet, ni ſarciret, quam non intulerat, injuriam, plangeretque miſerum, & haud dubie præ extero germano ſuum hæredem optaret. Pietatis igniculos Jerſeya, nobiliſſima, eademque inſigni probitate Catholica, nec ultimæ admiſſionis, fœmina, naviter fovebat. Ipſe religionum parum curioſus Harleius; haud perinde, ut putet, rem deſperatam inſinuabat, dum ne patris præcipitis veſtigia ingrediatur frater, & Catholicus eſſe malit, quam Catholicis imperare. Perſuaſiſſimum nobis eſt, ea ab iis omnibus improbari, qui cogitant, ſalutem Auſtriæ, ſalutem Germaniæ, immo Europæ totius, in eo conſiſtere, ut ſarta tectaque conſervetur Sereniſſima domus Brunſuicenſis & domus regia, quæ quantum ad ſtabiliendam Auſtriæ felicitatem afferre queat, nuper vidimus & lætati ſumus. In eundem cenſum referendum eſſe, credimus, quod minus honorifice

rifice de Batavis ac ſereniſſima eorum republica ſententiam dixerit. Quis, quæſumus, credat, hæc pronuntiaſſe hominem Auſtriacum: *Cogitandum item, num, Catholicos cives Bataviam in ſervitutem conjiciendo, e dignitate, fama, conſcientia ſua, acturus ſit Rex Catholicus? Equidem in iis, quas præſidio tenent, urbibus moderate ſatis ad hoc uſque tempus, & ſine religionum offenſa, verſati dicuntur; videndum tamen, ne e peſtifero convictu relangueſcant ſenſim probi licet & orthodoxi cives, præſertim quod, extero conſtricti jugo, ad urbanos perinde ac militares honores aditum ſibi patere nullum, intelligant.* Hæc, quamvis *Moleſio* legato tribuat, ita tamen repetit, ut facile colligatur, quid ipſe ſentiat. Multo minus ferendum eſt, animum Clariſſ. Autorem præ ſe ferre paci Weſtphalicæ, id eſt, legi S. R. I. pariter ſanctiſſimæ ac ſaluberrimæ, tam infenſum, ut parum honorifice, ne gravius quid dicamus, de ea verba faciat. Tacemus, pacis hujus *autoritatem* judicari *triſtem rei Catholicæ;* tacemus, appellari eam *velut ſacroſanctam regulam;* notamus potius iniquiſſimum hoc de illa judicium: *Verum non erat ea temporis conditio, ut de antiquo vulnere ſanando cogitaretur, per Weſtphalicam pacem inflicto; per conſtrictam Cæſaris, ampliatam Principum, autoritatem via aperta eſt Galliæ, ex omnibus Germanorum inter ſe controverſiis lucrum captandi, intercedendi, turbis perpetuis Germaniam miſcendi.* Nihil addimus, niſi hoc unum, bono Germaniæ cive ejusmodi effata prorſus eſſe indigniſſima.

Johann Lorenz von Mosheim, &c. anderweitiger Verſuch einer vollſtändigen und unpartheyiſchen Ketzergeſchichte.

hoc eſt,

JO. LAURENTII DE MOSHEIM, POTENTISS. M. Britanniæ Regi & Electori Hanoverano a Conſiliis eccleſiaſticis, & Academiæ Georgiæ Auguſtæ Cancellarii, novum Tentamen plenioris, & ſine partium ſtudio conſcriptæ, Hiſtoriæ Hæreſium ac Hæreticorum.

Helmſtadii, apud Chriſtian Frid. Weigandum, 1748, 4 maj. Alph. 3.

Digitized by Google

Pag. 1. Jam ediderat, ante viginti annos, Summe Venerabilis Autor Hiſtoriam *Michaelis Serveti*, Hiſpani. Ea vero cum & variis, & non parvis, laborare nævis ipſi videretur; de
5. hac nova, quam hic exhibet, cogitavit, certis earum rerum, quas exponit, documentis munita, & in *tres Libros* diviſa.

Eſt autem *Michael Servetus* (alias *Reves* dictus) natus
6. in Villa Nova Arragoniæ, parentibus, non Judæis, quod perperam traditur, ſed Chriſtianis. Pater erat Jureconſultus & Notarius. Quanquam prima ipſius ætas valde obſcura ſit; veriſimilis tamen videtur *Zeltneri* conjectura, qui in *Centur.*
7. *Corrector. p. 496* exiſtimat, juvenem, propter corporis imbecillitatem, religioſo in Eccleſia Romana Ordini, nominatim Dominicanorum, adſcriptum fuiſſe. Annos circiter undeviginti natus, Toloſam in Galliam abiit, Juris ſtudio operam daturus,
8. vel potius ibi tutius victurus, ob ingenium, ad res novas factum. Certum eſt, eum hic nomen avitum cum
9. illo *Reves* primum commutaſſe. Interim multa a multis, parum certa, de ejus religione, & de cauſis errorum, quos
10. 11. poſtea diſſeminavit, narrantur. Aliis enim *Lutheranus*, aliis *Calvinianus*, his *Muhamedanorum*, illis *Judæorum* in Africa, diſcipulus fuiſſe dicitur. Sed, ut magna erat ingenii alacritate & fœcunditate, ita ſolus ipſe errorum ſuorum pater haberi debet. Toloſæ cum legum civilium ſtudio conjunxit haud vul-
12. garem Matheſeos & Aſtrologiæ ſcientiam, a Philoſophia reliqua fere abhorrens. Poſtquam autem Codicem ſacrum nactus fuerat, perpetua illius, ſed perverſa, lectione ſuum, quod ex Hiſpania attulerat, reformandi Chriſtianiſmi ſtudium ita auxit & corroboravit, ut humanas ſcientias plane negligeret, & totus rerum divinarum indagationi vacaret. Legebat etiam eccleſiæ doctorum veterum, item Scholaſticorum, atque *Lutheri*, ſcripta. Inter Patres ſolùm *Tertullianum* & *Irenæum* veram ſapientiæ Chriſtianæ formam deſcripſiſſe, *Lu-*
13. *therum* autem plura, quam debuiſſet, humana reliquiſſe inſtituta, exiſtimabat. Ab hoc inde tempore emendare Chriſtianiſmum inſtituebat, facto auſpiciis infelicibus initio a doctrina *de ſancta Trinitate*. Et, quo majori cum licentia impiam, de hoc ſanctiſſimo myſterio, mentem ſuam explicare poſſet,

Digitized by Google

poſſet, in Alſatiam migrabat A. 1530, & Baſileæ primum *Joanni Oecolampadio* coram, & per literas, errores exponebat; hos *Conrado Ruſio (Rous)*, librario Hagenovienſi, typis exſcribendos tradebat; ipſe Argentorum concedebat. Anno ſequenti vix liber impius *de Trinitate* prodierat ex *Joh. Secerii* typographeo, cum magnos in univerſa eccleſia motus excitaret, & Imperatorem *Carolum V* moveret, ut illum proſcriberet, ſupprimique juberet. Exponit *Servetus* in hoc libro ſummam peſſimi libri, *de Trinitatis erroribus*; addit errorum cauſas, & fontes indicat. Relicto Argentorato, crimina ipſius ab *Oecolampadio* ad ſenatum Baſileenſem deferebantur; ipſe autem, ſimulata errorum pœnitentia, impune dimittebatur. Hoc facto, Galliam repetebat A. 1532; in itinere vero, Hagenoviæ, protrudebat in lucem binos Dialogos *de Trinitate*, cum libello *de juſtitia regni Chriſti*. In cujus Præfatione, *omnia quidem*, ſcribit, *ſe nunc retractare*; cum in ipſo libro, tantum abſit, ut flagitia deleat, ut ea potius ornare allaboret novis argumentis, & in annexo libello profiteatur, ſe a Deo miſſum eſſe, ad eripiendam ex tenebris ſuis Romanam eccleſiam. Mox Italos ſalutabat, ſub *Michaelis Villanovani* nomine Romæ, item Venetiis, deliteſcens, ſuum virus late diffundebat. Anno illius Seculi quarto & trigeſimo in Galliam denuo revertitur, ac Lugduni, purgandis ab erroribus typothetarum libris, victum quærit apud *Melchiorem* & *Caſparum Trechſelios*, typographos tum non incelebres. Qui librarii cum conſilium iniiſſent, *Claudii Ptolemæi* Geographiam caſtigatius edendi, hic *Villanovanus* multa loca ex optimis Codd. MSS. emendabat, obſcuriora vero ſcholiis eruditiſſimis illuſtrabat. Inter hæc, de variis quæſtionibus literas ad *Joannem Calvinum* perſcribebat, bienniœque poſt, A. 1536, Lutetiæ Pariſiorum Magiſter artium creatus, literas humaniores ipſe profitebatur, dum *Ptolemæi* libros, ac Mathematicam, illuſtribus quibusdam viris, inter quos *Petrus Palmerius (Paumier)*, legatus Regius & Archiepiſcopus Viennenſis, eminet, explicabat, ſimul in ſalutaris ſtudium artis

Pag. 19. 24. 25-33. 39. 44. 45. 54. 60. 63. 71.

 tanta

tanta contentione incumbebat, ut, edita A. 1537 *de Syru-*
pis Diſſertatione, tantum ſibi acquireret laudis, quantum mox
invidiæ partim gloriam novi Medici, partim linguæ ipſius
Pag. 75. effrenatæ licentiam, comitabatur. Hac vero obtrectatione
ita exacerbatus eſt, ut inimicos ſuos in Apologia, a ſe edi-
76. ta, falſe perſtringeret. Hi contra, apud ſupremum regni
Galliæ Senatum, læſæ illum religionis eccleſiæque reum age-
80. bant; quamvis nihil amplius apud judices, ejus amicos, pro-
ficerent, quam ut Apologiæ hujus exempla Senatui tradere,
Aſtrologicas autem ſcholas claudere, juberetur. Permotus
83. eſt illa tempeſtate, ut, acceptis Medicinæ Doctoris honori-
bus, primum Carolopoli *(Charlieu)* ægrotis mederetur; ſibimet
vero ipſi ita defuit ſtolide, ut migrare hinc A. 1540, &
Viennam Allobrogum concedere, coactus fuerit. Ibi ſecun-
86. dis *Ptolemæum* curis in lucem edidit, atque non diu poſt
Xantis Pagnini, monachi Dominicani, *Latina Biblia* cum
obſervationibus emiſit. Quo facto, in curandis ægrotis to-
tus, ſecunda diu fortuna uſus eſt; quandoquidem non ſo-
lum autoritate fautoris ſui, *Palmerii*, Archiepiſcopi, ſed et-
iam mentita rituum Romanæ eccleſiæ obſervatione, ſe tuta-
92. retur. Inter hæc, librum, ſibi exitialem, *Reſtitutionem Chri-*
ſtianiſmi, conſcribebat, &, datis ad *Jo. Calvinum* literis, eum
ſubinde ſollicitabat, ut libellum, quem ipſi miſerat, & in
quo ipſius *Calvini* quædam dogmata refutaverat, ad ſe remit-
100. teret; id obtinere tamen haudquaquam potuit. Dignum eſt
admodum notatu, *Servetum* in his literis, tanquam aliquem
vatem, ſibi mortem prænuntiaſſe, his verbis: *Mihi ob eam*
rem moriendum eſſe, certo ſcio: ſed non propterea animo de-
ficior, ut fiam diſcipulus ſimilis præceptori.

Hic deſinit Celeb. Autoris *Liber primus*. Ad cujus calcem
107-138. ſequuntur notæ & obſervationes quædam, ſatis amplæ. In
quarum *prima* agitur de nomine *Serveti*. In *ſecunda* quæ-
ſtio excutitur, num ea ætate alius quidam vixerit veritatis ini-
micus, *Villanovani* nomine: id quod S. Rev. *Moſhemio* veri
omnino videtur ſimile. In *tertia* negatur, *Servetum* in pri-
mo Capite Auguſtanæ Confeſſionis damnatum fuiſſe, nec *Phi-*
lippi

lippi Melanchthonis teſtimonio rem confici. In *quarta* erroris convincuntur, qui exiſtimant, *Servetum* bis Lugduni meruiſſe, ut correctorem typographicum. In *quinta* denique diſputatur, num *Calvinus* jam A. 1546 ad *Guilielmum Farellum* ſcripſerit, ſe operam daturum, ut *Servetus*, ſimul Genevam venire auſus fuerit, ſupplicio mortis lueret.

Libri ſecundi ſumma hæc eſt: *Servetus* A. 1552 *Reſtitutionem Chriſtianiſmi*, ſuis ſumtibus, & typis *Balthaſaris Arnolleti*, exſcribi Viennæ Allobrogum, curaverat. Diu latebat Autor ſub his literis *M. S. V.* id eſt, *Michael Servetus, Villanovanus*, donec verum illius nomen proderetur, *Calvinus* vero ipſas *Serveti* literas, in quibus libri hujus mentionem fecerat, Viennam mitteret. In carcerem *Servetus* ducebatur; ſed adeo negligenter cuſtodiebatur, ut ante ſententiam latam fuga incolumis evaſerit. Supplicium ignis abſenti dictabatur; imago tamen & libri tantum eos ſenſerunt cruciatus. Ipſe, in Italiam curſum tendens, tandem imprudens Genevæ, ubi per integrum prope menſem delituerat in diverſorio, proditus, quando abitum parabat; in publicum illico carcerem, jubente Syndico, & *Calvino* autore, qui, officii eſſe ſui, putabat, obſtinatum hominem compeſcere, ne longius emanaret contagio, conjiciebatur. Accuſabat miſerum hominem, *Calvini* nomine, hujus ſcriba, *Nicolaus de la Fontaine*. Nec ipſe detrectaſſet *Calvinus*, accuſatoris partes in ſe ſuſcipere, niſi, ex inſtitutis reipublicæ Genevenſis, accuſator, una cum reo, in cuſtodia tam diu ſervaretur, donec reus convictus fuerit criminis. Quodſi enim falſo aliquis accuſatus eſſet, tum ea erat calumniatori pœna ſubeunda, quam reus, ſi fuiſſet nocens, ex ſententia legum ſubiiſſet. Id vero quo minus in ſe recipere *Calvinus* potuerit, & munus, & ſumma, qua erat in civitate, autoritas, obſtabant. *Servetus* igitur, in judicium vocatus, primo quidem ita ſe defendebat, ut, victo prope adverſario, *Calvinus* cum ſuis collegis proxima luce in judicium ſe præcipitaret, & efficeret, ut *Servetus* tandem omnium criminum convinceretur. Inprimis etiam *Calvinus* de damnato ipſum Pædobaptiſmo poſtulabat, crimine tum ca-

Pag. 141 147. 148. 149. 153. 155. 159. 173.

pitali propterea, quod Anabaptiſtæ reipublicæ hoc tempore
Pag. 176. peſtifera familia eſſent. Igitur, cognita, quæ ſuo capiti im-
mineret, tempeſtate, ſupplices ad Senatum dabat literas, in
quibus inter alia, adductis Scripturæ ſacræ locis, contendebat,
177. cauſas eccleſiaſticas in foro tractari non poſſe, multo minus
autem adverſus ſe legitime agi in ea republica poſſe, cujus
178. tranquillitatem nec ore, nec libris ſuis, perturbaſſet; denique
enixe rogabat, quodſi tamen ſecus patribus videretur, ut pa-
tronus ſibi, quippe homini, inſtitutorum fori Genevenſis igna-
ro, concederetur. Sed horum omnium nihil obtinuit; po-
tius ab eo, penes quem cura erat rerum capitalium ſuprema,
de capite reus agebatur.

Interim Vienna, quorſum tabellarium Genevenſes miſe-
183. rant, Præfectus ipſe arcis Viennenſis, redit Genevam; Sena-
tui ſententiam capitalem, latam illic in *Servetum*, & ſcripto
conſignatam, porrigit; ſimul, tradi ſibi captivum, poſtulat.
185. *Servetus* autem, facta ſibi libera fori poteſtate, ſupplex atque
186. flens obteſtabatur Genevenſem Senatum, velit ipſe de ſua cauſa
cognoſcere, ſtatuereque de ſe, utcunque libuerit. Voti com-
pos ſui factus, Senatu ita ſapienter jubente, a verbi divini
præconibus graviter admonebatur, ut palinodiam caneret, &
ſpontanea flagitiorum damnatione ſaluti ſuæ conſuleret. Ve-
rum, nec ſe minis adduci, nec precibus, paſſus, ſubinde poſtu-
labat, ut apud alios Chriſtianorum cœtus, in quibus unica
veritatis, nec *Calvini* tanta, quanta in republica Genevenſi, vene-
195. ratio eſſet, in ea cauſa arbitrium eſſet. Juſſit itaque Senatus,
conſcribi a *Calvino* brevem ſummam *Serveti* dogmatum, a
captivo autem, Latino ſermone conſcripto libello, ea aut de-
fendi, aut confutari. *Calvinus* duodequadraginta theſes erro-
neas Senatui tradit. Adverſus quas *Servetus*, libertate in con-
202. futando peſſime abuſus, notas, quas in margine appoſuit, atra
bile conſperſit, ſuam vero cauſam negligenter tutatus eſt.
Communicabatur hæc ſumma cum eccleſia Bernenſi, Tiguri-
215. na, Baſileenſi, & Schafhuſana. Omnes hæ, caſtigandum &
coercendum hominem perverſum, judicabant; nulla vero cen-
ſebat,

Digitized by Google

ſcebat, morte multandum. Interea ipſe *Servetus* ſibi exitium parabat, non modo quod in colloquiis, coram Senatu habitis, peſſime *Calvinum* tractabat, ſed etiam virum magnæ in civitate autoritatis de capite poſtulabat, incitatus præſertim ab iis, qui inter patres & alios cives nobiliores rebus *Calvini* male cupiebant; inter quos erat inprimis *Amadæus Perrinus*, Senator primarius, quem *Calvinus* per jocum *Cæſarem Comicum* appellare ſolebat. Vicit tamen eorum ſententia, qui, hæreticum de vita tollendum, & igne comburendum, præcipiebant. Indicitur ſententia miſero, ipſa die, qua lata erat, proxima luce executioni danda. Simul mors ipſi nuntiata eſt, jam attonito ſimilis ſtare, nunc ſuſpiria ciere, nunc horrendum in modum ejulare, nunc Hiſpanice clamare, & invocare *miſericordiam*. *Calvini* hæc fide enarrantur, unius teſtis in extrema hac fabula. Supremus illuceſcit dies. Adeſt *Guilielmus Farellus*, V. D. M. in Comitatu Neocomenſi, hortatur & obteſtatur *Servetum*, ut, quod reliquum ipſi eſſet temporis, animæ ſaluti & peccatorum impetrandæ veniæ tribueret, ac veritati, de S. Trinitate, & æterna Filii Dei majeſtate, ſubſcriberet. Negabat, id facere ſe poſſe, niſi Codicis ſacri oraculis convinceretur. Tempus multis concertationibus fruſtra perditur. *Farellus* hortatur *Servetum*, ut cum *Calvino* in gratiam rediret. Quo ſtatim annuente, accurrit *Calvinus*, duobus ſenatoribus ſtipatus, rogat, quid velit. Poſt hæc, magna *Calvinus* manſuetudine ipſum admonebat, ut potius gratiam ab æterno Deo peteret, in quem ipſe nimis contumelioſus, *tres perſonas tollere in ejus eſſentia tentaſſet, ac Cerberum tricipitem nominaſſet*. Cum exſpectationi ipſius non ſatisfaceret, *Calvinus* diſceſſit. Morti adjudicatus, in forum ducitur. Et, audita iterum coram Senatu ſententia, lamentabili voce obteſtatur, *ſe ignorantia, non malitia, peccaſſe*. *Farellus* contra, deteſtari ſcelus, non purgare ſe, jubet. Denique nullum amplius verbum, excuſandi criminis cauſa, protulit. In via, Dei & Jeſu Chriſti clementiam identidem implorabat. Eo tamen adduci non poterat, ut, pro verbis *æterni Dei Filium*, diceret *æter-*

Pag. 216.
220.
223.
225.
227.

Digitized by Google

æternum Dei Filium. Ubi ad locum ſupplicii ventum, hortabatur *Farellus* populum, ut preces pro eo facerent. Ita ductus eſt ad ſtruem. Erant autem faſciculi querni virides, adhuc frondoſi. Et impoſitus trunco, ad terram poſito, geſtans coronam ſtramineam, eamque ſulphure conſperſam. Viſo igne, horrendum clamat, cunctum perterrefacit populum. Reliqua copioſiſſime S.Rev.*Moshemius* deſcripſit.Poſt cruciatus horæ prope dimidiatæ, ingenti denuo voce iterans, *Jeſu, Fili Dei æterni, miſerere mei!* exſpirat.

Pag.230-254. In ſequentibus paginis Illuſtris Cancellarius fuſe diſputat de variis rebus; cujus generis hæc ſunt. Diſquirit, num *Calvinus* vere ſupplicii *Serveti* autor ſit, nec ne; & prope inclinat pro ſententia affirmanda; exponit controverſias, de ea re ortas, ac rationes, quibus purgatur *Calvini* in *Servetum* animoſitas, expendit. Conſiderat *Serveti* mores, & doctrinam. Tandem, utriusque ingenium, *Calvini* & *Serveti*, inter ſe confert.

255. In Annotationibus ad hunc *Librum ſecundum* hæc occurrunt. Probatur, *Robertum Stephanum* aliquam partem exemplorum libri, *de Reſtitutione Chriſtianiſmi*, a *Serveto* ſibi comparaſſe. Negatur, *Calvinum* de hæreſi detuliſſe *Serveti* nomen apud Cardinalem *Franciſcum Tournonium.* Inquiritur, quisnam in cauſa fuerit, quod *Servetus* in Gallia tanquam Autor libri *de Reſtitutione Chriſtianiſmi* agnitus, & in vincula conjectus ſit. Nihil certi evincitur: probabile fit, civem fuiſſe quendam, *Guilielmum Trie.* Exponitur iter *Serveti* Genevenſe, circa omnia minutiſſima. De accuſatore ejus,
257. *Nicolao de la Fontaine*, agitur. De loco illo celebri diſputatur, qui in *Serveti* editione *Ptolemæi*, in deſcriptione Mappæ geographicæ, habetur, ac ſterilitatem Palæſtinæ defendit, evinciturque, *Servetum* hujus loci autorem non eſſe. Veriſimile fit, a *Laurentio Phriſio* locum hunc, qui ſacræ Scri-
265. pturæ mendacium intendit, compoſitum fuiſſe. Porro diſſeritur, quare negatum fuerit *Serveto*, ut actio ejus deferretur in Senatum Genevenſium majorem; num *Calvinus* exſcribi curaverit reſponſa *Serveti* ad ſuos libros bona fide. Agitur

Digitized by Google

tur de eo, quod non omnes cœtus agri Helvetici morti adjudicaverint *Servetum*. Carmina, quibus morti *Serveti* a multis parentatum eſt, adducuntur. Libri, hodie longe rariſſimi, nominantur, in quibus tum temporis defenſus fuit *Servetus*, *Calvinus* vero laceſſitus. Denique locus ille ex *Calvini* refutatione *Serveti* excutitur, in quo *Calvinus* teſtari dicitur, ſe propter immodeſtiam ſupinam *Servetum* e medio tollendum curaſſe. Pag. 270-302.

Tertius Liber de ſcriptis *Serveti* fuſe & accurate agit, eorum potiora contenta explicat, & ſuper variis *Serveti* ſententiis annotationes ſiſtit. Libri autem *Serveti* ſequentes ſunt: I *de Trinitatis erroribus Libri VII, per Michaelem Serveto, alias Reves ab Arragonia Hiſpanum*, 1531, 8, plag. 15. Rarus hic olim liber, a *Georgio Serpilio*, Ratisponenſium Theologo ac Superintendente, (ita enim fert fama,) ante triginta annos Ratisponæ iterum prelo datus eſt; ſcriptus autem a *Serveto* anno ætatis ſuæ primo & viceſimo. II *Dialogorum de Trinitate Libri II. De juſtitia regni Chriſti Capitula IV, per Michaelem Serveto, alias Reves ab Arragonia Hiſpanum*, 1532, 8, plag. 6. III *Claudii Ptolemæi Alexandrini geographicæ enarrationis Libri VIII, ex Bilibaldi Pirkheymeri translatione, ſed ad Græca & priſca exemplaria a Michaele Villanovano jam primum recogniti.* Lugduni, ex officina *Melchioris & Caſparis Trechſelii*, fratrum, 1535, fol. maj. Editio denuo recuſa, & a *Serveto* recognita, innumerisque locis caſtigata eſt, anno 1541. IV *Syruporum univerſa ratio, ad Galeni cenſuram diligenter expolita, Michaele Villanovano Autore.* Pariſiis, ex officina *Simonis Colinæi*, 1537, 8, plag. 8½. V *Biblia ſacra, ex Santis Pagnini tranſlatione, ſed & ad Hebraicæ linguæ amuſſim ita recognita, & ſcholiis illuſtrata, ut plane nova editio videri poſſit.* Lugduni, apud *Hugonem a Porta*, 1542, fol. VI *Chriſtianiſmi reſtitutio. Totius eccleſiæ ad ſua limina vocatio, in integrum reſtituta cognitione Dei, fidei Chriſti, juſtificationis noſtræ, regenerationis, baptiſmi, & cœnæ Domini manducationis; reſtituto denique nobis regno cœleſti, Babylonis impiæ captivitate ſoluta,*

309. 328. 332. 338. 341. 343.

Digitized by Google

& Antichriſto cum ſuis penitus deſtructo, 1553, 8, conſtat 734 paginis. Ad calcem libri adjectæ ſunt hæ notæ: M. S. V. ac repetitus denuo annus impreſſionis. Hujus libri ſaltem ſex, aut quinque, exemplaria flammis erepta ſunt. *Samuel Crellius*, Socinianus, apographum illius habuit, quod, denuo deſcriptum, *Maturino Veiſſierio la Croze* magno vendidit pretio; e cujus humanitate, ipſe Celeberrimus Autor deſcripſit, & hinc contenta hujus libri ampliſſime adducere potuit.
Pag. 374. Denique falſo ipſi a multis tributus eſt liber myſticus, ad alendam pietatem factus, varieque inſcriptus, v. c. *Deſiderius, Dialogus de expedita ad Dei amorem via;* item: *Threſor de la devotion;* & Teutonica lingua, *Spiegel der Geiſtlichen; Schatz der Seelen.* Contenta tamen illius libri ſimiliter enarrantur, eoque *Liber tertius* clauditur.

388 ſeq. Tandem addidit S. Venerab. *Moshemius* documenta, e quibus hiſtorias, modo enumeratas, deſumſerit. Sunt autem ſequentia: Duæ Epiſtolæ *Joannis Oecolampadii* ad *Servetum;* & alia viciſſim hujus ad illum; Judicium *Oecolampadii* ad Senatum Baſileenſem de libro *Serveti, de Trinitatis erroribus; Serveti* Præfatio ad editionem *Ptolemæi* priorem, Lugduni editam A. 1545; & item alia ejus Præfatio ad Diſſertationem *de Syrupis*, Pariſiis editam A. 1537; Controverſia *Serveti* cum Facultate Medica Academiæ Pariſienſis; Dedicatio ſecundæ editionis *Ptolemæi*, ad Archiepiſcopum Viennenſem, *Petrum Palmierium;* Præfatio *Serveti* ad Biblia, & ſpecimina quædam Annotationum ipſius ad ſacrum Codicem; Animadverſiones variæ in Biblia *Serveti*, quæ in *Indice expurgandorum & prohibendorum*, quem *Antonius de Sotomajor* edidit, Madrit 1667 in folio, leguntur; Epiſtola *Serveti* ad Eccleſiaſtem Genevenſem, *Abelem Pepin;* capitalis ſententia Judicii Viennenſis adverſus *Servetum;* quatuor libelli ſupplices, Senatui Genevenſi a *Serveto* traditi; *Davidis Georges*, ſeu *Joris*, Anabaptiſtæ & Fanatici, literæ interceſſionales pro *Serveto*, ad magiſtratus Helvetios; Formula ſententiæ capitalis, Genevæ *Serveto* dictatæ; vetus hiſtoria de morte *Serveti;* Oratio *Serveti*, quam ante rogum dicitur habuiſſe;

Apolo-

Digitized by Google

Apologia *Guilielmi Poſtelli*, pro *Serveti* opinione, de anima mundi, ex MSto; denique locus ille celeberrimus, ex *Serveti Reſtitutione Chriſtianiſmi pag. 56*, ubi mentio fit doctrinæ, eo tempore adhuc incognitæ, de circulatione ſanguinis in corpore humano.

Johann Lorentz von Mosheim, ꝛc. neue Nachrichten von dem berühmten Spaniſchen Artzte, Michael Serveto, ꝛc.

hoc eſt.

JO. LAURENTII DE MOSHEIM ADDItamenta ad Hiſtoriam famoſi Medici Hiſpani, Michaelis Serveti, Genevæ igne combuſti.

Helmſtadii, apud Chriſt. Frid. Weygandum, 1750, 4 maj.

Plag. 14.

Non fefellit ſpes Summe Venerab. Autorem, quam ante biennium lectoribus injecerat, fore, ut alia documenta, & ea quidem certiora, nanciſceretur, e quibus multa, quæ olim hæſitanter ſcripſerat, aut omittere plane debuerat, partim confirmare, partim emendare, ſubinde nova afferre, poſſet. Fatetur tamen, ne nunc quidem omnia in aprico poni, ſed nonnulla potius, quæ clara videbantur in ſuperioribus, jam implicata magis apparere. Inter ea autem, quæ per literas, a viris eruditis in Gallia, Helvetia, & Germania, de *Serveto* accepit, judicii tabulæ eminent, ex tabulario fori Archiepiſcopalis Viennenſis depromtæ. Maxime etiam diſſipant nebulas priſtinas Epiſtolæ *Guilielmi Trie*, ad *Calvini* quendam diſcipulum Genevam perſcriptæ, in quibus omnium primum *Serveti* nomen apud Archiepiſcopum delatum eſt. Præterea uſus eſt Celeberrimus Autor Abbatis *D' Artignii* libro, qui inſcribitur: *Memoires pour ſervir à l' Hiſtoire de Michael Servet* (Pariſiis, apud *Debure* majorem, 1749. 8, 2 Voll.); quamvis in his Commentariis plurima nitantur fide lubrica, cum *D' Artignius*, quoties aqua ipſi hæret, comminiſcatur res atque facta, & tanta conjecturas ſuas audacia vendat, quaſi, rem ita geſtam fuiſſe, ſatis compertum habuiſſet. Sed, age, communicabimus jam cum noſtris Lectoribus has Curas poſteriores. Pag. 1-6.

Digitized by Google

Pag. 7. *Servetus*, Viennæ, cujas eſſet, interrogatus, Navarrenum ſe, ex civitate Tudella, comminiſcebatur. Anno ætatis de-
9. cimo ſeptimo ex Hiſpania in Germaniam, cum *Joanne Quintana*, *Caroli V* Confeſſionario, profectus eſt; de quo eo minus dubitandum, quod *Joannes Cochlæus*, *de Actis & ſcri-*
13. *ptis Lutheri*, *ad A. 1532*, *pag. 252 b*, teſtatur, *Quintanam* de facie *Servetum* noſſe. Simul *D' Artignius* erroris convincitur,
14. qui affirmat, *Servetum*, puerum quindecim annorum, a patre in Academiam Toloſanam miſſum, ibi primum legiſſe ſacrum Codicem, atque ex eo venenum exſuxiſſe. Toloſam enim non ante annum Seculi XXXIII venit, poſtquam A. 1529 Bononiæ, ubi *Carolus V* tum coronabatur, Pontificem Maximum viderat. Quo tempore *Quintanam* reliquerit,
15-22. non liquet. Id novimus, *Servetum* A. 1530 *Oecolampadio* Baſileæ nova dogmata ſua expoſuiſſe, poſtquam is *Bucero* Auguſtæ Vindelicorum innotuit. In agrum Helvetium proficiſcebatur ex Germania ideo, ut librum *de Trinitatis erroribus* in lucem ederet. Toloſæ eum Juris vacaſſe ſtudio circa annum 1532, vel 1533, veriſimile eſt: deinde vero ſalutari ſe arti cognoſcendæ tradidit. Errores ſuos in Italia, quæ hæreticis plena eſſe dicitur, imbibiſſe, contra *D' Artignium* & *Sandium* in *Hiſtoria Socinianiſmi*, negatur; nam famoſa Socinianorum conventicula anno demum 1546 Vincentiis habita ſunt.

23-29. *Serveti* iter Germanicum, vitæque ratio in Germania, magna obſcuritate laborant. *Guilielmus Trie* in *Epiſtola III* affirmat, proſcriptum eum fuiſſe ex præcipuis Germaniæ Eccleſiis. Id vero non A. 1529, (ut ille putat,) ſed potius A. 1531, factum; &, ut credibile ſit, tantum Baſileæ & Argentorati. Liber *Serveti* primus, Hagenoviæ excuſus, in nundinis Argentoratenſibus vendebatur, &, teſte *Oecolampadio* in *Epiſtolis*, placebat multis, magno cœtuum infirmorum cum damno; metuebant cordati homines inter Reformatos, ne ipſi autores illarum blaſphemiarum haberentur, multisque inter Gallos inviſi, una cum doctrina, redderentur. Ab anno 1532 uſque ad annum 1535, in Gallia, mutata ſubinde

ſcena

ſcena & perſona, vixit; id ex propria ejus confeſſione, in Viennenſi facta judicio, palam eſt; quam tamen confeſſionem in nonnullis Celeberrimus *Mosbemius*, certioribus adductis argumentis, emendat. Duodecim annos Viennæ Allobrogum conſumſit, beneficiis ab Archiepiſcopo urbis, *Paumierio*, ornatus. Carolopoli tres annos, Lugduni biennium ut corre- Pag. 30.
ctor typographicus, dicitur exegiſſe. Sed emendat illum calculum Cel. *Mosbemius*, quia minus videtur credibile, *Servetum*, etiamſi primarium fuiſſet ingeniorum præcocium, intra tam breve tamen tempus, non modo Philoſophiæ, ſed etiam Medicinæ, tam peritum fieri, ac Doctorem, potuiſſe, interque Mathematicos atque Medicos tam celeriter eminuiſſe, ut inter illos ferme princeps haberetur. Quis enim tot libros, quot *Servetus* ſcribebat, edere, quis tam aſſiduam ſacri Codicis, Patrum Eccleſiæ, & Scholaſticorum, lectionem conjungere, denique quis Toloſam proficiſci, & ibi varia nova moliri, intra tam breve tempus potuiſſet? Scena 31-34.
igitur aliter inſtituenda. *Servetus* annis 1535 & 1536 Lugduni fuit; anno demum 1537 Lutetiam Pariſiorum reverſus, *Apologiam pro Symphoriano Campegio in Leonartium Fuſſinum* exaravit. Lugduni cum librario utroque, *Frellonio*, conjuncte vixit; his libros, quos edebant, a typothetarum emendavit ſphal- 36-40.
matibus. Inter hos erant nonnulli grammatici libri, quos *Servetus* ex Latino in Hiſpanicum ſermonem tranſtulit. Anno ætatis trigeſimo, ſacro ſe iterum fonte Viennæ ablui, Anaba- 41.
ptiſtarum more, fecit: id quod Autor Summe Reverendus contra *Fueslinum* tuetur. *Bullingerius* etiam evictum dedit, principem inter Anabaptiſtas locum *Serveto* deberi. Viennæ 43.
per duodecim annos archiatrus, magno in honore erat, uſque dum librum *de Reſtitutione Chriſtianiſmi* ederet, ſuis quidem ſumtibus, ſed opera *Arnoulleti*, qui tamen nunquam eum 45.
librum accepiſſet, & typis deſcripſiſſet, niſi *Scvetus* alleveraſſet, varios hæreticos, ut *Calvinum*, *Melanchthonem*, aliosque, in illo refutatos eſſe, & ipſi præter omnes ſumtus præmium inſuper centum imperialium, perfecto opere, promi- 49.

ſiſſet. *Calvinus*, perlecto hoc libro, per *Guilielmum Trie*, Lugdunenſem, Autorem Viennæ prodidit. Novus autem hic
Pag. 50. *Calvini* diſcipulus, cum a cognatis, inprimis ab *Antonio Arney*, per literas ſubinde impelleretur, ut ad Romanum reverteret cœtum, negabat, ſe filium eſſe poſſe illius ſectæ, in qua hoſtis myſteriorum divinorum & ſanctæ Trinitatis toleraretur, *Servetus* videlicet Hiſpanus. *Antonius Arney* eas literas
52-54. ad *Matthiam Ory*, qui Cardinalis *Turnonii* autoritate Lugduni hæreticos obſervabat, defert. Is negotium iſtud cum aliis, quorum ope & conſiliis indigebat, communicat, & tanta arte ac aſtutia tractat, ut cœpti conſilii, præter tres perſonas, nemo particeps redderetur. Judicium habetur. Citatur *Servetus Villanovanus*, & compellatur de libris hæreticis. Ille vero ab hoc crimine ſe purgat. Poſtridie typographus *Balthaſar Arnoulletus* arceſſitur; nec ex eo quidquam com-
56. periunt judices. Verum, cum juſſu *Matthiæ Ory*, *Antonius Arney* juberetur, integrum *Serveti* librum a *Guilielmo Trie* repetere; hic non ſolum illum librum, ſed etiam literas undeviginti, ad *Calvinum* ſcriptas, protulit, quibus ſtatim con-
61. victus eſt *Servetus*. Cardinalis *Turnonius* in ſuis ædibus cogebat majus Eccleſiaſticorum concilium; decernitur, in
64. carcere detinendum tam *Servetum*, quam *Arnoulletum*. *Servetus*, præſtito jurejurando, judicibus vitam, ſed falſo, enarrat. Exhibentur ipſi quædam paginæ ex *Calvini Inſtitutionibus Religionis Chriſtianæ*, quibus notas ad marginem quasdam adſcripſerat, & quidem in Capite de Baptiſmo. Judi-
65. ces proponunt ipſi has paginas; dicunt, eſſe in iis, quæ offendere pios queant, forte tamen a ſuo Autore excuſari idonea interpretatione poſſe. *Servetus* hac callida accuſatione ita ſtatim perturbabatur, ut explicare quædam verba incipe-
67. ret, &, emendaturum ſe mentem ſuam, polliceretur. Cum iterum vocaretur in judicium, ac reliquæ ipſi epiſtolæ oſtenderentur; ita perterrefactus eſt, ut flens obteſtaretur judices, ac, vera ſe dicturum, promitteret, nunquam tamen magis, quam
69-71 ſeq. tum, mentitus. Quo facto, in carcerem reducitur, nec ad eum quisquam admittitur. Fuga tamen hic ſibi conſuluit. Nam

Nam ex horto, abſente cuſtode carceris, in tectum ſe proximum demittit, mox per urbis portas, nullo interpellante, evadens, ignis ſupplicium ipſe tum effugit, effigies ſaltem ſuſtinuit.

Ad calcem hujus libri adjecta ſunt ſequentia documenta: Epiſtola *Calvini* Gallica ad *Joh. Frellonium*; *Frellonii* Epiſtola ad *Servetum*; *Marrini* Epiſtola ad eundem; *Guilielmi Trie* Epiſtola ad cognatum ſuum *Arney*; alia ſecunda, & tertia; aliæ literæ Cardinalis *Franciſci Turnonii* ad *Maugironium*; tabulæ judicii Viennenſis; ſententia Procuratoris fiſcalis ſedis Archiepiſcopalis Viennæ, ſuper crimine hæreſeos, contra *Michaelem Villanovanum*, Medicum; *Serveti* Epiſtola quædam ad *Jo. Calvinum*; Senatus *Genevenſis* reſponſio ad magiſtratum Tigurinum; Tigurinorum reſponſum; Senatus Genevenſis Epiſtola ad Clerum Tigurinum; *Johannis Halleri* literæ ad *Henricum Bullingerium*; ad eundem Epiſtola *Simperti Voigtii*; denique ad eundem Epiſtola *Joannis Calvini*. Atque hæc omnia magna cum fide, accuratione, & integritate, adducta ſunt. Pag. 89 ſeq.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE des Sciences, &c.

hoc eſt,

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENtiorum & elegantiorum literarum, quæ Berolini floret, ab origine ejus uſque ad præſens tempus: una cum ſcriptis avthenticis.

Berolini, apud Haudæum & Speneruin, Aulæ & Academiæ regiæ bibliopolas, 1750, 4.

Alph. 1 plag. 10, Tabb. æn. 2.

Quæ aliquot abhinc annis egregios laborum ſuorum poſt inſtaurationem fructus prodere cœpit *quatuor Hiſtoriæ & Commentariorum Tomis* illuſtris Academia Berolinenſis, ejus nunc

nunc Hiſtoriam, a fundatione ad præſentem uſque diem expoſitam, in manus noſtras traditam videmus. Debetur ea Hiſtoriographo Academiæ, doctiſſimo *Formejo*, pluribus jam ingenii ſpeciminibus inter eruditos claro. Noſtrum itaque inprimis, quibus hiſtoriam rei literariæ pertexere curæ cordique eſt, eſſe judicamus, paulo uberiorem ejusdem notitiam exhibere, & hiſtoriam Academiæ a primis incunabulis repetere. Fuit nimirum præcedenti Seculo velut epocha quædam erigendarum Academiarum & Societatum literariarum. Prima iis anſam dediſſe videtur *Academia Gallica*, A. 1635 inſtituta. Hanc excepit *Academia regia Inſcriptionum*, A. 1663 fundata; eamque mox ſubſecuta A. 1666 *Academia regia Scientiarum*, illuſtri *Colberto* ortum debens. Eodem fere tempore A. 1660 regia autoritate confirmata eſt *Anglica Societas regia Scientiarum*, cum jam diu ante intra privatos parietes ſubſtitiſſet. Plures dein enatæ ſunt in Italia Academiæ, adeo, ut vix reperiatur alicujus momenti urbs, tali non inſignis. Has inter eminent *Florentina*, & *Bononienſis*, quarum hæc præſenti demum ſeculo celebrem illum Comitem *Marſilium* agnoſcit fundatorem. In Germania nota eſt ſatis *Societas* illa dicta *fructifera*, at interitum rurſus paſſa. Ad exemplum Anglicæ erecta eſt A. 1672 *Societas Leopoldina*, ſeu *Collegium Naturæ Curioſorum*. Ipſiſſimum vero præſentis ſeculi initium decorat illuſtris, de qua nunc ſermonem facimus, *Academia Scientiarum Berolinenſis*; idque ſub auſpiciis *Friderici*, Regis primi, qui jam ſuum in literas & artes amorem inſtitutione *Academiæ Picturæ*, *Sculpturæ*, *Architecturæ*, Berolini A. 1691, & Univerſitatis Halenſis A. 1694 inauguratione, declaraverat.

En, quæ ipſi ortum dedit, occaſionem. Integra tum Europa videbatur in reformando Calendario occupata. Singulari Comitiorum Ratisponenſium decreto imperata erat in Imperio Germanico hæc emendatio. Sed, cum opus eſſet ad hoc negotium viris, in Aſtronomia verſatis, eos ad ſe vocare, inque ipſa regia conventum iis dare, conſtituit *Fridericus*. Mox

Mox alia res inde enata. Cum enim impreſſio Calendariorum emendatorum haud contemnendum præberet lucrum; cogitatum eſt de eo in ſalaria eruditorum, non Aſtronomiam tantum, ſed & alias ſcientias, colentium, impendendo. Verum enim vero inficias iri nequit, fuiſſe hæc Academiæ, ut rerum omnium, initia tenuia & imperfecta. Solenne tamen fundationis Diploma a Rege accepit A. 1700, una cum regula, ſecundum quam dirigendi eſſent Sociorum labores. Eodem tempore nacta eſt, quo gloriari poſſet, Præſidem, *Leibnitium*. Is non ſolum multo, in ejus erectione ſollicitanda, inque ipſa ejus prima inſtitutione literis mandanda, poſito, ſtudio, ſed & poſt id tempus inſigni ejus conſervandæ cura, nec non egregiis quibusdam ingenii monumentis, ad eam miſſis, optime de ea eſt promeritus. Jactis ita feliciter Academiæ fundamentis, quis crederet, integrum adhuc decennium ipſam ejus erectionem fuiſſe retardatam? Deberi hoc videtur partim lentiori Obſervatorii & ædificiorum Academicorum exſtructioni, partim turbido, quo Europa tunc agitabatur, rerum ſtatui, curas Regis & miniſtrorum aliorſum dirigenti. Nullus fuit hoc temporis ſpatio regularis Sociorum conventus, nullaque adeo Societas. Interea tamen præfixus eſt Obſervatorio & Calendario *Gothofr. Kirchius*, ſed e vivis A. 1709, ante peractam penitus Calendarii concinnandi diſpoſitionem, ereptus. Eodem tempore recepti ſunt in Sociorum numerum varii eruditi abſentes, Germani & extranei. Comparuit denique A. 1710 primus ſtudii Sociorum fructus ſub titulo *Miſcellaneorum Societatis Scientiarum ad incrementum ſcientiarum*, variis egregiis & ſelectioribus ex univerſa re literaria ſpeciminibus conſpicuus. Tandem illuxit A. 1711, 19 Jan., ipſo coronationis regiæ anniverſario, dies ille feſtus, quo celebratus eſt ſolennis inaugurationis actus. Præſens Regis juſſu fuit declaratus Director L. B. *de Prinzen*, Status miniſter. Claſſes conſtitutæ quatuor: phyſica & medica, mathematica, philoſophica, Hiſtoriæ patriæ. Singularum electi Directores, nec non Præſes vicarius, Cl. *Jablonſkius*. Excuſus in hujus actus monumentum nummus, inter-

terque Socios diſtributus. Datum ei novum de dirigendis Sociorum laboribus Mandatum regium.

Palmaria quædam, quæ poſt id tempus uſque ad inſtaurationem ejus contigerunt, ſunt ſequentia. Inter prima ipſius conamina fuit erectio plantationum ad nutriendos bombyces. Cogitatum quoque de edendo Dictionario Germanico. Fatalis ei fuit annus 1713 morte fundatoris & protectoris, *Friderici*. Sequens regnum *Friderici Guilielmi* Regis; aliis longe rebus, quam literis, indulgentis, etiam Academiæ parum favens fuit. Siluerunt inter arma Muſæ. Erectum tamen Theatrum Anatomicum, non quidem ad incrementum ſcientiæ, cujus nomen præ ſe fert, ſed quod Chirurgiæ, hinc rei militari, inſervire poſſe videretur. Annexum ei Collegium medicum & chirurgicum, eoque impenſa ſalaria, Academiæ deſtinata. Hoc itaque prætextu quodammodo ab interitu vindicabatur Academia. Non mirum ideo, ſatis lente ſecuta eſſe primum reliqua laborum ipſius ſpecimina, quorum ſub titulo *Continuationis Miſcellaneorum* prodiit ſecundum A. 1723, reliqua A. 1727, 1734, 1737, 1740, 1743; ſeptem adeo in univerſum *Tomi*. *Leibnitius* tunc temporis jam dudum de Academia non curabat. Mortuo eo, titulus Præſidis collatus A. 1718 *Jac. Paulo Gundlingio*, Conſiliario Regis intimo; cui ſucceſſit A. 1733 *Jablonskius*. Tandem, ſecuta A. 1740 morte Regis, ſub *Friderico II* longe aliam faciem nacta ſunt omnia. Cogitavit is mox de Academia, ejusque ſalariis in merentes collocandis. Ceperunt tunc viri quidam, dignitate non minus, quam eruditione, illuſtres, conſilium de conventibus privatis, partim Sociorum, partim aliorum, habendis, quod factum apud Comitem *de Schmettau*, L. B. *de Borcke*, tandemque in ipſa arce regia. Denique Rex ipſe, conſtitutis hunc in finem peculiaribus Commiſſariis, Societatem inſtaurandam ſuſcepit. Datum ei nomen *Academiæ regiæ ſcientiarum & elegantiorum literarum*. Conſtituti *Curatores* quatuor: Comes *de Schmettau*, Comes *de Gotter*, (cui dein ſucceſſit L. B. *de Arnim*,) L. B. *de Viereck*, & *de Borcke*. Primum itaque conventum generalem poſt peractam inſtaurationem celebravit Academia d. 23 Jan. A. 1744. Propoſuit præmium

50 du-

Digitized by Google

50 ducatorum, quod primum adjudicatum A. 1745 diſquiſitioni de electricitate. Decretum quoque eſt, *Commentarios* lingua Gallica in poſterum edendos, idque munus demandatum Cl. *Formejo*, cum dignitate Hiſtoriographi. Tandem A. 1746 conſtitutus a Rege *Præſes* eſt illuſtris *de Maupertuis*, quem nominaſſe ſuffecerit; eique data poteſtas ſumma in rebus omnibus, ad Academiam pertinentibus, cujuscunque ſint naturæ. Diviſa Academia in *Claſſes* quatuor: 1) *Philoſophiæ experimentalis*, quæ complectitur Chymiam, Anatomiam, Botanicam, omnesque ſcientias, experientia fundatas; 2) *Mathematum*, Geometriæ, Algebræ, Mechanicæ, Aſtronomiæ, ſcientiarum omnium, circa extenſionem abſtractam, aut numeros, verſantium; 3) *Philoſophiæ ſpeculativæ*, quo referuntur Logica, Metaphyſica, Philoſophia moralis; 4) *elegantiorum literarum*, qua comprehenduntur Antiquitates, Hiſtoria, & Linguæ. *Academicorum* ordines facti tres: 1) *Ordinariorum*, quorum in quavis Claſſe triplex genus: *Veteranorum, Penſionariorum, Aſſociatorum*, & quidem tam Penſionariorum, quam Aſſociatorum, numero duodecim, in quavis Claſſe æqualiter diſtributorum; 2) *Honorariorum*, Claſſi nulli certæ addictorum; 3) *Extraneorum*. Horum ſinguli eligendi ſunt pluralitate vocum ab omnibus Sociis præſentibus, ita tamen, ut pro Penſionariis tria ſubjecta ſint decernenda, Regisque arbitrio electio relinquenda. Cuivis Claſſi præfixus *Director*. *Conventus ordinarii* tenendi ſingulis Jovis diebus. A quovis Penſionario Diſſertationes duæ, ab Aſſociato una ad minimum, quotannis legendæ. Tacemus leges alias, a Rege Academiæ datas, qui & *Protectoris* titulum aſſumſit, fauſtiſſimo Academiæ omine. A ſolenni iſta inſtauratione, A. 1745 facta, in lucem prodierunt *Hiſtoriæ & Commentariorum Academiæ Volumina* adhuc quatuor. *Præmia* autem diſtributa quinquies: A. 1745 de electricitate *Waizio*; A. 1746 de cauſa ventorum *Alambertio*; A. 1747 de monadibus *Juſtio*; A. 1748 de progreſſu armorum Romanorum in Germania *Feinio*; A. 1749 de generatione nitri *Pietſchio*. Excuſi quoque *nummi* varii in rerum notabiliorum monumentum. Ceterum *Conventus publici* habentur ſingu-

Digitized by Google

lis annis bini, quorum ſinguli huc uſque præſentia Principum, & aulicorum, ſummis dignitatibus illuſtrium, fuere inſignes. En præſentem Academiæ ſtatum, de quo, eſt, quod gratulemur patriæ noſtræ, gratulemur ſcientiis, & ulterioribus ejus conaminibus illius honorem, harum incrementum, promovendum & optamus, & ſperamus.

Pag. 129. Sequuntur jam *Elogia Academicorum, poſt inſtaurationem defunctorum*, nominatim *Car. Steph. Jordani*, ducis bellici *de Golze*, tribuni militum *de Keyſerlingk*, Status miniſtri *de Borcke, du Han, des Vignoles, Lamprechtii, Naudæi, Wagneri, Jo. Bernoullii, Griſchovii.* Prodierunt jamjam ea in *Voluminibus Hiſtoriæ*, antea editis.

185. Porro comparent ipſa *ſcripta authentica*, ſermone Germanico, Latino, Gallico, quorum verſiones in præcedenti Hiſtoria debitis locis fuere inſerta. Sunt ea numero decem, Mandata nempe regia, Diploma, Literæ patentes, &c. ut & Orationes, occaſionibus ſolenrioribus habitæ.

235. Ultimo exhibetur loco *Catalogi Sociorum, omniumque perſonarum, ad eam Societatem pertinentium*, primus ab A. 1700 ad 1711, alter A. 1744, tertius, prout nunc ſeſe habet A. 1750. De his omnibus, nihil eſt, quod moneamus.

OBSERVATION ET REMARQUES SUR LES effets du Virus cancereux, &c.

hoc eſt,

OBSERVATIONES DE EFFECTU VIRUS cancroſi, & conamina inveniendi remedium ſpecificum contra hoc malum, Autore LOUISIO, Chirurgo.

Pariſiis, apud Delaguette, 1749, 12.

Plag. 3.

Cancer, dirus morbus, remediis pæne nullis cedens, ni removeatur pars affecta, ne ſincera in conſenſum trahatur, diverſa in corpore exhibet phænomena, quæ & notari ſtudioſe merentur, & iis, qui ea exponunt, laudem conciliant. Eo autem nomine commendandus eſt molis minoris hic Clari *Louiſii* libellus, qui caſum curioſum, ex cancri effectibus explanan-

planandum, exponit. Fœmina pinguioris corporis habitus,
ſana præterea & vegeta, ſexaginta annorum, dum rhedam ad-
ſcendit, innixa rhedarii brachio, illico humerum ſiniſtrum
frangit, qui, accedente Cl. *Louiſio*, reponitur quidem, & con-
ſueto tempore conſervet, ita tamen, ut circa locum fractu-
ræ præter naturam tumida eſſe pars obſervaretur. Paulo
poſt, leviori brachii motu in femoris dextri os, vehementi do-
lore afficitur, iterumque arceſſito *Louiſio*, conſtat, & illud os
fractum fuiſſe. Studioſe itaque in cauſas ipſe inquirens, inve-
nit, cancro mammarum jam ab aliquo tempore laboraſſe fœ-
minam, qui ſimul effecit, ut nec ſanatio ex votis cederet,
ſed fœmina tandem accedente febre periret. Sequentes autem Pag. 11.
poſt mortem in corpore fuere detectæ mutationes: Oſſa non
carioſa, ſed ſicca, erant, & fragilia, medulla itidem ſicca, fri-
abilis, à parietibus cavitatum oſſearum liberata. Circa partem
fractam oſſa intumuerunt, & cartilagineam habebant ſubſtan-
tiam, ita quidem, ut interna oſſium cavitas in totum eo in
loco fuerit deleta. Siccitatem oſſibus per virus cancroſum 14.
inductam fuiſſe, judicat, tumorem vero eorum poſt fra-
cturam demum acceſſiſſe. Licet autem cancri natura conſi-
ſtat in aliqua humoris, in ſcirrhoſa glandula ſtagnantis, cor-
ruptione & acrimonia, quæ, per venas reſorpta, varias produ-
cere poſſit turbas, in mollioribus tamen partibus eam forte 18.
ob cauſam ſuæ præſentiæ ſigna edidiſſe nulla videtur Cl. Au-
tori, quod pinguioribus abundantibus partibus potuerit invi-
ſcari. Credit enim cum *Severino*, partes molles agere poſſe
in ſuccos vitiatos, immutare & expellere eosdem, oſſa vero
ob fibrarum debilitatem eos retinere. In omni medullæ vi- 20.
tio oſſa fragiliora reddi conſtat; tumor tamen eorundem ſingu-
lare eſt phænomenon, quod ex ſuccorum nutritiorum, ex
vaſis ſuis miſſorum, & corruptorum, natura deducit, qui
poſtmodum emolliant oſſa, &, dum ſtagnant, tumorem
excitent. Et hæc quoque ratio eſt, quare multi, poſt per-
actam quamvis feliciter partis affectæ exſtirpationem, caute-
ria, ſetacea, aliaque ejusmodi ſuadeant remedia, quibus ta-
men omnibus non ſemper vitioſæ, in ſanguine latentes, par-

 tes.

Digitized by Google

Pag. 30. tes expugnantur. De ſpecifica itaque diſquirit medicina, quæ cancroſos invertat ſuccos. Hydrargyrium minus valens eſſe, experientia teſtatur. *Quesnayus*, Chirurgus, feliciter uſus eſt *Sedi vermicularis* ſucco, cujus obſervationes in fine additæ leguntur. Quod ſane, ſanguini admiſſum, eum condenſat, hinc ſolutioni putridæ & acrimoniæ reſiſtere poteſt; nimis vero acrem, in corpus ingeſtam, & acerbam, eſſe hujus ſucci indolem, putans, omne ſolatium de auſtero quodam remedio, uti eſt alumen, exſpectandum eſſe, proponit. Negandum tamen non eſt, & huic aluminis uſui, quem nulla ab eo capta comprobavit experientia, varia opponi poſſe cogitata, & inter deſperatos morbos cancrum eſſe referendum.

ABRAH. VATERI, PHIL. ET MEDIC. Doct. Prof. Prim. in Acad. Viteb. nec non Societatum Imperial. Nat. Cur. German. Anglic. & Berolin. Socii, atque Muſei Regii Præfecti, Muſeum anatomicum proprium. Acceſſerunt obſervationes quædam Autoris anatomicæ & chirurgicæ, cum Præfatione LAUR. HEISTERI.

Helmſtadii, apud Chr. Frid. Weygand, 1750, 4.
Plag. 20, Tabb. æn. 12.

Quanta ſint Cel. hujus Muſei Autoris in Anatomen merita, & quibus, nobiliſſimam hancce ſcientiam illuſtrantibus, inclaruerit inventis, nemini forte incognitum eſſe poterit, niſi illi, qui utiliſſimæ corpus humanum ſcrutandi doctrinæ plane eſt imperitus. Ex quo omnes jam intelligent, quid de curatiori, in Muſeo proprio contentarum corporis humani partium, deſcriptione ſit ſtatuendum. Non enim ad magni *Ruyſchii* methodum ſolum vaſa replendi artificio uſus eſt feliciter, ſed ipſum quoque in arte magiſtrum haud raro ſuperavit, ſuoque, omnium ut demonſtrationi utilitatique inſervire poſſint, condidit theſauro, quibus & illa adjecit, quæ liberali manu ipſi tradiderat *Ruyſchius*, ſchemata. Ob adverſam vero, quæ magnorum virorum laboribus ſæpe comes

eſſe

eſſe ſolet, valetudinem in edendo hocce theſauro impeditus, ejusdem deſcriptionem Cel. *Heiſtero* tradidit; cujus adeo cura, gratam Anatomicis præſtans operam, luci exponitur publicæ. In *duas* totum dirimitur opus *Partes*, quarum *prima* ſiſtit præparata, ſicco modo aſſervata, *altera* vero illa complectitur, quæ in liquore ſpirituoſo conſervantur. Unaquæque, ipſa ſuadente natura, in varias ſecedit ſectiones. Comparata, quam vocant, anatome, cum haud raro machinam corporis illuſtret humani, vel diverſarum actionum utriusque corporis doceat mechaniſmum, a nullo neglecta Anatomico, noſtri quoque *Vateri* occupavit manus; quapropter præparatis corporis humani partibus illæ ſemper junguntur, quæ ex brutis deſumtæ ſunt animantibus. Primo autem loco integra proponuntur cadavera humana, aliud adulti hominis, aliud abortus; in priore autem omnium vaſorum innumera fere ſimul cum viſcerum naturali ſitu conſpicitur copia; hisque, ob rationem antea expoſitam, vitulinus ſimul apponitur fœtus. Capitum deinde & partium, ad illud pertinentium, præparata, tum humana, tum brutorum animalium, adducuntur, deſcribunturque, quæ cerebri & meningum partes excipiunt. Notanda poſtea ſunt, cum de ſingulis Cel. *Vateri* induſtria teſtetur, nervorum, quoad ramificationes & in papillas terminos, ſubtiliora ſpecimina. Subtiliſſimorum vaſculorum præſentiam, interioremque fabricam, exhibent ea, quæ ex ore, lingua, faucibus, oculis, auribusque, deſumta ſunt, præparata. In pectoris viſceribus declarandis occupatus, ſterni mentionem injicit, quod tanta vaſorum copia perfunditur, ut, a *Ruyſchio* deſcriptum, ejusdem partis exemplar, ni ſuperet, certe æquet. Enarrantur deinde corda, cum pulmonibus adhuc nexa, vel ab iis ſoluta, ex diverſis animalibus, hisque ſyſtemata vaſorum arterioſorum venoſorumque adjiciuntur. Ex abdominis viſceribus diaphragma primo loco conſideratur, ventriculi deinde inteſtinorumque partes aſſervatæ accuratius exponuntur, de quibus, prout de hepate & liene valet, innumeris vaſculorum myriadibus compoſita eſſe viſcera, id quod de liene ſigillatim monetur humano, cujus differentia a bruto-

Digitized by Google

brutorum liene explicatur. Poſt renes expoſitos, ad genitales utriusque ſexus partes progreditur, quæ, cum ex brutis & homine ſint deſumtæ, quantum alterum ab altero differat, clare manifeſtant. Finem autem huic libro præparata artuum & partium, ex iis deſumtarum, imponunt. In *altera* totius operis *Parte*, ſeu *Libro ſecundo*, præparata, in liquore conſervata, eodem proponuntur ordine, eodemque cum ſtudio illa elaborata fuiſſe, apparet, quo priora. Unum tantum monemus, in expoſitione præparatarum linguarum ingenue fateri Cel. Autorem, ſe novum illum ſalivalem ductum, per foramen linguæ cœcum deſinentem, olim propoſitum & defenſum, variis diſquiſitionibus, poſtea inſtitutis, non reperiſſe, quo adductus, credit, ejus defectum forte minoribus ductulis, nec in unum coeuntibus, in lateribus linguæ ſuppleri. Supereſt, ut de hiſtoriis atque obſervationibus rarioribus anatomicis & chirurgicis, quæ huic Muſeo mantiſſæ loco adjiciuntur, quædam adducamus. Arbitramur autem, jure quodam in recenſendis earundem inſcriptionibus nos ſubſiſtere poſſe, cum inprimis, quod ad anatomica inventa attinet, omnibus ſatis jam cognita eſſe ſciamus, licet hac collectione communi, quod breviora ejusmodi ſchediaſmata manet, fato tuto præſtentur. *Obſervatio I* proponit conjecturas de mechaniſmo, quo natura utitur in obturando foramine ovalis in corde pueri, unius circiter anni, adhuc aperto, & fibra carnoſa, tranſverſim obducta, inſtructo. *Obſervatio II* novum ductum ſalivalem, in lingua infantis detectum, explicat, atque novis experimentis confirmat. *Obſervatio III* de colo inteſtino inverſo agit, per quatuordecim annos ex abdomine propendente. *Obſervatio IV* hiſtoriam tradit fœminæ, per tres annos cum dimidio ſibi aliisque gravidæ viſæ, in cujus defunctæ cadavere diſſecto tumor ovarii dextri enormis inventus fuit. *Obſervatio V* lienis humani celluloſam ſtructuram adſtruit. *Obſervatio VI* uterum gravidum phyſiologice & pathologice conſiderat, expoſita ſimul ejus ſtructura ſinuoſa, ac orificiorum, menſes & lochia fundentium, fabrica. *Obſervatio VII* ſarcoma, e pudendo muliebri ſectione ſublatum, deſcribit & delineat. *Obſerv. VIII* icones

icones embryonum, primorum menſium, abortu editorum, exhibet. *Obſervatione IX* Febris tertiana adducitur, quæ ob empyema, e vomica pulmonis rupta in cavitatem pectoris effuſum, indeque pulmonem hujus lateris compreſſum, penitusque ab officio remotum, mortem poſt ſe reliquit. *Obſervatio X* examinat conſenſum partium corporis humani, occaſione ſpaſmi ſingularis, in manu, ejusque digitis, ex hernia obſervati, ſimulque exponitur nervorum brachialium & cruralium coalitus peculiaris, atque papillarum nervearum in digitis diſpoſitio. *Obſervatio XI* Polypi naſi, ex faucibus extracti, deſcriptionem continet. Collectis hiſce ex Programmatibus & Diſſertationibus Academicis, olim propoſitis, obſervationibus ſingulis Tabulæ adjunguntur æneæ, quibus deſcriptæ in iis hiſtoriæ illuſtrantur.

Kosmographiſche Nachrichten ꝛc.

hoc eſt,

RELATIONES ET COMMENTARII COSmographici ad Annum 1748; ad incrementum Coſmographiæ a Membris Societatis coſmographicæ collecti.

Viennæ, apud J. P. Krauſs, Bibliopolam, Norimbergæ in officina Homanniana, 1750, 4.
Alph. 3, Tabb. æn. 7.

Poſt tot egregia, a ſingulis Societatis Coſmographicæ membris edita, ſpecimina, jam Acta Societatis in publicum prodeunt. Ut ante omnia de inſtituti ratione verba faciamus, in duas Acta hæc diſpeſcuntur *Partes*. *Prima* continet *Relationes*, hoc eſt, notitiam eorum, quæ ad Coſmographiam excolendam peraguntur, exhibet; *altera Commentarios* complectitur, hoc eſt, Diſſertationes Sociorum proprias. Illa igitur *Pars* literaria potiſſimum eſt, hæc ſcientifica. Prior iterum in duas *Sectiones* dividetur; ita quidem, ut primo enumerentur ea omnia, quæ, ad hunc cenſum pertinentia, ſumtibus ſpe-

 ciatim

ciatim *Homannianis* divulgantur, poſtea vero omnes libri & ſcripta coſmographica, itineraria, inventa, obſervationes aſtronomicæ, generatim quicquid ad augendam emendandamque Coſmographiam ubivis terrarum agitur, recenſeantur, & ſummatim dijudicentur. *Sectio* hæc *poſterior* vicem ideo geret Ephemeridum literariarum, quibus ea, quæ aliquot abhinc annis lucem adſpexerunt, & in poſterum adſpicient, memoriæ tradentur, ſimulque jacientur fundamenta Bibliothecæ geographicæ & hiſtoriæ mapparum geographicarum, iis, qui in poſterum tam Coſmographiæ, quam Hiſtoriæ, operam dabunt, apprime profutura.

Etſi igitur *priori Parti* non alios, quam univerſæ reipublicæ literariæ, limites ponant Socii; tamen in præſenti, ne nimium in volumen excreſceret *Tomus* hicce, ſola *Homanniana* ſepoſitis interdum reliquis, attingunt. Primo hic recenſentur, quæ, ad Geographiam Germaniæ ſpectantia, ipſorum opera & ſtudio prodiere. Talia ſunt: Mappa Circuli Sueviæ, ex ſubſidiis *Michalianis* delineata, & a *J. M. Haſio*, Math. Prof. Wittenb. quoad accuratam ſingulorum ſtatuum determinationem emendata, & ad leges projectionis reducta. Quibusnam ſeſe commendet præ omnibus, huc uſque editis, Mappa hæc, & quænam circa eam notanda ſint, ample exponitur, ſimul, ad uberiorem ejus explicationem, ſingularium quarundam Sueviæ ditionum & locorum, ut territorii Memmingenſis, fontis Wildbadenſis, ditionis Durlacenſi, fortalitii Kehl, deſcriptiones exhibentur. Sequitur delineatio Circuli Budiſſenſis Luſatiæ ſuperioris, incerti Autoris, ſed veriſimiliter operationibus gæodeticis *Zürnerianis* debita. Porro Regni Bohemiæ Mappa maxima & ſplendidiſſima, 25 foliis conſtans, Autore *J. C. Müllero*, Centurione & Ingeniario Cæſ. Hanc excipit Deſcriptio ampla Electoratus Moguntini, prout in varia dominia (Germanice *Vicedomamter*, *Aemter*, *Oberamter*, *Centen*, *Kellereyen*, *Hofmeiſtereyen*, *Amtsverweſereyen*) dividitur. Notitia denique exhibetur ditionis Naſſovia-Saarbrücenſis. Pergitur dein ad regiones exteras, & primo de Geographia recentiori Hungariæ, & regionum, alias eo relatarum,

tarum, ſermo inſtituitur. Commendatur hic Mappa generalis Hungariæ, a Cel. *Haſio* concinnata, inprimis vero delineatio finium Hungariæ, juſſu Auguſtiſſ. Cæſ. *Leopoldi a Müllero* conſtructa, elegantiſſima, e delineationibus tribus generalibus & 39 ſpecialibus compoſita, at nondum publici juris facta, ſed in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi aſſervata. Tandem, quæ ad Geographiam recentiorem regni Turcici, regni Poloniæ, Lithuaniæ, Curoniæ, pertinent, enumerantur. De hiſce omnibus in univerſum notamus, ea non tantum illuſtrandis Mappis *Homannianis* inſervire, &, quanta cum cura ex delineatæ ſint, palam facere, ſed & generatim utiliſſimam ad Geographiam iſtarum regionum exhibere notitiam, ita ut inſignem nobis fructum harum *Relationum* continuatio ſit promittat.

Sed, cum hæc natura ſua ita ſint comparata, ut uberiorem eorum notitiam liber ipſe optime præbere poſſit, jam potius ad *Commentarios* progredimur. Sunt autem hi: 1) *Tob. Mayeri Deſcriptio micrometri novi.* Simpliciſſimum id eſt, conſtans ſolum vitro plano polito, cui ſuperinductum atramentum Sinicum, e quo exſiccato ope calami ſcriptorii faſciæ parallelæ, velut totidem ſulci, tolluntur, ut ſic vitrum, ita præparatum, retis micrometrorum conſuetorum vicem ſubeat. Uſum quoque ejus exponit Autor, & addita Tabula illuſtrat. 2) *Ejuſd. Obſervatio Aſtronomica magnæ eclipſeos ſolaris A. 1748 d. 25 Jul., in ædibus Homannianis facta.* Quæ cum fuerit e maximis, quæ accidere ſolent, una, eam ſumma cum cura obſervare, & hic deſcribere, haud abs reputavit *Mayerus*. Notat inprimis, diametrum lunæ apparentem non, ut vulgo ſibi perſuadent, fuiſſe imminutam. 3) *Ejuſd. Obſervationes aliquot appulſuum Lunæ ad fixas, A. 1747 & 1748 habitæ.* Poſtea idem *Mayerus* conatus ſuos pro Selenographia perficienda exponit *Diſſertatione* 4) *de revolutione Lunæ circa axem, & motum macularum lunarium apparentem*, quo ipſo fundamenta Selenographiæ emendatioris e novis obſervationibus jaciuntur. Quantacunque fuerit *Hevelii* aliorumve induſtria; patet tamen, poſt illorum operam plurima ad-

Pag. 1.
11.
41.
52.

Digitized by Google

huc reſtare, quæ *Mayerus,* & accuratioribus, quam illi, micrometro deſtituti, fecerant, obſervationibus, & theoria majore, inſtructus, feliciter aggreditur. *Prima Commentationis Pars* hic comparet. Initio de uſu Selenographiæ accuratioris agit, qui non ſolum generatim in theoria corporum cœleſtium confirmanda, ſed inprimis in eclipſium lunarium & occultationum fixarum obſervationibus exacte magis inſtituendis, elucet. Poſtea hiſtoriam Selenographiæ brevem tradit, de qua hic quædam notabimus. Prima fuerunt *Galilæi, Scheineri,* & *Schirlæi,* circa eam conamina, ſed adhuc valde imperfecta. Eandem aggreſſi ſunt, eodem fere tempore, *Langrenius* & *Hevelius,* quorum hic præſertim de ea optime eſt meritus, ultra 40 faciebus Lunæ cum cura delineatis & deſcriptis, ac primum nominibus inſignitis, adeo, ut duæ ejus Tabulæ majores Lunæ ſint adhuc ſui generis optimæ. Haud multo poſt *Ricciolus* aliam ejusdem delineationem, aliam quoque nomenclaturam, edidit, at *Heveliana* non præſtantem. Poſt hos ad hunc uſque diem haud majores fecit progreſſus Selenographia. Librationem Lunæ jam animadvertit *Galilæus,* explicationes dederunt *Hevelius* & *Ricciolus,* ſed rei naturæ parum congruas. Feliciori conatu theoriam ejusdem e revolutione Lunæ circa axem tradidit *Caſſinus.* At, in ea deſiderari adhuc varia, inficias iri nequit; cum & ipſas obſervationes, quibus hunc in finem uſus ſit & modum, quo conſectaria ex illis deduxerit, reticuerit. Poſt eum nemo hanc rem penitius ſibi indagandam ſumſit Cel. *Heinſio* noſtro, qui ſcriptum breve edidit de Æquatore lunari, ſed qui, præterquam quod, obſervationum debitarum defectu, inclinationem æquatoris lunaris ad orbitam poſuerit nimis magnam, generatim tantum de eo eſt commentatus. Ut unicum ſaltem defectum theoriæ *Caſſinianæ* indicemus, ſecundum eam axes tres, æquatoris lunaris, eclipſeos, & orbitæ lunaris, jacent in eodem plano, earumque poſitio mutua ſumitur conſtans; quod theoriæ lunari recentiori contradicit, vi cujus orbita lunaris axem habet ad planum eclipticæ variabilem. Sed præterea quoque non ſufficit, theoria quapiam expli-

explicare phænomena faciei lunaris, ſed ad praxin requiritur ulterius, ut ipſe lunæ motus, & poſitio pro tempore quovis dato, definiatur. Omnia hæc deſiderata expoſuimus eo fine, ut, quænam ſibi proponat, ea emendaturus, *Mayerus*, eo melius pateat. Ante omnia hic occurrit quæſtio de figura diſci lunaris, ut, an ea aſſumi poſſit ſphærica, (prout in hoc negotio facit Autor,) an ſecus, palam fiat. De vera itaque corporis lunaris figura, primo quidem a priori, e legibus gravitatis, diſquirit. Dein, quæ hinc reſultant, cum obſervationibus diametri lunaris comparat, ex iisque eandem figuram definit. Poſthac ipſas maculas lunares, earumque juſtam poſitionem, aggreditur. De quibus cum ipſe accuratiores obſervationes diu inſtituerit, eas in præſenti exhibet. Methodos, ſitum macularum reſpectu paralleli, tam apparentis, quam veri, circuli latitudinis, eclipticæ ad lunam relatæ, determinandi, edocet. Fundamenta hæc ſunt, maculas lunares, ceu ad ſolum lunæ diſcum relatas, cognoſcendi, inventa nempe ſingularum & latitudine, & longitudine; ideoque ipſum nunc motum lunæ circa axem in ſe conſiderandi. Hujus itaque nunc theoriam tradit. Inclinationem æquatoris lunaris ad eclipticam, locum punctorum æquinoctialium, tempus periodicum revolutionis circa axem, hinc omnia elementa, ad motum hunc pertinentia, definit. Abſolutis his, uſum eorum, ad indagandas naturæ leges, oſtendit. Denique, quomodo eadem motus revolutionis lunaris theoria ad perficiendam juſtiorem Selenographiam & delineationem macularum adhibenda ſit, explicat. Filum hic abrumpit, &, quod ad omnimodam hujus capitis perfectionem adhuc deſideratur, catalogum nempe longitudinis & latitudinis macularum inſigniorum omnium, & methodum, hujus ope apparentiam earum in diſco lunæ pro tempore quovis definiendi, in poſterum ſe exhibiturum, ſpondet. Jam

5) & 6) *Jo. Chriſtoph. Harenbergius* Mappam ſuam Terræ ſanctæ, apud hæredes *Homannianos* A. 1750 editam, illuſtrat, & rationes, quibus adductus, locorum ſitum hunc potius, quam alium, ſtatuerit, copioſe exponit; Geographiæ mathematicæ Pag. 184.

 non

phænomenorum, quæ in terra ex atmoſphæra ejus conſequuntur, comparatione cum iis, quæ in luna conſpicimus, atmoſphæram hujus deſtruere annititur. Talia ſunt: Diverſitatem gradus luminis in ea lunæ parte, ubi pars illuminata ab opaca ſeparatur, & in reliquo diſco, obſervari nullam; marginem diſci apparere prorſus diſtinctum, probe terminatum, eadem cum reliquo claritate præditum; partem opacam circa confinia lucidæ eodem gradu obſcuritatis eſſe, ac in reliquis locis; refractionem quoque nullam radiorum, a fixis ad nos pervenientium, prope corpus lunæ locum habere, ex occultationibus iſtarum a luna, inſtituto calculo, factaque obſervationum cum eo comparatione, probat. Plena eſt acuminis, & ſolide ſcripta, hæc Diſſertatio. Atque hic gradum ſiſtimus, eo magis, quod, haud facile aliquem patriæ ſuæ amatorem Germanum fore, confidamus, qui non ipſum Opus hocce, bonæ frugis pleniſſimum, evolvere geſtiat. Nos vero Societatis non ſatis laudandis conatibus proſperitatem omnem, præcipue autem Principum potens auxilium, ex animo comprecamur.

RECHERCHES HISTORIQUES SUR L'origine & les progrés de la conſtruction des Navires des Anciens, &c.

hoc eſt,

ANIMADVERSIONES HISTORICÆ IN ORIGINEM & progreſſum conſtructionis Navium apud veteres, Autore Domino SAVERIEN, rei maritimæ Ingeniario.

Pariſiis, 1747, 4.

Plag. 6.

Libellus hic, ſi forte a novitate doctrinarum gratiam non habet, eſt tamen ab argumenti præſtantia, brevitate narrationis, & facilitate dictionis, commendabilis. Veteris orbis inſtituta paſſim exemplis gentium Americanarum non incon-

incongrue illuſtrat, citatis Græcis & Latinis lectores non onerat, non expedit difficiles lites doctorum hominum, qui de re nautica veterum narrarunt; ea tamen de ortu primisque incrementis & ſtructura navium tradit, quæ rudi harum rerum ſufficere queant. Sunt autem ea hæc ferme. Operam nempe dabimus, ut recenſio noſtra libelli moli quodammodo reſpondeat. Primo itaque loco diſputat, fuerintne ante diluvium *Noachi* naves ab humano genere conſtructæ, quod, ſunt qui, affirmant; ſunt rurſus, qui negant. Illorum argum e ita in medium profert Autor; his calculum ſuum addit. Originem autem navium hanc perhibet. Cum viderent homines, res leves aquæ innatare, contexuiſſe illos, ait, primum e juncis fiſcellas, qualis illa erat, in qua *Moſes* Nilo commiſſus fuit. Paulo poſt, experientia fragilitatem iſtius navigiorum generis demonſtrante, cœpiſſe homines truncos arborum cortice aliisque vinculis colligare, iisque impoſitos ſeque ſuasque res per fluvios promovere, adjuvantibus undarum celeritatem, & curſum ſchediarum moderantibus, longis perticis, quas rector, prout res exigeret, modo hanc, modo illam, in partem transferret, ne trabes ad unam alteramve ripam impingerent. Cum autem contingeret, ubi fluviorum profunditas longitudinem contorum excederet, ut fundum attingere non valerent, adeoque fluctuarent, deventum ex eo fuit ad inventionem remi. Scilicet alligabantur tales longi conti ad utrumque ſchediarum latus, ad extrema latiores, cum intellectum eſſet, tanto majorem undarum molem ſuſtineri & repelli, quanto planius lignum eſſet. Verum poterant talia trabium coagmenta, utpote undique patentia, facile ab inſurgentibus undis obrui; cingebantur ergo primum ramis arborum, dein aſſeribus coaſſatis. Sed & hi poterant facile diſſolvi, vinculis dehiſcentibus. Cœperunt igitur homines truncos arborum excavare. Quod navigii genus Græci μονόξυλα appellarunt, quod ex unico trunco facta eſſent, abſque clavis, ullave coagmentatione. Utuntur illis adhucdum barbari Americani, quibusdam tam vaſtis, ut unicum tale monoxylum interdum du-

centos homines capiat. Indi arundine Indica olim, teſte *Diodoro Siculo*, eundem in finem utebantur. Sectam nempe mediam, & rurſus per nodos conciſam, bis tot habebant naves, eaſque ſatis capaces, quot habebat arundo nodos. En navigium ab imis partibus & a lateribus clauſum, remiſque inſtructum, quale facile poterat antrorſum agi. Sed debebat quoque in utramque partem torqueri, quod ope clavi fit, undis huc illuc agitatis. Illum itaque ſic ait repertum fuiſſe Autor. Obſervabant homines, quæſitum finem obtineri poſſe, ſi puppi remus, ſed latior & brevior, apponeretur. Ita comparata navigia poterant fluvios quidem trajicere & decurrere, ſed adverſus æquorum impetum atque pericula non valebant. Cœperunt ergo tandem aliquando avidi & rerum novarum & lucri mortales de ratione cogitare, qua naves inſtar monoxylorum, ſed multo capaciores, e multis aſſeribus coagmentarent, piſcium forma compagis inſtitutionem docente. Roſtrum, vel caput, piſcis monſtrabat, quomodo conformanda eſſet prora; venter ex dimidio ex undis eminens, quomodo carina; pinnæ docebant remorum, & cauda clavi, uſum, ad puppim additi. Lignei hujus piſcis in ventrem deſcendebatur per feneſtram, ſuperimpoſita porta catarrhacta, ſurſum attractili, clauſam, quæ undas ſuperfuſas excluderet; remi autem per alias feneſtras ab utroque latere prominebant, per quas ſimul & luci diurnæ patebat aditus. Navis, in hunc modum conſtructæ, & pæne jam integræ, autor & demonſtrator primus quis fuerit, non liquet, in diſſenſu veterum. Conſtat tamen, temporibus vel remotiſſimis, ad quæ licet hiſtoriæ adſcendere, eam in uſu jam fuiſſe. Secuta tempora, præter vela, vix novas partes navi addiderunt; at majorem ſtructuræ firmitatem dederunt, & amplitudinem, numerum remorum; quo nempe curſus fieret velocior: vela enim diu poſt remos in uſum venerunt. Initio quidem remi ſinguli in navibus erant tantummodo bini; ſinguli a ſingulis lateribus. *Uniremes* audiebant hæ naves. Accedebat deinceps alter ordo, ut quatuor eſſent remi; unde *biremes* appellabant; tertius denique ordo addebatur; & *triremes* erant ſenis remis inſtru-

inſtructæ naves; eaque ratione multiplicati porro ſuerunt remi ad immanem numerum; ut actæ quædam naves quinquaginta, & aliæ pluribus, remis legantur. Hinc nata lis antiquitatum ſcrutatoribus, quanam ratione diſpoſiti olim ſederint remiges; unane in directum continua ſcamnorum ſerie, ut hodie in piraticis noſtris videre eſt, an gemina triplave, aut etiam pluribus, ſibi invicem ſuperimpoſitis; qualis forma in columna *Trajani* roſtrata conſpicitur. Adhæret Noſter opinioni illi maxime probabili, quæ ſtatuit, cum tres fuerint vetuſtarum navium contignationes, infima θάλαμος, media ζυγὸς, ſumma θρᾶνος, non fuiſſe tribus plures remigum ordines, quorum ſummi θρανῖται, medii ζυγῖται, infimi θαλαμῖται, fuerint dicti. Erant olim remiges liberæ conditionis homines, non, ut hodie ſunt, mancipia; & ad modulos muſicos remos agitabant; qui mos apud barbaros quosdam Americanos adhuc obtinet. Cum autem procedente tempore intelligeretur, multarum manuum quamvis magna contentione & duro labore non multum tamen profici, vela fuerunt navibus addita, caſu eorum uſum monſtrante. Fuit is autem, autore Noſtro, hic. Fœmina quædam, aliquando in tecto navis ſtans adverſus ventum, induta peplo ſuo, ſentiebat, ejus ſinum vento impleri, ſeque violenter impelli; unde pronum erat concludere, ipſam quoque navem idem eſſe paſſuram, ſi tali peplo pannove capaci inſtrueretur. Inventionis hujus memoriam nuno celebratam cum crederet Noſter, curavit eum numum in fronte libelli ſui ære exprimi. Deſumtus eſt e *Montfauconii Antiq. T. IV Parte II*, & fuit, qui *Cleopatræ* celebratam illam a *Dione Caſſio* navim bellicam in eo reperiſſe ſibi viſus eſt. Quem doctum virum Noſter refutare nititur, aſſeverans, *Iſidis* eſſe illam, quæ ibi conſpicitur, imaginem, amiſſum filium requirentis, eamque velorum repertricem eſſe. Laudem mereretur atque admirationem Viri in conjectando ſagacitas, ſi certo conſtaret, ipſum ſculptorem, monumenti autorem, aut unum aliquod nomen certumve aliquem caſum animo tum agitaſſe & exprimere voluiſſe, cum opus

Digitized by Google

ſuum elaboraret, aut, confecto eo, noviſſe ipſum, quidnam expreſſerit. Sed ea eſt antiquariorum ſedulitas, & magnifica de veterum artificum literatura opinio, ut, ſimul atque tubicinem in gemma videant, aut *Marſyam*, aut *Ptolemæum Auletem*, inde efficiant. Icunculam cum ſcapha ſuper humero, interpretantur ſacerdotem *Iſidis*, etiamſi Saxonicus metallifoſſor ſit. Si poſt mille annos eadem erit hominum indoles, atque noſtratium antiquariorum eſt, & contingat, ut eam ætatem ſuperet una, vel altera, ænearum illarum capſularum, quibus plebecula Nicotianam conciſam circumgeſtat (ſunt autem illæ ſculpturis inſignes tam artificioſis, ut, marem expreſſerint, an fœminam hujus ætatis, an Paradiſiacum hominem, vel ipſi ſculptores jurati negent ſe noſſe,) dubium non eſt, non defore tum ingenioſos, qui craſſi quamvis cæli characteribus illuſtria nomina, *Arminii*, *Wittekindi*, *Claudii Civilis*, alia, imponant. Sed revertimur ad opus noſtrum. Poſt inventa itaque vela poterant jam homines pleno mari ſe committere, qui hactenus fluvios excedere, aut oras continentis terræ deſerere, vix auſi fuerant. Longis autem navigationibus opus erat navibus, quæ lignis conſtructæ eſſent & fortibus, & haud facile putreſcentibus. Cupreſſus, cedrus, & maxime pinus, in eum uſum venerunt. Compaginabantur clavis, aut ferreis, aut ligneis, ubi nempe ferri copia non ſuppeteret. Ob metalli penuriam, neque aliam ob cauſam, tota lignea erant olim navigia, quibus Æthiopes rubrum mare exercebant. Nam, quod aliqui perhibent, eos ideo ferro abſtinuiſſe, quod latentes ſub undis montes magneticos extimeſcerent, id vero ad fabulas proſcribit Autor. Cum porro tempeſtatibus quoque obnoxiæ naves in medio mari deprehenſæ eſſent, firmamentum illis excogitabantur anchoræ, quæ primis temporibus ingentes globi ſaxei erant. Quo die devolvenda in ſalum recens ſtructa eſſet navis, ſolennis inſtituebatur pompa, in qua deſcribenda, locum communem nactus, Autor haud pauca verba conſumit. Narrat, tanquam ſi præſens interfuiſſet. Eſt nempe gens, quæ nulla re magis, quam Oratoria fabuloſa, excellit. Ab ancho-

cho-

Digitized by Google

choris & rudentibus ad ſuperſtitiones veterum nautarum delabitur; inde ad roſtra, delphinas, corvos, & alia bellica inſtrumenta & inſignia navium; tum breviter perſtringit (ut argumenta pleraque ſolet) veterum in navalibus prœliis dexteritatem, & aſtronomicam peritiam, poſtea παρέργως *Cynægiri* notum illud facinus, longe arceſſita occaſione, ut locus excurſioni rhetoricæ eſſet. Præmia victorum, & redeuntium a longo itinere navium ornamenta, porro attingit, & tabulas pictas, quas naufragi mendicantes circumferebant. Tandem finit in deſcribendis illis vaſtis, & ad oſtentandam regiam opulentiam conſtructis, navibus duabus, una *Hieronis*, & *Ptolemæi Philopatoris* altera.

Hæc ferme eſt ſumma argumentorum hujus libelli, qui aut brevior potuerat evadere, ſi Autori placuiſſet a propoſito aliena & trivialia omittere, aut copioſior, ſi ſolide rem digneque exequi. Sed ſuperficiaria & levi brachio confecta ſcriptio hæc eſt, quæ prodat, Autorem huic argumento parem haud fuiſſe. Autores veteres ita citat, ut deprehendatur haud ſane illis familiaris eſſe. Veterum rerum vetuſtiſſimas recentiſſimis, Græcas Romanis, miſcet. Illos tamen delectare poteſt, qui, curate ſcitas res noſſe atque explorare impatientes, aliquo earum guſtu imbui, quam prorſus eas ignorare, malunt.

HISTORIA BIBLIOTHECÆ AUGUSTÆ, quæ Wolffenbutteli eſt, duobus Libris comprehenſa; quorum prior Sereniſſimi Brunſuig Luneburg. Ducis AUGUSTI, munificentiſſimi Bibliothecæ conditoris, immortalia in eccleſiam, rempublicam, orbem præſertim eruditum, merita, poſterior ipſius Bibliothecæ proſperrima inde a primordiis ejus ad hæc uſque tempora fata, complectitur, a JACOBO BURCKHARD, Sereniſſ. Brunſuig. Luneburg. Ducis Conſiliario Aul. & Bibliothecæ præfecto, adumbrata anno 1744, qui centeſimus eſt, ex quo Bibliotheca Wolffenbuttelum eſt translata.

Accedunt Figuræ atque Indices.

Tt 3 Lipſiæ,

Digitized by Google

Lipſiæ, typis Breitkopfianis, ſumtibus Joann. Chriſtophori Meiſneri, Bibliopolæ Wolffenbuttel. 1744, 4.
Alph. 1 plag. 16 $\frac{1}{2}$.

Inſigne hoc eſt eruditionis atque cognitionis literariæ, qua dudum excelluit Ill. *Burckhardus*, documentum æque ac monumentum. Occaſio ſtatim notabilis eſt. Accidit enim, ut Autor in Bibliotheca ſplendidiſſima Guelpherbitana, præter quampluriinas alias avtographas Epiſtolas, complures illarum centurias inveniret, quas non ſolum erudıtiſſimi viri ad munificentiſſimum illius conditorem, Latina plerumque lingua, ſcripſerunt, ſed quas etiam hic ipſe ad Conſiliarios ſuos honorarios exaravit, e. g. ad *Philipp. Heinhoferum*, Auguſtanum Patricium, hujuſque ſucceſſorem, & *Jo. Mart Hirt*, quorum ad priorem etiam ibidem *Jo. Val. Andreæ* plures exſtant, ut & aliquot ad hunc Principis Epiſtolæ, Bibliothecam tangentes; quemadmodum & *Herm. von der Hardt* in Memorabilibus Bibliothecæ novæ Rudolpheæ memorat, in hac XIV Volumina Epiſtolarum, ab *Auguſto* illo, aliisque Principibus ac ſummis viris, ad *J. V. Andreæ* ſcriptarum, inveniri, quas quidem Noſter non vidit. Attamen illæ priores ipſi ſuffecere, quibus ad Auguſtæ Bibliothecæ tam luculentam Hiſtoriam condendam permoveretur. Exſtat quidem jam *Herm. Conringii* luculentiſſima illa ad *Jo. Chriſtianum* L. B. *a Boineburg* de eadem Epiſtola, quæ vero non tam hiſtoriam illius, quam laudes, complectitur, &, ut ipſe titulus præ ſe fert, omni de re literaria ſimul agit. Non igitur ſuperflua cenſeri debet hæc opera, qua, primis a Bibliothecæ primordiis, anno nimirum 1604, exorſus, ad noſtrum uſque tempus, hiſtoriam pertexuit. Licet vero tunc jam Hitzgeræ Bibliotheca colligi cœpta ſit; initia tamen Wolffenbuttelenſia ſaltem habuit A. 1643, die 14 Septembris, quo, quod ipſe ſcribit in epiſtolis, redibat ad dominum, quod fuerat antea ſuum, vel is Wolffenbuttelum ut verus poſſeſſor introiit. Complectitur autem opus, vel potius *Tomus*, *Libros duo*, quorum *alter*, *quatuor* habens *Capita*, initio libros enumerat, quibus varii ſcriptores conditoris vitam

vitam ac laudes ſeorſim perſecuti ſunt; hinc paucas de plurimis, quibus ſummi viri ſuperiori ſeculo pietatem, virtutem, prudentiam, doctrinam *Auguſti*, ſcriptis ἀνεκδότοις, potiſſimum epiſtolis, celebrarunt, laudes commemorat; poſt adjungit monumentorum, a divino Ducis ingenio profectorum, indicem, ac demum argumenti varii conſcriptiones, munificentiſſimi literarum ſtatoris illius auſpiciis editas, ad annorum ordinem, deſignat. *Libri ſecundi tribus Capitibus* continentur, *primo* quidem Commentationum, quibus Auguſta Bibliotheca ſingulatim ab Autoribus collaudatur, ad eundem ordinem, index; *altero* præconia, quibus eruditiſſimi quidam viri, velut aliud agendo, Bibliothecam Auguſtam in ſuis ſcriptis proſecuti ſunt; *ultimo* tandem, ejusque *Membro primo*, agitur de Bibliothecæ primordiis, & ad annum 1635, quo Brunſuigam delata eſt, incrementis; *ſecundo* de augmentis illius, quoad ibi manſit; *tertio* de Wolffenbuttelanis acceſſionibus ad obitum uſque conditoris; & *quarto* de proſperrimis fatis, quibus indidem ad noſtrum uſque tempus uſa fuit. *Capitibus*, immo *Membris*, ſingulis elegantiſſimæ figuræ & accommodatiſſimæ, in æs inciſæ, præfiguntur, quarum, ut & Epigrammatum, iisdem redditorum, poſt Præfationem, luculenta ratio redditur. Speciminis ergo, vel Auguſtiſſimi Ducis ſcripta laudabimus, quæ *Lib. I Cap. 3* fuſius enarrantur atque exponuntur. Sunt autem hæc: Ephemerides MStæ in Pag. 53.
fol. inde ab anno 1594 d. 10 Apr. ad annum 1635 d. 16 Apr.;
Auguſti junioris, Brunſuicenſium & Luneburgenſium Ducis, 55.
& Roſtochienſis Academiæ Rectoris, Orationes & Edicta, publice propoſita, Roſtoch. 1594, 4. Eminent hic Orationes de 56.
ſeveritate & clementia magiſtratus, an homo ſponte ſit natus, cet. Alia eſt editio Tubingenſis de A. 1598, 4. *Das* 65.
Schach- oder Kœnig-Spiel, von Guſtavo Seleno, *in vier unterſchiedene Bücher, mit beſonderm Fleis, gründ- und ordentlich abgefaſſet, auch mit dienlichen Kupferſtichen gezieret: desgleichen vorhin nicht ausgangen. Dieſem iſt zu Ende angefüget ein ſehr altes Spiel, genannt Rythmo-Machia.* 66.
Lipſ. 1616, fol. Singularis poſterioris libri titulus eſt: *Rythmo-*

momachia: ein vortrefflich und uhraltes Spiel des Pythago-
Pag. 68. *ras: welches* Guſtavus Selenus *aus des Franciſci Barozzi, eines Venediſchen Edelmanns, Welſchem Tractatlein ins Deutſche überſetzet, ſeinem vorgehenden Tractat vom Kœnig-Spiele (dieweil es ebenmeſig ein ſcharfes Nachdencken erfordert) zugeordnet, und mit nützlichen Gloſſen, aus dem Claudio Buxerio Delphinate, verbeſſert. Guſtavi Seleni Cryptomenytices & Cryptographiæ Libri IX*, in quibus planiſſima Steganographiæ, a *Joanne Trithemio*, Abbate Spanheymenſi & Herbipolenſi, admirandi ingenii viro, magice & ænigmatice olim conſcriptæ, enodatio traditur. Inſperſis ubique Autoris ac aliorum non contemnendis inventis, Luneburgi, 1624,
82. 85. fol. *Die Geſchichte von des Herrn Jeſu des Geſalbten Leyden, Sterben, und Begræbniſſe: aus der Evangeliſten Schriften von neuen ordentlich zuſammen getragen,* Luneb. 1640, 8, & anno poſt auctius. *Der Evangeliſchen Kirchen-Harmonien er-*
91. *ſter Theil.* Wolfenb. 1644, 4, *ander Theil* 1645, plenior & accuratior A. 1646, item 1648, ſub titulo: *Evangeliſche Kirchen-Harmonie, zum Gebrauch verordnet den Kirchendienern im*
221. *Hertzogthum Bruns-Wieg und Luneburg, des* W. *und* D. *Teiles, und zum vierdten mahle allhie wieder aufgeleget*; ut alias ſummi Principis Commentationes taceamus. Inter incrementa Bibliothecæ Auguſtæ notabile pariter eſt Avtenticum in quinquennium confirmatæ a *Rudolpho I* & ordinibus regni Germanici A. 1281 conſtitutionis *Friderici II* Imperatoris, latæ A. 1236 de pace publica, Bibliothecæ Auguſtæ conſecratum ab *Herm. Conringio* A. 1660, quod fuſius deſcripſit *Fr. Jac. Beyſchlag* in
215. continuata Collectione Epiſtolarum de epocha linguæ Germanicæ. Eodem pertinent multa grandia volumina in fol. in quibus variæ eruditorum epiſtolæ, manu ad ipſum D. *Andreæ* aliosque ſcriptæ, continentur, & quæ in Auguſta Bibliotheca cuſtodiuntur, ut & complures *Andreæ* ad *Heinhoferum* ſcriptarum faſciculi. Ut alia plurima rariſſima ſcripta ſilentio prætereamus. De *altero* politiſſimi hujus Operis, quod & docto Autore ſuo, & illuſtri illa Bibliotheca, dignum eſt, *Volumine* proxime dicemus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno MDCCLI.

Pars II.

Hanſiſche Chronic, ꝛc.

id eſt,

CHRONICON HANSEATICUM, EX DOCUmentis ſide dignis concinnatum; Autore D. JO. PETRO WILLEBRANDT.

Lubecæ, ſumtibus Autoris, 1748, fol. Alph. 6 plag. 12.

Eximium hoc Opus, quod, ſimul atque Conſultiſſimi Autoris inſtitutum innotuit, multorum vota atque deſideria excitavit, in *tres* diſpeſcitur *Partes*, quarum *prima* complectitur deſcriptionem hiſtoricam urbis Lubecenſis, capitis urbium Hanſeaticarum, *altera* Chronicon Hanſeaticum, cui ſubjuncti ſunt Viri illuſtris, *Antonii Coleri*, Commentarii *de Hanſa Germanica*, *tertia* privilegia, receſſus, conſtitutiones, literas, & alia documenta, de quibus poſtea quædam pro inſtituti noſtri ratione in medium afferemus. Præmittuntur Prolegomena, quæ vicem introductionis in Hiſtoriam urbium Hanſeaticarum præſtant, quorum notitiam pleniorem jam olim in his *Actis A.* 1748 *Menſ. Jan. pag.* 47 *ſeq.* Lectori a nobis datam meminimus.

Digitized by Google

Partis I Sectione I determinatur ſitus urbis Lubecenſis, commerciis tractandis opportunus, cujus vicinus ager omnia ſubminiſtrat, quæ ad vitæ neceſſitatem & commoditatem
Pag. 1-5. ſpectant. *Sect. II* in originem appellationis urbis inquiritur, de qua tamen, examinatis variis nominis impoſiti rationibus, non certi quid definiri poſſe, Autor judicat, ratus, cum primi urbis conditores Venedi fuerint, ex horum lingua nominis natales repetendos eſſe, quorum tamen res, ob monumentorum defectum, cimmeriis tenebris ſint obtectæ.
5-12. Quoniam hodierna Lubeca ratione ſitus eſt diverſa a priſca, de antiqua diſſeritur *Sect. III*, quam nonnulli a Cimbris, a Polonis alii, conditam eſſe, opinantur, ſed, Venedorum Principem aliquem primam urbi huic originem dediſſe, eandemque ſtruxiſſe loco, dimidio lapide a præſenti urbe boream verſus diſtante, recte docet Cl. Autor. Illius cives, πολυθεότητι gentili quondam deditos, antiſtes Oldenburgenſis ad Chriſtianam quidem convertit religionem, verum in illa conſtantiam non probarunt, multum ſubinde paſſi a vicinis Venedis gentilibus. Hanc tandem urbem Rugiani, qui eam A. 1138 cum ingenti claſſe impetebant, occupaverunt,
12-21. ac funditus exſciderunt. Hodierna Lubeca ortum ſuum debet *Adolpho*, Comiti Holſatiæ & Schauenburgiæ, qui, quo terras ſuas emporio quodam inſtrueret, A. 1140 urbem eo, quo nunc eſt, loco condere cœpit, eandemque antiquo appellavit nomine, incolis tum in urbem, tum vicinum agrum, arceſſitis ex Belgis, Friſonibus & Veſtphalis, ſacra etiam Chriſtiana, uſus conſiliis *Vicelini*, hominis pii, ordinatius conſtituit. Sed parum abfuit, quin urbs, cum primum emergere inciperet, idem fatum, quod antiqua, ſubiret. *Niclotus* quippe, qui Venedis inperitabat, navibus cum ſuis advectus, urbem A. 1147 inopinato invaſit, hacque facili negotio potius, multam prædam fecit, inque naves ſuas
21-24. conjecit, cum captivis & præda domum properans. Poſt urbem ex parte ſibi vindicavit *Henricus*, cognomento *Leo*, A. 1151, (non 1557, quod mendum eſt typographicum,) qui ejus incrementum & florem omni ratione promotum cupiit,

piit, eandemque inſignibus privilegiis ornavit, ac munitionibus firmavit. Sed enim, *Henrico* proſcripto, Imperator *Fridericus Barbaroſſa* A. 1183 illam valido cum exercitu arcta obſidione cinxit, cumque cives auxilium ab *Henrico* exſpectare non poſſent, illo conſentiente, Imperatori ſeſe dediderunt, a quo *urbs libera imperii* declarata, & magiſtratus inſignibus prærogativis eſt mactatus. Lites etiam cum *Adolpho* Holſato, arbitratu Auguſti, in commodum civium fuere compoſitæ. Imperatore bello ſacro occupato, dum ipſe abeſſet, *Henricus* jus ſuum in urbem repetebat; ſed, quoniam vires ipſi deficiebant, A. 1193 cives urbis imperium ad *Adolphum* Holſatum, conditoris filium, detulerunt. A. 1202 Dani, regnante *Canuto*, eam in ſuam redegerunt poteſtatem, quibus dominantibus, A. 1209 urbs ingens paſſa eſt incendium, quo maxima ejus pars in cineres eſt redacta. Verum, cum præfecti regii libertatem civitatis non uno modo labefactarent, Lubecenſes, moleſtiarum pertæſi, legatos ad Imperatorem *Fridericum II* ablegarunt, petentes, ut in imperii clientelam reciperentur; quorum precibus cum annueret Imperator, ac vicinis Principibus imperaret, ut afflictæ urbi ſuppetias ferrent, Lubecenſes inopinato præſidium una cum præfecto in ſuam redegerunt poteſtatem. Rex Daniæ, *Waldemarus*, defectionem ægre ferens, ingentem adverſus Lubecenſes ductavit exercitum, cui ubi illi cum ſociis ſuis ſub auſpiciis *Adolphi* Holſati obviam iverunt, A. 1227 d. 22 Jul. utrinque acriter eſt pugnatum, initio quidem fortuna ancipite, tandem tamen Dani illorum virtute ſunt ſuperati, & parum abfuit, quin Rex, qui oculum in prælio amiſerat, fuerit captus. Hac pugna decertata, cujus memoriam grata mente quotannis recolunt cives, urbs ad obſequium imperii rediit, ac priora privilegia fuerunt renovata. *Sect. V* deſcribitur urbis forma, tum interna, tum externa. Agitur de ejus portis, plateis, curia, hujusque partibus, & aliis ædificiis: qua occaſione diverſæ inſcriptiones exhibentur. *Sect. VI* diſſeritur de regimine urbis, eoque tum civili, tum eccleſiaſtico. *Sect. VII* enarrantur tribus, numero XII, quarum ſingu-

Pag. 24-28. 28-33. 33-35. 35-40. 40-50. 51-55.

Digitized by Google

ſingulis ſuffragii jus competit, &, quæ fortuna commercio-
rum tribus diſtinctis temporibus, *antiquo; medio*, & *novo*,
fuerit, edocetur. *Antiquum* ducitur ab urbe condita ad A.
1241, quo *Henricus Leo* Lubecenſium commercia amplificare
ſtuduit, quibus ipſis *Fridericus I* & ſucceſſores privilegia
ampliſſima indulſerunt. *Medium* tempus fuit florentiſſi-
mum, quo verſus omnes orbis partes libere navigarunt. *Novo*,
Pag. 55-58. ſeu *hodierno*, commercium, poſt diſſolutum fœdus Hanſeaticum,
de priſtino ſuo flore multum remiſit.

Parte II enarrantur res notatu digniores urbium Han-
ſeaticarum. *Lubeca* & *Hamburgum* primum fœdus ſanxe-
runt A. 1241, quo ſecuritas publica in tuto locaretur, cum
prædones omnia terra ac mari turbarent, quod poſt fœderi
3. 4. Hanſeatico occaſionem dedit. In illud A. 1247 urbs Brun-
6. ſuicenſis conceſſit. A. 1255 Lubeca & Hamburgum de jure
pecuniam cudendi convenerunt, & Lubecenſes Stralſundiam,
quod jamdum ſuperioribus annis factum erat, expugnarunt,
7. expilaruntque. A. 1260 primus conventus fœderatarum ur-
bium Lubecæ eſt habitus, in quo de prædonibus, eorundem-
8. que arcibus, delendis eſt actum. A. 1275 Brema in ſocieta-
tem cooptari petebat; cujus ſui voti demum anno ſequen-
ti compos eſt facta, ſed hoc jure ſuo, cum contra *Eri-*
11-13. *cum*, Norvagum, hoſtiliter agere renueret, A. 1284 exci-
dit. Ipſo hoc anno *Ericus* multis injuriis urbes maritimas
Venedorum laceſſebat, quæ cum ſocietatem fœderatarum urbi-
um ambitioſe quærerent, ac ad eam admitterentur, ab illo tem-
pore *Hanſa Teutonica* inſigniter efflorеſcere cœpit, & Lube-
cæ *directorium Hanſæ* eſt commiſſum. Quo facto, Rex, ut
in pacis conditiones deſcenderet, eſt coactus. Inde po-
tentia Societatis mirum in modum creſcere, ut urbes fœ-
deratæ ubique locorum magni æſtimarentur, & Imperato-
res, Reges, atque Principes, eximias ipſis immunitates con-
13-15. cederent. A. 1289 Lubecenſes Razeburgum, quod prædones
aleret, aggrediebantur; quod fatum etiam expertus eſt
Principatus Lauenburgicus, quoniam Princeps hujus furfuris
hominibus tutum præſtabat refugium. Lubecenſes ab Hol-
ſatis

Digitized by Google

ſatis & Megapolitanis A. 1303 multum ſunt afflicti. *Ericum,* Pag. 16. 17.
Daniæ Regem, protectorem ſuum appellarunt, qui diſſidia
amice compoſuit. A. 1308 Brema, in ſocietatem admitti, de 17-21.
novo quærebat. A. 1318 Rex *Ericus* cum Sociis Stralſun- 21, 22.
diam ex improviſo capere nitebatur; quoniam autem cives
cum fœderatis eruptionem faciebant, multosque hoſtium in-
terficiebant, re infecta diſcedere ſunt coacti. Ipſo hoc an-
no gravis ſeditio Brunſuigæ oriebatur, quæ ubi per *Alber-*
tum Ducem, rebellibus capite plexis, vel in exilium miſſis,
ſedabatur, quies rediit. A. 1361 inter Regem Daniæ 27.
Woldemarum & Hanſeaticos acre bellum exarſit. Hi nu-
meroſam claſſem armabant, cui Conſul Lubecenſis, *Jo.*
Wittenborg, præerat, qui quidem claſſem Danicam fuga-
bat, ſed, cum inde Hanſeatici navibus ſuis, Daniam popu-
laturi, exſcenderent, ſicque naves præſidio deſtituerent, Da-
ni 12 naves, commeatu & armis probe inſtructas, interce-
perunt. Culpa cladis in Conſulem conjiciebatur, qui redux
in vincula & carcerem mittebatur, indeque A. 1363 in fo-
ro capite truncabatur. A. 1364 Coloniæ Agrippinæ con- 36, 37.
ventus inſtituebatur, & numerabantur tum, ac non ita mul- 38.
to poſt, 77 urbes ſociæ. A. 1365 Danus perpetuam pacem
cum urbibus maritimis conſtituebat; quoniam autem nihilo
minus commerciis haud leve damnum inferebat, A. 1369
ad apertum bellum eſt ventum, in quo Hanſeatici tanta
fortuna ſunt uſi, ut diverſas urbes celebres, interque illas
ipſam Hafniam, expugnarent. Sed illud brevioris fuit tem-
poris; pax quippe compoſita A. 1370 hac conditione, ut
Hanſeatici Scandinaviam per annos 16 obtinerent, dum, quod
perpeſſi fuerant, damnum reſarciretur. Brunſuicenſes ob ſeditio- 39-42.
nem & nonnullos magiſtratus interfectos fœdere ſunt ex-
cluſi, ſed, per legatos culpam deprecantes, A. 1380 d. 13
Aug. de novo in ſocietatem ſunt admiſſi. Eodem 46.
tempore Lubecæ quidam nova meditabantur, ſed virtute &
prudentia magiſtratus ac mercatorum ignis gliſcens tempe-
ſtive fuit exſtinctus. Poſt gravior conjuratio eſt conflata,
quæ, in tempore detecta, multis fuit exitio. A. 1395 Hanſe- 46-49.

Digitized by Google

atici ad *Margaretham*, Daniæ reginam, miſerunt, qui operam darent, ut Rex Daniæ, *Albertus*, ejusdemque filius, *Ericus*, quos captivos illa tenebat, libertati reſtituerentur, quod etiam ſub certis conditionibus obtinuerunt.
Pag. 53, 54. A. 1408 exitiales Lubecæ motus ſurgebant, haud exigua civium parte, quibus ſe plebs adjungebat, poſtulante, ut magiſtratus pecuniæ publicæ rationes redderet. Illos quidem componere ſtudebant, ſed, cum magis magisque invaleſcerent, maxima magiſtratus pars, urbe excedere, conſultius duxit. Conjuratorum globus novum magiſtratum legere, priſtinus vero A. 1410 Imp. *Rupertum*, ut reſtitueretur, ſolicitare. Hujus juſſu quidam ex novo magiſtratu ſe Heidelbergæ ſtiterunt, qui, cauſa ſua cadentes, una cum reliquis ſociis ſuis proſcribebantur. Verum hi, domum reduces, totam rem celarunt; inde, ferociores facti, A. 1411 profugorum magiſtratuum bona ærario publico addixerunt. Inter hæc *Rupertus* viventium numero exemtus eſt, apud *Sigismundum* autem, qui ſuccedebat, ob adverſariam potentiam, quæ pecunia valebat, nihil effici potuit: quare *Ericus*, Rex Daniæ, in auxilium devocatus, captis quibusdam mercatoribus, qui in Scandinavia commorabantur, ipſos coegit, ut exau-
57-67. ctoratus magiſtratus reſtitueretur. Qua ratione autem contentiones hæ interventu legatorum Imperatoris, & urbium nonnullarum, fuerint compoſitæ, & quid utrinque fuerit
67-79. pactum, prolato documento publico, confirmatur. In illuſtri conventu, habito Lubecæ A. 1418, conſtitutiones, quæ Societatis publicam ſalutem reſpiciebant, ſunt ſancitæ, quæ ordine hic exhibentur. A. 1426 Sleſvicenſibus & Holſatis auxi-
79-82. lium contra *Ericum*, Danum, Hanſeatici tulerunt, claſſemque ſatis numeroſam armarunt, quæ claſſiarios regios A. 1427 disjiciebat, multasque naves in ſuam redigebant poteſtatem; ſed non ita multo poſt haud leve damnum ſunt perpeſſi. Sequenti tempore fortunam faventiorem habuerunt, ut pax,
87-93. ipſis ſalutaris admodum, ſequeretur. A. 1441 *Chriſtophoro*, Daniæ Regi, qui regnum, abs ſe abdicatum, recuperare nitebatur, auxilia contra *Ericum* miſerunt, ac proſpero gaviſi

ſunt

Digitized by Google

ſunt ſucceſſu. A. 1464 ſchedularum venialium nundinator Roma Lubecam veniebat, largam Dei gratiam illis ſpondens, qui vel contra Turcas proficiſcerentur, vel pecuniam ad milites conſcribendos ſuppeditarent. Magnam vim pecuniæ corradebat, & ultra 200 ſe ſigno crucis ſignari patiebantur, qui, cum Venetias venirent, in Græciam navibus, quas non inveniebant, tranſvehendi, prætereaque Itali ipſorum ſimplicitati inſultarent, omnium rerum inopes, viam repetere ſunt coacti, quorum haud pauci in itinere perierunt. A. 1486 adminiſter regni Suecici, *Steno Sturius*, a fœderatis, Lubecæ congregatis, per oratorem ſuum poſtulavit, ut in ſocietatem adſciſceretur, quod etiam impetravit. A. 1502 *Joannes*, Rex Daniæ, naves aliquot detinuerat, quas dimittere nolebat. Lubecenſes igitur ad bellum ſe parabant, ſed Rex, animo proſpiciens, illud multo cum ſuorum damno conjunctum iri, per *Raymundum Payrandum*, curiæ Romanæ Purpuratum, qui Pontificis per Germaniam legatum agebat, quique A. 1503 Lubecam veniebat, effecit, ut pax reſtitueretur, Lubecenſes etiam conſiliis ſuis & ope obtinuerunt, ut conjux *Joannis*, quæ apud Suecos captiva tenebatur, libera dimitteretur, ſed hic pro tanto beneficio malam ipſis gratiam retulit. Bellum ſcilicet de novo recruduit, in quo Lubecenſes cum ſociis ſemel atque iterum victores exſtiterunt, ut tandem A. 1512 pax ſequeretur. *Chriſtiernus*, qui, *Joanne* patre fatis functo, A. 1513 ſolium conſcenderat, multis modis Hanſeaticos, ſpeciatim Lubecenſes, laceſſebat, præterea Suecos ſubjugare ſatagebat; his ſocii auxilia mittebant, & aliquas Daniæ provincias devaſtabant. Et, quandoquidem *Chriſtiernus* ne ſuis quidem parcebat, ab his deſertus, coronam deponebat, regno exibat, injurias affini ſuo *Carolo V* expoſiturus. Verum in ſcripto publico, quod hic integrum repetitur, ſe defenderunt, quodque arma contra Regem capere fuerint coacti, oſtenderunt. Poſt multas difficultates *Guſtavus*, *Erici* filius, Rex Sueciæ eligebatur, qui, quoniam intelligebat, quantum Lubecenſibus & Dantiſcanis deberetur, ipſis inſignia in regno,

Pag. 94. 95. 104. 111. 115-118. 121-124. 124 129. 129-137.

Digitized by Google

Pag. 137-141. gno ſuo privilegia indulſit. *Chriſtiernus*, collectis auxiliis & navibus nonnullis, cum regnum ſibi vindicare contenderet, civitates ſub certis conditionibus naves aliquas cum armata manu adverſus eum miſerunt, ſicque ejus conatus irriti ſunt redditi, ut tandem pacem inire, ſeque Danis dedere,
142-156. cogeretur. A. 1533 homo turbulenti ingenii, & faſtu elatus, *Georg. Wullenweuer*, in ſenatum allectus, nec ita multo poſt Conſul factus, adjutus ope *Marci Meyeri*, qui ſimilis indolis erat, novas res machinari cœpit, ut, ſuppreſſa magiſtratus autoritate, dominatum invaderent, quorum conatus minime approbabat *Hermannus Bannus*, ſacrorum anti-
157-164. ſtes, qui etiam ſuper hac re ſcriptum, quod hic exhibetur, compoſuit. Poſt bello cum Holſatis ſunt impliciti, & *Chriſtiernum* reſtituere ſunt conati, cui tantos ſumtus impenderunt, ut ingentem vim auri atque argenti ex templis atque monaſteriis depromere nulli dubitarent, nil tamen quidquam
164-172. efficientes. Rex Sueciæ, *Ericus*, privilegia Lubecenſium infringebat; quare A. 1563 cum *Friderico III*, Danorum Rege, bellum ei inferre decernebant, felici ſatis ſucceſſu adminiſtratum, ſed A. 1566, ſæva coorta tempeſtate, claſſis ipſorum disjecta, quædam naves fluctibus hauſtæ, & ultra 6000 hominum (alii numerant 7000) perierunt. Bellum continuatum eſt ad A. 1570, quo *Ericus* partim ob ſævitiam ſuam, partim quoniam non ſemper mentis compos erat, regno indignus declaratus eſt, ſuccedente *Joanne*, qui illud proſequi conſultum non judicabat: quare pax Sedini in Lubecenſium emolumentum, ut privilegiis ſuis in regno
176-181. Sueciæ ulterius fruerentur, eſt confirmata. A. 1604 Lubecenſes Brunſuicenſibus adverſus *Henricum Julium*, Ducem, auxilia mittebant, quod adeo inique ferebat Rex Daniæ, ut 18 naves illorum in ſuam redigeret poteſtatem, quas
185. tamen non ita multo poſt reſtituebat. A. 1630 maxima pars urbium Hanſeaticarum per legatos declarabat, ſe conventus urbium fœderatarum non amplius frequentaturas eſſe: verum *Lubecenſes*, *Bremenſes*, & *Hamburgenſes*, ſe de novo conjungebant, mutuam fidem atque auxilium, ſi quidem vis

Digitized by Google

vis inferretur, pollicentes, quæ ſocietas in hodiernum uſque diem ſubſiſtit. Pag. 186.

Sequuntur Commentarii de Hanſa Germanica, ab illuſtri viro, *Antonio Colero*, relicti, in quibus res Hanſeaticæ inde ab A. 1370 ad A. 1630 enarrantur. Reſpiciunt hi maxime conventus, legationes, ad privilegia vel de novo impetranda, vel antiqua confirmanda, concertationes item, quas commerciorum ergo cum aliis habuerunt, ex quibus non facile aliquid excerpi poteſt, quædam tamen protuliſſe juvabit. Cum fratribus, ſic dictis, *Vitalianis*, qui & terra & mari multum damni inferebant, &, quæ habere poterant, abripiebant, quique in Friſia fautores nanciſcebantur, per annos aliquot decertarunt, multos illorum ceperunt, quos ultimo ſupplicio affecerunt, reliquos disjecerunt, eorundemque arces everterunt. A. 1427 195-199.
arte *Erici*, Regis Daniæ, in diverſis urbibus Hanſeaticis motus excitabantur, qui magiſtratibus exitiales erant. A 1429
Rex a civitatibus multa ſtrage eſt affectus. Ipſo illo anno 205-207.
Bremenſes magiſtratum urbe ejecerunt, Conſulem A. 1430 capite truncandum curaverunt, 16 Senatores in carcerem raptarunt, unde tamen ſe expediverunt, tandem vero A. 1433
magiſtratum exauctoratum reſtituere ſunt coacti. A. 1447 207-211.
in conventu communi civitates Hanſeaticæ omnes in quatuor *regiones*, ſive *ſedes*, diſpeſcebantur: primus locus dabatur Lubecæ, ſecundus Hamburgo, tertius Bremæ & Brunſuigæ, quartus Monaſterio, Neomago, Daventriæ, Veſaliæ, & Paderbornæ, aliaque in communem utilitatem fœderatarum civitatum conſtituebantur. A. 1469 Rex Daniæ,
Chriſtianus, ut damnum, Lubecenſibus datum, compenſaret, 216-220.
his urbem Kiloniam tradidit, quæ etiam, Rege præſente, magiſtratui jusjurandum de fide & obſequio ſervando præſtitit. A. 1472 bellum exarſit inter Regem Angliæ, *Eduardum*,
& Hanſeaticos, in quo multum damni ſubditis regiis eſt 227.
illatum, quod tandem A. 1474 Ultrajecti eſt compoſitum.
Annus 1494 Hanſeaticis fatalis exſtitit, mercatoribus aliquot a 230. 231.
Ruſſis in carceres compactis, & multis mercibus ipſis ere-

 ptis.

Digitized by Google

Pag. 240. ptis. A. 1535 provocabant Lubecenſes ad documenta, Regem Daniæ non, niſi ipſis conſentientibus, eligi poſſe.
248. Cum Roſtochienſes quererentur, ſe ſuſtentandæ Academiæ pares non eſſe, adeoque in publico conventu, A. 1540 habito, peterent, ut ſuppetiæ ſibi ferrentur, Lubecenſes pariter atque Hamburgenſes ſunt ſtipulati, ſe ſingulos quotannis Profeſſori alendo ſtipendium ſubminiſtraturos.
249. Cum diſſidia quædam inter Hanſeaticos oborta eſſent; Imperator *Maximilianus* ipſos, patris inſtar, monuit, ut concordiam alerent, ſuum ſimul auxilium ipſis liberaliter obtulit.
262. A. 1606 d. 13 Maji ab Imperatore poſtulabatur, ut ſenatus Lubecenſis omnia antiqua & nova privilegia, pacta, fœdera, capitulationes, ſtatuta, & receſſus, in conventibus Hanſeaticis confirmatos, quales quales eſſent, in tabulatum Imperatorum demitterent: omnes item urbes, quæ adhuc in fœdere perſiſterent, deſignarentur, &, num ſemper in illo comprehenſæ fuerint, vel a quo tempore in illud eſſent cooptatæ, accurate annotaretur.
291. A. 1611 *Domanno*, Syndico Hanſeatico, in mandatis eſt datum, ut defenſionem urbium contra Anglos adornaret, porro complexum legum Hanſeaticarum, itemque Hiſtoriam Hanſeaticam, ſcripto conſignaret, quod tamen declinavit, cauſatus, ſe aliis jamdum operam ſuam ad-
292. dixiſſe, ſimul vero ſe ſuo munere abdicavit. A. 1630 in conventu Lubecenſi pleræque urbes Hanſeaticæ declaraverunt, ſe viribus deſtitui, quo minus ſocietatem continuarent; verum enim vero tres illarum præcipuæ, Lubeca, Brema, Hamburgum, in ſequens decennium ad fœdus prorogandum ſe ſancte obſtrinxerunt, quo antiquæ Hanſæ Teutonicæ ſplendorem tuerentur; quare de certis articulis, qui exhibentur, convenerunt.

293, 294. *Pars III* ſiſtit privilegia, receſſus, conſtitutiones, literas, & alia documenta Hanſæ Teutonicæ, numero C, ſecundum ſeriem annorum ab A. 1270 uſque ad A. 1747 diſpoſita, quorum vel ſolos titulos referre, nimis longum foret. Subjicitur ſeries emendandorum & addendorum, index item rerum maxime memorabilium, in Opere hoc hiſtorico occurrentium, denique deſignatio comitiorum Hanſe-

Digitized by Google

Hanſeaticorum, notatis tempore & locis. Gratulamur Ampliſſimo Autori de labore hôc adeo feliciter profligato, quo non ſolum accuratiorem urbium, olim adeo potentium, notitiam dedit, verum etiam multa documenta, tenebris adhuc obſita, in apertam lucem protraxit.

Erklärung des Neuen Teſtaments, ꝛc.

id eſt,

D. CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI Expoſitio Novi Teſtamenti. Pars II, in Evangelium S. Lucæ.

Hannoveræ, ſumtu Nicolai Fœrſteri & filii hæredum, 1751, 8. Alph. 1 pl. 13.

Primam hic continuationem, ſeu *ſecundam Partem*, laboris ſui exegetici in N. T. Celeberrimus Autor in manus noſtras tradit, ad hiſtoricam enarrationem vitæ Servatoris, a *Luca* deſcriptæ, unice pertinentem. In univerſum de largiſſimis hujus inſtituti fructibus monere Lectores, non eſt opus, ſiquidem ex *priori* jam conſtat *Parte*, multa *Heumannum* docte, ſolide, ac pie, dixiſſe. Hinc officium noſtrum ſatis abundeque expleturi videmur, ſi per exempla Lectores docuerimus, eandem in hac *Parte* Cel. Autoris diligentiam & doctrinam apparere. Utinam contingeret nobis, eſſe tam felicibus, ut ſelectiora proferremus exempla. Sed quid ſelectu opus erit, ubi omnia ſunt præclare atque egregie ſcripta? Omittimus hic conſulto, quæ *Lucas* Pag. 3.
in primis *quatuor inciſis* ſcripſit, & Noſter ad ea monuit; omittimus etiam notare, Autorem in ſua ſententia perſeverare, qua *Theophilum Lucæ* pro homine ethnico habet, 15.
ad Chriſti tamen doctrinam inclinante, & hinc a *Luca* dedicatione Evangelii ſui honorato, quo ad partes Chriſtianorum plene perfecteque tranſiret. Convertimus nos po- 16.
tius ad *Cap. I, 3*, ubi Autor ſacer miro elogio parentes *Jo-*

Digitized by Google

annis Baptiſtæ ornat, quod recte ſolideque ab Autore noſtro Venerabili exponitur ex aliorum Theologorum ſententia; monetur tamen, utrumque ſenem, *Zachariam* nempe & *Eliſabetham*, dici ἀμέμπτυς, quia ſine vitio, in reprehenſionem incurrente, non coram Deo, ſed coram hominibus, vixerint, pro perfectis eos ſanctis reputantibus. Vellemus omnino, præſidia hujus ſententiæ, cum textu ſacro non ſatis convenientis, fuiſſe addita, ut ſic convicti plane
Pag. 19. lectores redderentur. In *verſu 15* hujus *Capitis* plene vocabula Græca ἐκ κοιλίας explicantur, vel ſaltem defenduntur, contra eos, qui negant, *Joannem* hic, inde ab utero matris, Spiritu ſancto impletum dici; id potius contendentes, præcurſorem Chriſti in utero matris uſum rationis & gratiæ habuiſſe. Verba vero Græca omnino id indicant,
26. quod Cel. *Heumannus* nos docet. Ad *verſ. 24* monetur, omnes omnino hic erraſſe interpretes, *quinque menſes Eliſabethæ*, domi ſe occultantis, ad priores imprægnationis menſes referentes; id nempe non cum veritate convenire, cum potius illud temporis ſpatium ad quinque poſteriores conceptionis menſes ſit referendum. Ratio affertur hæc: Quia *Eliſabetha* primis imprægnationis temporibus cauſam occultationis, & ſeceſſus domeſtici, habuerit nullam: quod tamen poſtea multo aliter factum ſit, ubi gravidus venter in oculos incurrerit hominum. Hæc eſt ſententia Autoris, ab
43. aliis dijudicanda. Ad *verſ. 59* eleganter monet Autor, *Eliſabethæ* cognatas fœminas præcurſori Chriſti, *Zachariæ*, nomen actu non dediſſe, ſed *dare voluiſſe*. Quæ res præclare ſe habet, ſiquidem id cum more Hebræorum loquen-
50. di, & cum ſequenti rerum enarratione, convenit. In *verſ. 73* profitetur Noſter, nullam ſibi ex omnibus eruditorum virorum ſententiam placere, & hinc διδόναι ὅρκον conjungi debere, licet hæc loquendi ratio nusquam alibi inveniatur; facile tamen eam ex communi Hebræorum נתן uſu poſſe admitti. Eodem in argumento proponit Autor parentheſin, in *verſu 70* admittendam omnino, & conjunctionem *verſ. 69* & *72* per appoſitionem quandam ſuadentem. In

Cap. II, 1,

Cap. II, 1, mutat, & quidem conſulto, S. Venerabilis Autor ſententiam ſuam, olim de *οἰκουμένη* conceptam, & illis accedit, qui *Lucæ* verba de toto regno Iſraelitico, ſeu terra Judaica, interpretantur. Circa hiſtoricam enarrationem nativitatis Chriſti, variæ, non inutiles, proponuntur quæſtiones, & concinne enucleantur. Sic *verſ. 9* quæritur, qua de cauſa Deus nativitatem Chriſti quam celerrime per angelum hominibus annuntiarit. Ratio hæc eſt, quia Servator mundi deſideratiſſimum cœli erat donum, & quidem non Judæis ſolum, ſed etiam ethnicis hominibus, dedicatum. Hinc Deus pro amore & miſericordia ſua non potuit non nativitatem hujus Principis & Judæis, & reliquis, ſignificare, & quidem per cœleſtem genium, quod cum decoro divino convenit, ubi extraordinaria miſſio extraordinarium legatum requirebat, qui inter cœlum & terram publice homines de nativitate Chriſti certiores faciebat. Præclare etiam ſapienterque hæc annuntiatio multis perſonis ſimul contigit, ut ex duobus, vel tribus, teſtibus omnis rei veritas conficeretur. Nec minor erat ſapientia divina in electione teſtium, loci, aliarumque rerum concurrentium; quam Cel. Autor præclare exponit, & admirationi noſtræ, ſanctiſſimæ & ſubmiſſiſſimæ, circa divinam rerum adminiſtrationem ſubjicit. Verſionis ſuæ Teutonicæ integritatem ad *Cap. II*, 15, ubi *καὶ* pro *porro* redditur, inde defendit atque vindicat Autor, quia conſimilis hujus vocabuli uſus alibi etiam in N. T. occurrat. De quo quidem ipſo nemini dubitare licet, etſi iſte voculæ uſus ad veritatem rei haud ſufficere videtur, quandoquidem poſſibilitas, non probabilitas, ex teſtimoniis externis petitur. Non tamen negandum eſt, Autoris hic doctrinam & concinnam rerum enodationem omni lectorum attentione eſſe digniſſimam. Ad *Cap. III*, 2, monetur, Baptiſmum Proſelytorum Judaicorum tempore *Joannis* in uſu fuiſſe; hinc præcurſorem Chriſti, voce divinitus emiſſa, edoctum eſſe, ut Judæos atque ethnicos fluvio & aqua lavaret, quo utrique genti indicaret, Judæos æque, ac alios, filios Dei non eſſe, nec fieri, niſi vera ac ſeria de peccatis ſuis reſipiſcentia in ipſis

Pag. 53.
57.
58.
59.
60.
63.
69.
70.
92.

 exiſte-

Digitized by Google

exiſteret, quam baptiſmali confirmarent lotione. Hic Ba-
Pag. 98. ptiſmus erat imago ſymbolicæ, olim mandatæ, lavationis men-
tis atque animi *Jeſ. I, 26.* In controverſia genealogica
Cap. III, 23, communi ſententiæ ſuffragium ſuum non dene-
99. gat Autor; docens nimirum, *Matthæi* recenſionem infi-
delibus Judæis inprimis os obturare, neſcientibus, *Joſephum*
ex poſteris eſſe *Davidicis*; *Lucam* vero directe ad matrem
Jeſu, filiam *Davidicam*, & genuinam Servatoris matrem,
104. reſpicere. Ad *Cap. IV, 2,* pari accuratione ſcribitur, per
omnes *quadraginta dies* Servatorem a malo orci genio
eſſe tentatum, ita ſcilicet, ut nulla dies tranſierit, qua
Servator malitiam Satanæ non expertus ſit. Non tamen
ſufficit, leves huc afferre conjecturas, quod fecerunt
nonnulli. De ordine vero trium maximarum & ulti-
108. marum tentationum, a *Matthæo* & *Luca* enarrato,
ſuam hancce profitetur Autor ſententiam: *Lucam* hanc
hiſtoriam ſecundum eum ordinem deſcripſiſſe, quo ipſi
per manus *Pauli*, vel alius cujusdam Apoſtoli, fuerit tra-
dita, ubi capita rerum enarrandarum potius, quam ordinem
earum, ſectatus eſt. Id ſaltem ſibi habuit *Lucas* propoſitum,
ut appareret, enarrationem ſuam a legato quodam Chriſti
provenire; licet lectoribus ſuis perſuadere non voluerit, ex
109. ordine rerum geſtarum omnia ſe recenſere. In *verſ. 13*
ἄχρι καιρȣ̃ optime explicatur: uſque ad *commodius tem-
pus*, quod quando contigerit, ipſe Chriſtus non obſcure
indicat *Jo. XIV, 10.* Ad *comma 18* per τυφλοῖς in textu
Græco intelliguntur omnes illi, qui per longum quaſi tem-
pus in carceribus incluſi fuerunt, & quaſi occæcati, ut lu-
cem videre non potuerint, niſi emittantur e tenebris, & ad
125. lucem reducantur. Per *σάββατον δευτερόπρωτον* intelligi-
tur ſabbathum quodvis primum, poſt ſolenne quoddam fe-
126. ſtum incidens. Fuit & hæc aliorum opinio. Ad feſtum vero
paſchale & primum illud ſequens ſabbathum reſpici, ex de-
ſcriptione tempeſtatis anni patet. Ad *Cap. VII, 14,* emendat
verſionem ſuam Cel. Autor hunc fere in modum: *Accede-
bat* Servator, *tangebat loculum, 15, adſtantibus portatoribus,
dicebat,*

Digitized by Google

dicebat; &c. Quæ converſio ex hoc fundamento ad-
ſtruitur, quia per tactum loculi portantibus indicaverit Ser-
vator, gradum eſſe ſiſtendum. Pari felicitate emendatur lo- Pag. 146.
cus *Cap. VIII*, 14, ubi non diffitetur Celeb. Autor, ſine
cauſa ſufficienti verſionem *Lutheri* a ſe neglectam, quæ re-
cte ſe habeat: *Progrediuntur inter curas ſeculi hujus* &c.
ſiquidem ὑπὸ μεριμνῶν non cum συμπνίγονται regatur, ſed
cum πορευόμενοι. In *Cap. IX*, 59, ſententia Chriſti: Mortui 156.
mortuos ſuos ſepeliant, ita explicatur: Pater tuus erat mor-
tuus, cum viveret, ſpiritualiter ſcilicet mortuus, & vitam,
ex Deo fluentem, *Epheſ. IV*, 18, non habebat. Hinc eum
pariter ſpiritualiter mortui ſepeliant. Communis etiam hæc
Theologorum eſt explicatio. Cui tamen *Heumannus* noſter 157.
addit, admodum eſſe probabile, hunc hominem æque, ac
ceteros duos, hic commemoratos, in diſcipulatum Jeſu ve-
niſſe, & cum eo ambulaſſe. In hiſtorica enarratione de 159.
ſeptuaginta Chriſti *diſcipulis*, apud *Lucam* ſolum exiſtente,
amplam Autor Celeberrimus diſputationem inſtituit, ubi in-
quirit, quomodo factum fuerit, ut tale illuſtre facinus a
nullo alio memoratum, nedum verbo mentio ejus facta
a ſcriptore quodam divinitus miſſo, fuerit; qua de cauſa 160.
Chriſtus tantum duodecim diſcipulis miſſionem in omnem
terrarum orbem mandaverit, nec ſimul his diſcipulis;
& quæ ſunt reliquæ, hic enodatæ, quæſtiones, quibus tamen
enarrandis ſpatium non ſufficit. Forte etiam multis Lecto-
ribus ſumma dictorum patet ex Academica Exercitatione
Viri Summe Venerabilis, A. 1743 habita, ex qua hic flores
ſunt decerpti. Ad *Cap. X*, 20, expoſitio *libri vitæ æter-* 174.
næ traditur ita, uti multi ex noſtratibus ſolent, contra
eos militantes, qui verba Chriſti ad eos tantum homi-
nes referunt, qui in libellum tantum gratiæ, ſeu in hoc
tantum mundo credentium indicem, ſunt inſcripti. Quod
tamen non æque facile admitti poſſe, Noſter ube-
rius ediſſerit. De verbis Chriſti ad *Cap. XII*, 15, ita judica- 223.
tur, ut *vita* hoc in loco non de naturali, ſed morali, fe-
lici ſcilicet & contenta, ſit accipienda. Hinc Chriſtus do-
cet,

Digitized by Google

cet, divitias, opes, & avaritiam, homines non reddere felices, dum curæ, angor & ſolicitudo, homines locupletes plerumque comitentur, quo etiam *Pauli* verba *1 Tim. VI, 10*, valeant. Et quid tum? Quodſi avarus fructum opum ſuarum edere molitur, perit, abit, moritur. Inutilis ergo fuit omnis ſolicitudo & ærumna. Hæc eſt ſententia Autoris, ubi, vellemus, cauſæ fuiſſent additæ, quæ a vitæ naturalis expoſitione animum avocant, deque morali cogitare nos jubent. Ad
Pag. 272. *Cap. XIV, 23, compelle, ut introeant*, præter jam nota interpretum teſtimonia, duo ex *Laertio* indicantur loca, ubi ἀναγκάζειν idem ſignificat, quod *perſuadere*, quacunque ratione & lenociniis verborum aliquem eo perducere, ut aliquid agat. Hinc nec verba quidem de naturali quadam coactione nos cogitare ſinunt, quam Antichriſti ſocii amant. In explicanda
285. parabola Chriſti *Cap. XVI, 1*, in ea cum quibusdam aliis Autor eſt opinione, ut ſtatuat, hanc orationem ſpectare ad converſos ſuos diſcipulos, divites ſane & opulentos. Sed lubrica multis aliis hæc ſententia videtur, cum ratio hujus rei, & ſtrictioris paulo ſenſus, nec addatur, nec inveniatur. Nam omnes omnino homines, tenuioris etiam ſortis diſcipuli Chriſti, prudenter circa ſortem ſuam verſari debent, quo præmia vitæ æternæ, utpote filii Dei obedientes, accipiant.
331. Per dies filii hominis *Cap. XVII, 24*, diebus *Noachi* oppoſitos, intelliguntur tempora Chriſti, in terra viventis, & deinde in cœlo triumphantis. Hinc per hanc appellandi & denominandi rationem *dies filii hominis* eo ſenſu dicuntur, ut per eos omne temporis ſpatium intelligatur, quod inter initium officii ſui Meſſiani, & exitum urbis templique Hieroſolymitani, interceſſit. Hos enim per dies Iſraelitæ in maxima vivebant ſecuritate, & impietas ſummum, ut di-
384. cimus, adſcendebat gradum. In *Cap. XX, 13*, taxatur *Lutherus*, quod ἀγαπητὸν verterit per *dilectum*, cum tamen *Lucas*, Græca Biblia ſequens, id ſibi voluerit, ut idem eſſet, quod *unicus filius*. Sed unicus filius nonne etiam eſt *dilectus*? Quis vero ſcit, quid *Lucas* ſcribens in mente habuerit, niſi

verba

Digitized by Google

verba ejus ſint ſigna animi? Conjungendus videtur ejus cum *Marco* ſenſus ita, ut filius *unicus dilectus* pleno dicatur ſenſu. Sermo Chriſti *Cap. XXI, 19*, ita vertitur: *Per patien- tiam & conſtantiam veſtram ſervabitis vos animas veſtras.* Pag. 399.
Hoc effato promittere dicitur Chriſtus, licet pereant corpora ſuorum diſcipulorum, atque omnium Chriſtianorum, animas tamen fore ſalvas. In *inciſo 24* tempora ethnico- 401.
rum hominum de Romanorum poteſtate bellica in terra Judæa, ut videtur, rectiſſime explicantur, quamdiu ſcilicet tempeſtas eorum bellica ſit duratura. Colloquium Chriſti, cum diſcipulis de emendo gladio *Cap. XXII, 35 ſeq.* inſtitutum, acu- 437.
te per paraphraſin quandam, quod & olim fecerat Autor, explicatur, ita omnino, ut, ſi proverbialem quandam locutionem hic accipere velimus, & ellipſin admittamus, ſenſus fiat commodiſſimus. Sufficiat, hæc dixiſſe de labore exegetico Autoris Venerabilis. Charta deficeret, omnia & ſingula ſi recenſenda eſſent melioris explicationis textus ſanctioris exempla. Nec plura afferri opus eſt, ſiquidem plurima momenta ex converſione Novi Teſt. Teutonica, & aliis ſcriptis, Cel. Autoris patent, alia vero cum doctiſſimis viris ipſi ſunt communia, alia demum, ut integra rerum enodatio in ipſo Opere legatur, neceſſario poſtulant. Hinc nihil amplius in optatis habemus, quam ut Vener. Autori porro egregius hic labor ex voto ſuccedat, & ex præſtantiſſimi hujus Exegetæ inſigni doctrina Lectores ad unum omnes fructus optatiſſimos percipiant.

GERMANA S. CYPRIANI ET APHRORUM, nec non Firmiliani, & Orientalium, opinio de Hæreticorum Baptiſmate. Ad rectam criticarum vindicis Cypriani Diſputationum intelligentiam expoſita a Fr. JOANNE H. SBARALEA, Forolivienſi, Cœnobiique Ferrarienſis Minorum S. Franciſci Conventualium alumno.

Bononiæ, ex typographia Lælii a Vulpe, 1741, 4 maj.
Alph. 2 plag. 15.

Ut in longam concertationis de Baptiſmo Hæreticorum, quæ Eccleſiam Orientalem, Africanam & Romanam, antiquitus diſtinuit, expoſitionem ingrediamur, cum id ipſum a rerum in civitate Chriſtiana geſtarum ſcriptoribus abunde fuerit præſtitum, inſtituti noſtri ratio minime permittit. Id tantum monemus, animi elationem & injuſtæ iræ exceſſum *Stephani I*, Pontificis Romani, Africanos Patres atque Orientalis Eccleſiæ Antiſtites multis conviciis proſcindentis, ac omnem cum ipſis ſacrorum conſociationem, ni in ſuam concedant ſententiam, aque hæreticis ac ſchiſmaticis iterum baptizandis abſtineant, ſe abrupturum minitantis, acres admodum, ac ſedi Romanæ parum honorificas, *Cypriani*, itemque *Firmiliani*, Cæſareæ in Cappadocia præſulis, reprehenſiones provocaſſe. Quorum literæ, huc ſpectantes, cum in Operibus *Cypriani* habeantur, illis, qui autoritatem Romani Pontificis, fallere neſcii, ejusque dominatum in omnes orbis Chriſtiani eccleſias, ſartum tectum ſervare contendunt, ſudes in oculis fuerunt. Quæ ratio fuit, quare in primis Operum eximii hujus doctoris Africani editionibus, quas paraverunt *Eraſmus* & *Paulus Manutius*, hæ Epiſtolæ prorſus fuerint omiſſæ: quin imo cum tempore de αὐθεντίᾳ illarum dubitari eſt cœptum, ſpeciatim illius *Firmilianicæ*, quod fecit *Chriſtianus Lupus*, haud immerito propterea a *Baluzio*, viro eruditiſſimo, caſtigatus. Eo tandem audaciæ eſt prolapſus *Raymundus Miſſorius*, famulitii Franciſcani ſodalis, ut Venetiis A. 1733, 8, in publicam lucem emiſſis *in duas celeberrimas Epiſtolas Firmiliani & Cypriani adverſus decretum Stephani Papæ I de non iterando hæreticorum Baptiſmo Diſputationibus criticis*, demonſtrare ſit anniſus, Epiſtolas has a *Donatiſtis*, ut cauſæ ſuæ opitularentur, fictas & ſuppoſitas fuiſſe. Quæ ſententia cum paradoxa videretur, adverſa omnium ſeculorum judicio, cum doctores a *Cypriano* proximi,

mi, & qui ad noſtrum inde ſecuti ſunt ævum, illas tanquam genuinum ejusdem fœtum agnoverint; fieri non potuit, quin viri quidam docti eam examini ſubmitterent, ejusque falſitatem luce meridiana clarius demonſtrarent. Fecit id Vir doctiſſimus, *Georg Gottl. Preu*, in Diſſert. critico-theologica, *qua Cypriani ac Firmiliani Epiſtolarum adverſus Stephani I Papæ decretum de hæreticorum Baptiſmo vindicias, oppoſitas Raymundo Miſſorio*, exhibuit, ac Præſide Cel. *Walchio* Jenæ A. 1738 publice defendit. In qua erudite & ſolide ſingula *Miſſorii* argumenta examinavit, artes ipſius veteratorias in apricum produxit, ipſique omnia effugia eripuit. Nec in ipſa Eccleſia Romana defuerunt, qui, indignitate rei permoti, veritique, ne cuniculi ulterius agerentur, ac veterum ſcriptorum autoritas prorſus ſubrueretur, ſicque fides omnis hiſtorica, magno generis humani damno, vacillaret, conatum hunc inprobaverunt. Hæc ratio vel maxime movit doctiſſimum Autorem, ut calamum ſtringeret. Equidem heroem ſuum, quocum congreditur, non nominat, qui, ſi non eſt *Miſſorius*, eandem tamen cum ipſo tibiam inflat, adverſus quem non conviciis, vel verbis durioribus, agit, ſed multa utitur moderatione: ſimul ſedulo cavit, ne quid detrimenti ſuprema Pontificis Romani caperet autoritas & majeſtas.

Totum Opus *tribus* abſolvitur *Diſſertationibus*, ex quibus, cum ſingula conſectari non liceat, ſumma tantum rerum capita delibabimus. *Diſſert. I* agitur de *Epiſtola Firmiliani*, quæ, licet a multis veterum non ſit memorata, ſpuria tamen habenda non eſt, *Eraſmum* autem, edentem *Cypriani* Opera, latuit. *Firmilianus* quidem Sanctorum numero non fuit adſcriptus; Epiſtola tamen hæc ipſi non eſt abjudicanda. Nec ipſi fides Catholica eſt adimenda, ſi vel Quarto- Pag. 1-6. decimanorum opinioni adhæſerit, vel *Stephani* judicio cedere noluerit. Reſponſoriæ *Cypriani* vel perire potuerunt, 6-8. vel alicubi latere, quod pluribus aliis hujus Epiſtolis contigit. Equidem exemplar Græcum Epiſtolæ *Firmilianicæ* deeſt; verum etiam *Irenæi* libros ideo non rejicimus, quod

Græcum exemplar deficit. Potuitne *Firmilianus* Græce ſcripſiſſe, cum lingua Romana in Oriente ignota non eſſet? Potuitne, ſi Græce ſcripta fuiſſet, a *Cypriano* in Latinum ſermo-
Pag. 8-13. nem converſa fuiſſe? Objicitur, illius mentionem non fieri apud antiquos, v. c. *Dionyſium Alexandrinum*. Sed argumen-
13-16. tum hoc eſt negativum; porro *Dionyſii* ſcripta, paucis fragmentis exceptis, perierunt, forte etiam Epiſtola hæc ad ipſum non pervenit. Non meminit illius *Euſebius Cæſarienſis*: ſed is aliorum etiam ſcripta ſilentio præterniſit, quidni igitur unam Epiſtolam potuit præterire? Non *Auguſtinus*. Sed is exerte teſtatur *Lib. II de Baptiſmo Cap. 4, ſe non omnia noviſſe, quæ illo tempore inter Epiſcopos geſta ſunt, & literis mandata.* Præterea ignoravit, quæ ab ævo ejus non multum erant remota. Et forſitan in *Firmiliani* Epiſtolam digitum intendit verbis, quæ contra *Creſconium Lib. III Cap. 1* leguntur: *Quicquid de Cypriani Ven. martyris, & de quorundam Orientalium, literis inſerendum putaſtis.* Poſtremo, ſi Donatiſtæ illam confinxiſſent,
16-21. qui dici poteſt, ipſum latuiſſe? Non ipſe *Cyprianus*, quia non multo poſt controverſia iſta fuit ſopita, & *Valeriani* perſecutio ſævire cœpit, qua durante ille primum in exilium actus, inde vita eſt orbatus. Non in Concilio Carthaginienſi III memoratur, quia forte *Stephani* decretum ante hujus celebrationem in Africam eſt delatum, & literæ
21-25. *Firmiliani* poſt illud advenerunt. *Euſebius*, controverſiam inter *Stephanum* & *Cyprianum* ac Orientales dum enarrat, ſecutus eſt *Dionyſium Alexandrinum*, nec univerſam hanc de Anabaptiſmo hiſtoriam confinxit. Inſeruntur quædam de Arianismo *Euſebii*, & quo anno Hiſtoriam ſuam Eccleſiaſti-
26-36. cam publicaverit, ſc. 325. Nec commentus eſt, ut *Pauli Samoſateni* & *Arii* damnationes elevaret, quos inter nulla erroris affinitas. Nec ut Donatiſtarum cauſam juvaret, qui
36-43. ab *Arii* dogmate alieni fuerunt. In Concilio Nicæno decretum eſt, ut omnes hæretici, exceptis *Pauli Samoſateni* diſcipulis, ſine baptiſmi iteratione ſuſciperentur. Donatiſtarum cauſa ad illud non eſt delata, quia jam, uti Noſter loquitur,

Digitized by Google

quitur, Romæ & Arelate, & apud ipſum Imperatorem *Con-*
ſtantinum, tractata & terminata fuerat, nec Donatiſtæ poſtu-
larunt, ut cauſa ſua in Concilio diſceptaretur. Per *plena-* Pag. 43-48.
rium Concilium apud *Auguſtinum Lib. II Cap.* 7 *de Baptiſmo*
non *Arelatenſe*, ſed *Nicænum*, eſt intelligendum. Poſt Con- 49-102.
cilium hoc non omnis quæſtio de Baptiſmo hæreticorum
eſt ſopita. S. *Athanaſius Serm. III* contra Arianos docuit,
hæreticorum Baptiſmum, ut Manichæorum, Phrygum, Pau-
lianorum, & *Arianorum, irritum eſſe, ac nullum, cum ve-*
rum baptiſma non ſit, ubi vera fides non eſt. In Concilio
Conſtantinopolitano I repudiatum eſt baptiſma *Eunomiano-*
rum, Sabellianorum, & *Cataphrygum.* Novatianorum, alio- 102-106.
rumque his affinium hæreticorum, baptiſma ante tempora
Concilii Nicæni a Catholicis Epiſcopis oppugnatum non fuit. 106, 107.
Baſilii Ep. I ad *Amphilochium*, ubi agit de hæreticorum
baptiſmo, non eſt depravata; loquitur enim tantum de mo-
re, in Cappadocia, totaque diœceſi Pontica, imo toto fere
Oriente, uſitato, ubi hæretici ſacris aquis iterum adſperge-
bantur; diſceptabatur tantum, num hæretici pariter atque
ſchiſmatici ſint rebaptizandi, & qui hæretici, quique ſchiſ-
matici reputandi. Sequuntur *Cap. II* reſponſiones ad ob- 107-113.
jectiones contra Epiſtolam *Firmiliani.* Diluitur igitur hoc,
ipſum inhumaniter tractaſſe *Stephanum* Papam, demonſtra-
tur, ipſum non errare in illis, quæ ex V. & N. T. pro-
ferantur, nec circa definiendam ætatem *Baſilii* ipſum
criminari Eccleſiam Romanam, ac ſi traditiones Apoſtoli-
cas ſuſque deque habuerit, *Stephanum* Pontificem Afris, iterum
mergentibus hos, qui ab hæreticis veniebant, ſacris omnino in-
terdixiſſe; potuiſſe ipſum intereſſe Concilio Iconienſi, adeo-
que, ubi de illo ſermonem facit, anachroniſmum non com-
miſiſſe. Alii præterea errores, qui *Firmiliano* imputantur,
nimia in *Stephanum* violentia, & quæ his ſunt ſimilia, re- 113-157.
felluntur. Pedem promovet Autor *Cap. III* ad argumenta, quæ
pro αὐθεντίᾳ Epiſtolæ hujus proferuntur, ab adverſario in-
firmata. 1) *Auguſtinus Lib. III. contra Creſconium Cap. I*
nominat *literas quorundam Orientalium.* Sed nonne inter

Pag. 157-159. has hæ *Firmiliani* comprehenſæ eſſe potuerunt? 2) Nota-
tur maledicentia in *Stephanum.* Verum voluit tantum ni-
159-164. mium *Stephani* impetum refrænare, quod exemplis proba-
tur. *Cephas*, quem *Paulus Gal. II* reprehendit, non fuit,
quod quibusdam eſt viſum, a *Petro* diverſus. 3) Ubi *Ste-
phanum* appellavit *pſeudo-Chriſtum, pſeudo-Prophetam, & do-
loſum operarium*, ex ſententia *Baluzii* Epiſtola hæc rejici-
164, 165. enda non eſt, quia non fuit erroris expers. 4) *Baluzius*
recte judicavit, illam non occultandam, vel ſupprimendam
eſſe, cum ex illa notitiam plurimorum rituum & inſtituto-
165-167. rum priſcæ Eccleſiæ haurire queamus. 5) In illa commu-
nis Eccleſiæ Orientalis ſententia exponitur, ut hinc inutile
ſit, quærere, num hic, vel ille, Eccleſiæ doctor in iſta opi-
167-170. nione fuerit. 6) Poſſe illam eſſe genuinam, licet in pau-
cioribus Codd. MStis, & quidem Latine tantum expreſſa, fuerit
170. inventa, nec ad illam legatur reſponſum *Cypriani.*

Diſſertatio II eſt in Epiſtolam *Cypriani ad Pompejum.* Hæc in eodem argumento explanando occupatur, eadem acerbitas, idem verborum fere, querelarumque, modus, qui in *Firmiliani* literis, deprehenditur. Adverſus quam vellicandam & proſcribendam cum multa proferantur, illa Reverendus *Sbaralea* ſedulo librat & expendit. Generalibus quibusdam præmiſſis, oſtendit, dici minus poſſe, *Auguſtinum*, contra Donatiſtas de hæreticorum baptiſmo diſputantem,
171-175. ſemper ex hypotheſi locutum fuiſſe. Præcipua virtus *Cy-
priani* fuit, unitatis in Eccleſia ſervandæ ſtudium, quocum
ardorem, religionem & veterem diſciplinam tuendi, conjun-
175-177. xit. Non axiomatis loco haberi poteſt, *ſacrorum ſcripto-
rum ſtilum non ex locutionis charactere, ſed ex charactere
perſonæ, ſemper ducendum eſſe.* Si qua in ſcriptoribus occur-
runt, quæ ipſorum ſententiæ, pluries ac ſerio propoſitæ, ad-
verſantur, non ſtatim ſuppoſititia ſunt declaranda: poſſunt
ipſis, non cogitantibus, quædam excidere, poſſunt ipſi ſenten-
177-179. tiam mutare. Ubi controverſia juris agitur, argumentum,
quod vocatur, negativum nullius pæne momenti habendum
eſt, ſed, ubi de facto quæritur, eſt momenti maximi. Inqui-

ritur

ritur in rationes, quare *Optatus Milevitanus*, adverſus Donatiſtas ſcribens, *Cypriani* non meminerit. Donatiſtæ calumniis & conviciis rem ſuam agebant, nihil minus, quam vitæ ſanctitati, ſtudebant. Inter illos eminuerunt quidem viri doctrina conſpicui, ſed tales etiam non defuerunt orthodoxis. Ipſorum ſyſtema non ita arduum & abſtruſum fuit, ut orthodoxis minus fuerit perſpectum. Differitur de loco, ubi Donatiſtarum factio enata, Africa, extra quam omnino ipſorum res fuere notæ, de tempore, & occaſionibus, & aliis, huc ſpectantibus. Illorum faſtus fuit ingens, qui ex indulgentia *Conſtantini* M., Donatiſtarum Epiſcopos A. 321 ſuis ſedibus reſtituentis, crevit; acceſſit pertinacia, jactitarunt Martyres. Illorum faſtus plane ſingularis fuit, impedire tamen non potuerunt, ut non aliquando ſibi contraria effutirent. Ipſos autem veterum monumenta, quod crimini eis datur, corrupiſſe, ex vero dici nequit. Primum habiti ſunt *Schiſmatici*; accedente vero pertinacia, pro hæreticis ſunt reputati. Sanctitas ipſorum fuit affectata. *Tertullianus* non primus fuit, qui, hæreticos ſecundum tingendos eſſe, ſtatuerit, ſed *Agrippinus*, Epiſcopus, quo ſedente in Concilio ſuper hac re Decretum eſt conditum. Iteratus baptiſmus tum apud orthodoxos, tum Donatiſtas, Seculo IV per varios gradus eſt abolitus, præviis Conciliorum decretis, & Imperatorum edictis, quibus autoritas *Auguſtini* acceſſit. Proferuntur rationes, quare *Cypriani* ad *Pompejum* Epiſtola ſuppoſititia non ſit habenda. *Auguſtinus* in controverſia cum Donatiſtis multa uſus eſt prudentia, quando hoc ab ipſis probari flagitavit, vera eſſe, quæ objiciebant *Cæciliano*, *Marcellino*, *Melchiadi*, aliis, & an juſta divortii cauſa ipſis fuiſſet. *Cypriani* ſcripta ſuper hoc argumento non ſunt conficta. *Auguſtinus* illius mentem probe eſt aſſecutus. *Cyprianus* de hæreticorum baptiſmo ita ſenſit, uti ejus referunt literæ. *Auguſtinus* etiam in ſcriptis ſuis contra Donatiſtas nil quidquam habet, quod Epiſtolæ ad *Pompejum* adverſetur, nec dubitat de reliquis *Cypriani* Epiſtolis, ſed tantum de illarum ſenſu. Ex eo, quando *Optatus* Epiſtolam hanc & alias

Pag. 179, 180. 180-192. 192-197. 197-200. 200-204. 204-206. 206-211. 212-225.

alias *Cypriani* ſilentio prætermittit, non ſequitur, ipſum ſcripta hæc tanquam commentitia reſpuiſſe; neque dici poteſt, *Optati* ſcripta a Donatiſtis in magna habita fuiſſe exiſtimatione, qui, ubi ſententiam *Cypriani* de rebaptizandis hæreticis ex hypotheſi Donatiſtarum enarrat, nullum ſen-
Pag. 225-230. tentiæ Catholicæ præjudicium creavit. *Pontius*, qui vitam *Cypriani* conſignavit, encomiaſten potius agit, quam hiſtoricum, adhæc multa alia ſilentio involvit; igitur, ſi nihil habet de hæreticorum baptiſmo iterando, exiſtimandum non eſt, *Cypriani* de illo ſcripta ſpuria eſſe. Nec idem demonſtrari poteſt ex Anonymi *Tractatu adverſus rebaptizantes*, neque *Euſebius* fabellam de orientalium anabaptiſmo in Arianorum gratiam primus omnium excogitavit, nec alteram de Afrorum rebaptiſmo, quo Donatiſtis patrocinaretur, illi adjunxit. Sed *Dionyſius Alexandrinus*, ex quo & *Euſebius* & *Hieronymus* profecerunt, docet, tum Orientales, tum
30-240. Afros, hæreticorum anabaptiſmo mordicus inhæſiſſe. *Rufinus* in facto ipſo *Cypriani* non diſcrepat ab *Euſebio*, ſed tantum in perſonis; forſitan etiam Codicem habuit a noſtris diverſum, &, quod alias fecit, quædam addidit ac muta-
240, 241. vit. In actis ſynodicis, literis ac legibus imperatoriis, geſtisque proconſularibus, a *Conſtantino M.* uſque ad *Theodoſium* majorem, altum de controverſia inter *Stephanum* &
241, 242. *Cyprianum* animadvertitur ſilentium. Qui ad Concilium Carthaginienſe convenerant, illi omnes hæreticorum baptiſmum tanquam profanum & nullum rejecerunt, nec dici poteſt, *Auguſtinum* ſententiam hanc improbaſſe. Tria Concilia Carthaginienſia, *Stephano* ſedente, haberi potuerunt; hinc de tempore, quo *Lucius*, *Stephanus*, & *Sixtus*, ſedi Romanæ
242-259. præfuerunt, pluribus diſputatur. Expenduntur objectiones, quæ contra præfationem ad Concilium Carthaginienſe III inſtituuntur, item quæ adverſus concluſionem Epiſtolæ ad *Jubajanum* proferuntur: qua occaſione quædam de tempore editi libelli *Cypriani de bono patientiæ* in medium adducuntur, qui videtur publicatus fuiſſe ante *Valeriani* perſecutionem & diſſidium cum *Stephano*, forte tempore afflictionis

Decii,

Digitized by Google

Decii, vel Chriſtianis in pace quieſcentibus. Vindex aſ- Pag. 259-285.
ſeveraverat, in Epiſtola ad *Pompejum* haberi quædam inepta
& abſurda, quæ diſcutit Noſter, cumprimis decretum *Ste-
phani* expendens. Sed vero & aliæ *Cypriani* Epiſtolæ νοθείας 285-303.
poſtulantur. Per ſingulas igitur it, demonſtrans, nihil in
illis contineri, quod perſona *Cypriani*, ejusque doctrina, ſit 303-313.
indignum. Denique expenduntur argumenta, petita ex li-
bello *ad Novatianum*, ex Canone VIII Concilii Arelatenſis I,
ex Tractatu Anonymi adverſus rebaptizantes, ex ſtilo Epi-
ſtolarum S. *Cypriani* pro rebaptiſmo, ex exemplo S. *Colum-
bani*, ex Epiſtola LXXVII *Cypriani* ad Martyres, ex *Augu-
ſtini Lib. V contra Donatiſtas c. I*, ex eo, quod in his Epiſto-
lis Romano Pontifici poteſtas in univerſam Eccleſiam tri- 314-332.
buatur.

Diſſertationis III Parte I agitur de *Canonibus*, vulgo *Apoſto-
licis* dictis. Canon XLV & XLVI a Donatiſtis non eſt intru-
ſus. Hi a Græcis pervenerunt ad Latinos, a quibus demum
Seculo V exeunte commemorantur, quorum collectio apud
Græcos ante Concilium Nicænum exiſtit. Ex decreto *Ge-
laſiano*, quo tempore collectio hæc Latinis innotuerit, de-
monſtrari nequit, ſed ex collectione Canonum, a *Dionyſio Exi-
guo* facta, ante Seculum VI Donatiſtis cum Græcis nullum fuit 333-341.
commercium, nulla quippe ſchiſmatis Donatiani apud Græcos
& Orientales ſcriptores injicitur mentio. *Dionyſius Exiguus*
duos Canones pro rebaptiſmo inter Apoſtolicos non recenſuit,
poſt expreſſam illius in Arelatenſi Concilio damnationem.
Horum interpretationem, quam *Binius* affert, longe ante
produxit *Adrianus I.* Unde intelligi poſſe judicat, cur *Dio-
nyſius* poſt notiſſimam illam moris Africani proſcriptionem
utrumque illum Canonem reliquis 48 attexuerit. Quo ſen-
ſu Canones in decreto *Gelaſiano* fuerint notati, diſcepta- 341-351.
tur. In illo non confixi fuerunt L Canones Apoſtolorum,
ſed Conſtitutiones Apoſtolorum, quibus Eccleſia Romana in
judiciis eccleſiaſticis nunquam fuerit uſa. Trullani Patres Ca-
none II quæſtionem de hæreticorum & ſchiſmaticorum Ba- 351-356.
ptiſmo adiaphoram habuerunt; liberum igitur cuique re-

 lique-

Pag. 356-358. liquerunt, quem pro Eccleſiarum conſuetudine morem ſequeretur; Canonem vero XCV pro illis condiderunt, quibus altera opinio de quorundam hæreticorum Baptiſmo probabatur. Alia quippe conſuetudo fuit Eccleſiæ Orientalis, alia Occidentalis; illa hæreticos, ad Eccleſiam redeuntes, paucis exceptis, ſacræ aquæ adſperſione de novo initiabat, quos hæc maxima ex parte, Baptiſmo non iterato, admittebat. Ex *Photio* & Codd. MSS. apparet, Canones Apoſtolorum ultimam partem & clauſulam *Lib. VIII* Conſtitutionum Apoſtolicarum haberi poſſe; quare etiam hæ
359-363. nomine *Canonum Apoſtolorum* veniunt. Hæ varie ſunt interpolatæ; quæ corruptio num per hæreticos fuerit inducta, non æque dici poteſt, Canonibus vero Apoſtolicis corruptionem aliquam superveniſſe, affirmari nequit. Canon II
366. & XCV neque a Marcionitis, neque Cataphrygibus, neque Novatianis, neque aliis hæreticis, fingi & intrudi potuit. Nec Donatiſtis crimini dari poteſt, ipſos illos Canones hoſce confinxiſſe. Acta Concilii Sinueſſani ſecundum teſtimonium antiquorum A. 502 aut nondum fuere conficta,
368-370. aut nondum plane producta. In *Parte II* tractatur de Papæ judicio comparate ad Concilium pro vindicando S. *Auguſtino* ab oppugnatione defenſoris Gallicanæ declarationis. *Auguſtinum*, probando factum *Cypriani* adverſus *Stephanum*, non aliquid ſedi Romanæ adverſum dixiſſe, adſtruere con-
371-375. tendit. Num ex *Auguſtini Ep. 43*, provocationem a Papæ judicio factam fuiſſe, vel fieri debere, probari queat, inquiritur. Alia hujus loca expenduntur, potiſſimum ille, quo pronuntiat, plenaria Concilia priora a poſterioribus ſæpe emendari. Idem provocat ad traditionem Apoſtolicam,
376-385. quod quomodo ſit accipiendum, indicatur. Sententia de hæreticorum Baptiſmo non tempore *Cypriani*, neque a *Stephano* Papa, ſed multo poſt ab illis Epiſcopis, quibus jus erat rerum, ad diſciplinam eccleſiaſticam pertinentium, eſt
388. declarata & explanata. Concilia œcumenica non ſemper de re obſcura, ancipitique, ac magnis altercationum nebulis involuta, convocata fuiſſe, exemplis prolatis firmatur.

Num

Digitized by Google

Num *Auguſtinus* exiſtimaverit, certiſſimum eſſe ac ineluctabile Romani Pontificis judicium, etiam poſt interpoſitam ad plenarium Concilium provocationem, quæritur. Ad Pelagianam hæreſin divertit, diſquirens ex mente *Auguſtini*, num ita facilis & plana fuerit, num multos, an pauciores, nacta fuerit fautores, & in quibus Conciliis condemnata. Pag. 319-393.
Oecumenica Concilia fuere convocata, quoties exoriebantur hæreſes, & controverſiæ, quibus involuti erant antiſtites, vel ſedium Apoſtolicarum, ac patriarchalium, vel metropolitanarum, ac magni nominis in Eccleſia viri, ſive illæ apertæ ac intellectu faciles, ſive obſcuræ ac perceptu difficiles, eſſent: quod exemplis *Pauli Samoſateni*, Præſulis Antiocheni, ac aliorum, comprobatur. Tale in cauſa Pelagiana coactum non eſt, quoniam hæreſin invexerunt monachi, & homines privati, paucique Epiſcopi. 393-410.
Ubi *Auguſtinus* pronuntiat, *Cyprianum* decreto *Stephani* Papæ non acquieviſſe, quieturum tamen plenario Eccleſiæ Concilio, ne verba hæc in præjudicium affectati primatus Pontificis Romani trahantur, ita explicat inter alia: Pontifices Romanos, licet cauſas ac controverſias ſoli finire ac terminare potuerint, id tamen quibusdam in cauſis non, niſi Concilio coacto, peragere ſolitos fuiſſe. 410-413.
Subjiciuntur additamenta quædam, ad illuſtrationem ac explicationem eorum, quæ in ſuperioribus dixerat, facientia. Index rerum ac verborum Operi huic coronidem imponit. 413-420.
Erudítiſſ. Autoris, qui eximiam in lectione Patrum ac Scriptorum Eccleſiaſticorum, & antiquitatibus ſacris, peritiam oſtendit, in eo ſtudium veritatis eſt laudandum, quod aliquas *Cypriani* Epiſtolas, in controverſiam præter meritum adductas, & a nonnullis pro rejiculis declaratas, multis, iisdemque validis, argumentis vindicavit, & loco ſuo reſtituit: ſimul hac prudentia utitur, cum ſupremæ, quæ jactitatur, autoritati Pontificiæ minus faveant, ut demonſtrationes ſuas ita inſtruat, ne curiæ Romanæ ac propugnatorum illius indignationem incurrat. Aſſidua Patrum lectio in cauſa eſſe videtur, cur voces, Latinis auribus inſolitæ, ac dicendi formulæ, & verborum conſtructiones, minus probatæ, ipſi ſubinde exciderint.

Digitized by Google

CHRISTIANI FRIDERICI BOERNERI, S. T. D. ET P. P. Pr. Inſtitutiones Theologiæ Symbolicæ.

Lipſiæ, apud Jo. Wendlerum, 1751, 8.

Alph. 2 plag. 7.

Non ſatis fuit Summe Venerabili *Bœrnero*, ab illo tempore, quo Theologiam in hac Academia publice docendi, demandatum ipſi fuit munus, præter alias Theologiæ partes, ad Symbolicam quoque Theologiam ſanctioris doctrinæ cultoribus tradendam, induſtriam ſuam contuliſſe, & doctis elegantioribusque ſubinde ſcriptis bene de civitate Dei & nobilioribus literis meruiſſe; ſed neceſſarium etiam, operæque pretium ſe facturum, exiſtimavit, ſi, quas Symbolicæ Theologiæ concinnaverat Inſtitutiones, auditorum maxime commodis ſerviens, luci jam publicæ exponeret. *Bernhardus* quidem *von Sanden*, *Jo. Henricus Majus*, *Godofredus Hoſmannus*, *Jo. Bened. Carpzovius*, *Jo Georg. Walchius*, magna nomina, aliique, a S. Ven. Autore ſæpius citati, hunc ingreſſi ſunt campum; nihilo minus tamen largam S. V. Autori relictam fuiſſe meſſem, ex attenta libri inſpectione, ſedulaque collatione, facillimo negotio poterit judicari. Faciamus igitur periculum, &, quæ doctiſſimus Autor in utiliſſimo hoc præſtiterit libro, a Lectoribus gratiam inituri, exponamus. Nulli enim plane dubitamus, quin vel breviſſima potiorum capitum recenſio ſatis ſit futura, ad ſalivam, doctiſſimum hoc opus evolvendi, Lectoribus movendam. Hic vero ſtatim in limine monendi videntur Lectores, S. Ven. Autorem, per univerſum hoc opus, concinno illo, quo ſemper ſuaviſſimas ſucculentiſſimasque apponere ſolet dapes, uſum fuiſſe ordine. In Prolegomenis id agit, ut de libris ſymbolicis Eccleſiæ Evangelicæ in genere quædam doceat lectores. Dicturus igitur de libris ſymbolicis, ſtatim ad Symbolorum, quo nomine compendiariæ Chriſtianæ fidei Confeſſiones ſolent appellari, veram notionem eruendam animum intendit. Neque vero ea appellationis origo, quæ ex antiqui-

Pag. 2.

tiquitatibus convivalibus, & ſpeciatim ἀπὸ τῦ συμβάλλειν,
a *collatione*, derivatur, & fabuloſa illa nititur traditione, qua
Apoſtoli omnes Symbolum, quod Apoſtolicum vocatur, com-
poſuiſſe dicuntur, S. V. Autori arridet; neque etiam ea
nominis ratio placet, quæ a teſſerarum in militia & contra-
ctibus uſu arceſſitur, vel quam doctiſſimus Anglus, *Petrus
King*, admodum ingenioſe propoſuit, dum, ab arcanis ſignis,
in myſteriis gentilium adhibitis, derivandam eſſe, arbitra-
tur. Ipſe vero S. V. Autor exiſtimat, veteres in hac voce Pag. 5.
ſigni præſertim notionem reſpexiſſe, ita ut hæ compendiariæ
fidei Chriſtianæ Confeſſiones ſigna & indicia eſſent, qui-
bus unius ejusdemque doctrinæ Confeſſores & inter ſe co-
gnoſcerentur, & a diſſentientibus diſcernerentur. Veteris
igitur Eccleſiæ, docet, imitatam eſſe exemplum B. *Lutheri*
miniſterio inſtauratam Eccleſiam in fidei ſuæ Confeſſioni-
bus, quas, numero quinque, libros ſymbolicos appellarunt.
Poſtquam autem, quæ de illorum neceſſitate monenda erant, 7.
pertractavit, ad eorum pergit autoritatem definiendam.
Affert hic quidem cauſas, quibus inducti, Theologi quidam
judicarunt, divinos eos appellandos eſſe, ſed addit quoque gra-
ves utique rationes, quæ obſtant, quo minus illis aſſentiatur.
Cum vero ad eorum autoritatem quodammodo ſpectet con-
troverſia, quæ inter ipſos Eccleſiæ noſtræ Theologos agitari
cœpit, num ſcilicet omnis omnino nævi, ac leviorum etiam
errorum, ſint expertes, quid hac de re ſtatuendum eſſe videa- 12.
tur, paucis exponit, dicitque, reperiri quidem δυσνόητά τινα,
quæ erroris contradictionisque ſpeciem habere poſſint; ita
vero pleraque comparata eſſe, ut, adhibitis legitimæ interpre-
tationis mediis, facile enodari poſſint. Antequam vero *Sectio-
nem primam* concludit, vindicias quasdam pro jurisjuran-
di, quo publicis in eccleſia & republica muneribus præfici-
endi obſtringi ſolent, indole & uſu adjungit.

Tum vero de tribus Symbolis œcumenicis, Apoſtolico, 15.
Nicæno, & Athanaſiano, ita agit, ut nihil facile, quod circa illa
moneri poſſit, deſideretur. Progreditur igitur, duce ordine 23.
& dignitate, ad ipſam Confeſſionem Auguſtanam, nomenque

& cauſas, quare conſcripta fuerit, exponit. Hic vero S Ven. Au-
Pag. 24. tor pauliſper ad primum reformationis ſacrorum initium ſucceſ-
ſusque digreditur, & de modo, quibusque Autoribus condita
fuerit, narrare pergit, opinionemque illorum, qui Articu-
los Suobacenſes pro primo fundamento, ex quo concinna-
35. ta fuerit A. C., perperam habent, ſolide confutat. Nectit
nunc quoque juſto ordine oblationis recitationisque hiſtori-
am, & egregie admirandam Dei circa primarium hoc Eccle-
ſiæ Evangelicæ Symbolum providentiam declarat, poſt no-
tatas Romano Pontifici addictorum machinationes ipſam
A. C. indolem & rationem ediſſerens, oſtendensque, tribus con-
ſtare illam partibus, præfatione ſcilicet, tractatione, & epi-
logo, quarum quæ in unaquaque exhibeantur, potiora doctri-
næ capita, ſummatim recenſet. Commendat ſe vero maxi-
mopere A. C. brevitate, perſpicuitate, lenitate, & modera-
tione. Summa vero ejus præſtantia in eo conſiſtit, quod Articuli
omnes firmiſſimo ſacrarum literarum nitantur fundamento.
Hinc igitur etiam facillime de ejus autoritate ſtatui poterit.
Cum vero A. C. non variatæ Confeſſionis titulo ſoleat in-
ſigniri; neceſſum duxit, rei hujus rationem, atque adeo in-
ter non variatam & variatam Confeſſionem diſcrimen indi-
care, & quo anno, quo Autore, variata prodierit, item quo-
modo egregio rei Evangelicæ commodo factum ſit, ut Ger-
manicum Confeſſionis exemplum, poſt publicam recitatio-
52. nem *Carolo V* exhibitum, tabulario Moguntino fuerit illa-
tum, oſtendere. Et, ne aliquid in hac cauſa poſſit deſiderari,
etiam de A. C. editionibus, tam Latinis, quam Germanicis,
agit, harumque principem Germanicam eſſe tradit, eam vide-
licet, quæ in libro Concordiæ, Dresdæ A. 1580 evulgato, ex-
hibetur. De Latina quoque multa lectu digniſſima addit, &,
poſt pauca de interpretationibus, inprimis de Græca *Pauli Dol-*
54. *ſcii*, itemque de Expoſitionibus, docte propoſita, *Sectione quar-*
ta de Apologia A. C. dicere inſtituit. Etiam hoc loco omnia in-
veniuntur, quæ de libro hoc cognitu neceſſaria ſunt, inprimis qua
is occaſione, quas ob cauſas, quo item Autore, & quo modo,
62. conſcriptus ſit, quæque ad ſymbolicam ejus ſpectant autorita-
tem.

Digitized by Google

tem. Eadem incedit via in componenda Articulorum Smalcaldicorum hiſtoria, ſeduloque, quæ vel de appellationis ratione, vel Autore, tempore, & occaſione, vel de modo, quo a Theologis, Smalcaldiæ congregatis, approbati & ſubſcripti, a *Luthero* inde publicati, tandemque in librorum ſymbolicorum numerum relati fuerint, dicenda, exponit, & nonnulla de diviſione, editionibus, interpretationibus, atque explicationibus, adjungit. Nec minori cura S.Ven. Autor de utroque Cathechiſmo *Lutheri*, quaſi laicorum Bibliis, dicturus, cœptam pertexit telam, dum, qua occaſione, quibusque rationibus adductus, *Lutherus*, & quo ſermone, Cathechiſmos compoſuerit, docet, quæ etiam in illis contenta ſint, quæ præſtantia eorum, quæ verſiones, memorans. Pari ſtudio de Formula Concordiæ agit, potiora, quæ ad ejus hiſtoriam pertinent, momenta enarrans. De cauſis igitur præcipue dicens, controverſiarum, *Flacianæ*, *Strigelianæ*, *Oſiandricæ*, aliarumque, huc pertinentium, rationes & originem ſummatim quidem, ſed accurate admodum, explicat, variæ doctrinæ apparatu omnia illuſtrat, reliquaque eo, quo in prioribus, modo pertractat. Via igitur hoc modo eleganter præmunita, ad ipſas Theologiæ Symbolicæ progreditur Inſtitutiones, quarum *Capita* ſunt *unum & viginti*, horumque unumquodque *duabus Sectionibus* conſtat. Ordo, quem S. Ven. Autor elegit, ita comparatus eſt, ut egregie lectorum commodis inſerviat. In *Sectione* qualibet *prima*, quam hiſtoricam appellare placuit, omnes, qui ad propoſitam eo *Capite* doctrinam pertinent, librorum ſymbolicorum Articuli, neceſſariis additis annotationibus, recenſentur. Ita, quod ad A.C. Articulos attinet, (utamur hic ipſis Celeb. Autoris verbis, quia cum tractatione ipſa in omnibus conveniunt,) quas ob cauſas quisque, conſcriptus, & de quonam Torgavienſium Articulorum deſumtus is fuerit, indicatur, textus Germanici & Latini integritas & convenientia demonſtratur, corruptelæ mutationesve textus Latini in Confeſſione, variata quæ dicitur, *Philippica* notantur, Articuli cujusvis argumentum partesque enarrantur, adverſariorum, Pontificiæ cummaxime, in comitiis

Pag. 73. 82. 114.

tiis

tiis Auguſtanis compoſitæ publicatæque, confutationis Autorum judicia pariter, atque Apologiæ A. C. ad illa reſponſiones & vindiciæ, referuntur, tum vero ea, quæ cum in Articulis, tum in ipſa Apologia, difficilem intelligentiam, & contradictionis errorisve ſpeciem, habent, dilucidantur, eumque in modum declarantur, ut nulla re vera ἐναντία, nullus error, in illis eſſe cognoſcatur. Pari modo, quæ in Articulis Smalcaldicis, Cathechiſmis *Lutheri*, & Formula Concordiæ, δυσνόητα ſunt, enodantur, & argumenta Articulorum ex his libris, qui adducuntur, in notis, iisdem ſubjunctis, exponuntur.

In *altera*, quæ thetico-elenctica eſt, *Sectione* ſymbolica de propoſitis fidei articulis doctrina, theſibus comprehenſa, exhibetur. Theſes ſingulæ curatius explicantur & confirmantur, indeque oppoſiti iisdem cum veterum hæreticorum, tum maxime Pontificiorum, Calvinianorum, Socinianorum, Arminianorum, Fanaticorum, & quorumvis aliorum, errores notantur, atque refelluntur. Orthodoxam librorum noſtrorum ſymbolicorum doctrinam firmiſſimis ſacrarum literarum teſtimoniis, claſſicisque potiſſimum confirmavit dictis, horumque Germanam ſententiam ex genuinis ἐξηγήσεως ſacræ principiis demonſtravit, & ab adverſariorum vindicavit ψευδερμηνεία. In confutandis antitheſibus id inprimis operam dedit, ut de adverſariorum ſententia vere pleneque conſtaret, & proinde ex libris, qui ſumma apud ipſos gaudent autoritate, doctorumve, qui primas inter eosdem tenent partes, ſcriptis, laudanda illam retulit accuratione. Ita, verbi cauſa, Pontificiorum, qui evangelicis doctrinis maximam partem adverſantur, & qui adeo ſæpe multumque notandi fuerunt, dogmata ex Concili Tridentini decretis, & Cathechiſmo, ex ejusdem Concilii decreto edito, & *Pii* V, P. R. juſſu promulgato, adduxit, & cum iis Romanæ Eccleſiæ doctorum principis atque προμάχου, *Roberti Bellarmini*, Cardinalis, enarrationes, declarationes, & probationes, ſedulo comparavit, exacteque adeo expoſita errorum Pontificiorum ratione, illorum aggreſſus eſt confutationem, ad quam perficiendam

Digitized by Google

ciendam uſui præſertim ipſi fuerunt *Martini Chemnitii* Examen Concilii Tridentini, & *Jo. Gerhardi* Confeſſio Catholica. In ipſis Pontificiorum pariter, atque ceterorum adverſariorum, Symbolicæ noſtræ doctrinæ oppoſitis, erroribus refellendis ita verſatus eſt, ut & illos, & præcipuas, quæ pro iisdem tuendis afferuntur, rationes, breviter quidem, firmis tamen ſolidisque coarguerit argumentis. Ceterum totum, quam late patet, doctiſſimum hoc opus illuſtre animi bene de civitate Dei & re evangelica merendi cupidi, doctrinæ plane ſingularis, diligentiæque eximiæ, in juventutis Academicæ maxime commodum verſæ, haberi documentum debet.

EVANGELIUM SECUNDUM MARCUM & Lucam, ex verſione Perſici Interpretis in Bibliis Polyglottis Anglicanis editum, ex Perſico idiomate in Latinum tranſtulit, ſimulque annotationum, Perſicam Verſionem illuſtrantium, vicem præfando explevit, CHRISTOPHORUS AUGUSTUS BODIUS, A M

Helmſtadii, in officina libraria Weygandi, 1751, 4.
Plag. 21.

Haud ita diu ante Clariſſimus Autor Evangelium ſecundum *Matthæum* ex Perſica in Romanam converſum linguam ediderat, & tum interpretationis ſuæ leges, tum Perſicæ verſionis faciem, delineaverat. In hoc ſtadio doctiorum hominum ſententia & ſuffragio fultus, ad *Marci* & *Lucæ* progreſſus eſt hiſtoricam Servatoris noſtri enarrationem, &, ne ſolus cum ſola interpretatione in publicum prodiret, præfatus eſt nonnulla de *variis lectionibus*, hic obviis, & de *locis ſingulis*, feliciter, vel minus, ab interprete Perſico translatis. In Lectionibus variantibus, ubi *Milliana* inprimis, a *Lud. Kuſtero* aucta, collectio in ſcenam producitur, notatur, collectores hoſce duumviros partim Perſicum Interpretem plus quam centies pro varia quadam Pag. 7.

Digitized by Google

lectione, pro qua ille ſtat, non allegaſſe, partim
eundem in variarum Lectionum ſocietatem perperam
Pag. 8. ſæpe pertraxiſſe. Recenſentur hinc ſumma cum diligentia
omnes ſingulique loci, in quibus Perſa, præeuntibus quibus-
dam Græcis Codicibus & Verſionibus, varias Græcas lectiones
ſecutus eſt. Exinde, collatione inſtituta, quam utramque
omnino hic paginam facere, Noſter contendit, apparebit,
quamplurimas eſſe neglectas, nonnullas falſo appoſitas.
12. Sic ſecundum *Millium* Perſa *Marc. I, 16*, pro βάλλοντας, legit
ἀμφιβάλλοντας. At enim vero verbum Perſicum, quod
hic occurrit, exacte reſpondet Græco βάλλειν, & ſimpliciter
jacere ſignificat. *Cap. III, 7*, Perſa pro: καὶ ὁ Ἰησοῦς, legiſſe
putatur ὁ δὲ Ἰησοῦς, &, pro πολὺ πλῆθος, πολὺς ὄχλος. Ve-
rum, quod ad primum, in ipſa verſione Perſica neque δὲ, ne-
13. que καὶ, neque alia quædam particula, legitur, licet in ver-
ſione Latina Polyglotta collaterali, ex qua ſola *Millius*, ob
ignorantiam linguæ Perſicæ, lectiones verſionis Perſicæ de-
ſumere potuit, additum ſit *autem*: quod ad alterum vero, vo-
cabulum Perſico-Arabicum, hoc loco uſurpatum, utrumque illud
Græcum πλῆθος & ὄχλος exprimit. *Cap. VIII, 34*, Perſa
pro ἐλθεῖν legiſſe debet ἀκολουθεῖν. Sed perperam ſane.
Legitur enim apud Perſam: *Omnis, qui vult, ut in veſtigium
meum veniat*, h. e. ut poſt me veniat. Habet tamen verſio
Latino-Perſica h. l. *quicunque me ſequi voluerit*, quæ *Millium*
decepit. Hujus generis quamplurima alia occurrunt. Ea-
dem ratione *Bengelius* eſt notandus, quando v. g. in jam ex-
14. citato loco eundem cum *Millio* erravit errorem, & *Cap.
IX, 33*, pro ἦλθεν legere debebat ἦλθον. At potius Per-
ſa in ſingulari legit ἦλθεν, uti inſpectio ipſius verſionis
quemvis attentum lectorem edocet. Ad alterum Præfatio-
nis momentum pergens Autor, potiores verſionis ſuæ re-
cenſet locos, in quibus interpres textum Biblicum vel be-
ne, vel male, expreſſit. Melioris generis ſunt illa, quando
Cap. I, 23, verba nonnihil obſcura: ἄνθρωπος ἐν πνεύματι
ἀκαθάρτῳ, Perſa ſic explanavit: *Homo, quem ſpiritus im-
mundus vexabat*, h. e. a dæmone obſeſſus. *Cap. II, 3*, Perſa
ver-

Digitized by Google

vertit vocem παραλυτικὸν ſimpliciter primo *paralyticum*,
deinde notionem ipſius magis evolvit, ſubjiciendo accura-
tam hancce morbi paralyſeos deſcriptionem: *laxum (ſolu-*
tum) quoad *membra* corporis, cujus *manus & pedes ſine ne-*
gotio erant, hoc eſt, negotio ſuo ſeſe juvandi & gradiendi
fungi non poterant, unde *quatuor viri illum portaverunt.*
Cap. III, 21, per οἱ παρ᾽ αὐτοῦ ſc. ὄντες Perſa recte intellexit Pag. 15.
amicos Jeſu, hoc eſt, diſcipulos & Apoſtolos, qui cum Jeſu,
ex itinere reduces facti, edere volebant. *Cap. IV*, 10, ver-
ba: ἠρώτησαν αὐτὸν τὴν παραβολήν, reddit Perſa: *Signifi-*
cationem (ſenſum) bujus parabolæ ab eo quæſiverunt, ipſemet
ſenſum illorum verborum *ab eo quærentibus* reſpondet. *Cap.*
VI, 45. τὸ ἠνάγκασε de coactione *morali mandatoria* bene
intellexit, reddens illud *juſſit*, coll. *Luc. XIV*, 23. *Cap. X*, 13,
verba ἵνα ἅψηται αὐτῶν recte explicavit: Ut illis (vel ſuper 16.
illos, ſcilicet infantes,) benedictionem faceret. Etenim non
nudum quendam tactum, ſed tactum, cum benedictione
conjunctum, in textu ſignificari, ex ipſius *Marci* illuſtratio-
ne *v. 16*, coll. *Matth. XIX*, 13, elucet. *Cap. XIII*, 9, verba:
ἀρχαὶ ὠδίνων ταῦτα, quoad ſenſum bene reddidit: Hæc
omnia initium perturbationis & perditionis ſunt. *Cap. XVI*, 7,
ad peculiarem emphaſin, quam particula καὶ in verbis εἴ-
πατε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ καὶ τῷ Πέτρῳ obtinet, dum
hic idem valet, quod *& inprimis*, bene attendit Perſa hac
ſua verborum tranſpoſitione: Sed vos abite, &, qui præ re- 17.
liquis omnibus veſtro læto nuntio exhilarandus eſt, *Kepha*
primum, tum vero *& reliquis diſcipulis, dicite* &c. Sed
multo major eſt numerus bonæ notæ locorum, quos hic recen-
ſere ſingulos non vacat; licet, quod non nimis mirandum
eſt, etiam tales occurrant loci, qui deterioris ſunt conditio-
nis, & conſulto hic omittuntur, quia ſatius ducimus, ad
Præfationem Evangelii Lucæ calamum convertere. In hac pa- 18.
ri induſtria, ſimilique modo, procedit Clariſſimus Autor, ca-
talogum primo nectens earum Lectionum variarum, quas
Perſa expreſſit vere. Deinde ad fictas, *Millianas* atque
Bengelianas, varias Lectiones Noſter ſe vertit, & tale quid in

Cap. II, 9, invenit, ubi ſecundum *Millium* ſolus Perſa pro ἰδοὺ legit ἐξαίφνης, vel aliquid ſimile. At enim vero unica quædam verſio, ab omnium reliquarum verſionum Codicumque Græcorum comitatu deſtituta, non efficere poteſt variam lectionem. Sit ergo potius illud Perſæ נאגאה, quod *ex improviſo* notat, interpretamentum τοῦ ἰδοὺ, ex ſeq. *v. 13*, ubi geminæ apparitioni Angelicæ præmittitur καὶ ἐξαίφνης, forte deſumtum. *Cap. V, 49*, variantium lectionum civitati etiam illud Perſæ pariter, ac Syri & Armenici Interpretis, interpretamentum verborum ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου, quod habet *in domo patris mei*, adſcripſit *Millius*. Sed interpretum interpretamenta ex variantium lectionum cenſu dudum jam proſcripſerunt meliores notæ Critici. *Cap. VI, 10*, Perſa ſecundum *Millium* legit καὶ ἐξέτεινε: ſed expreſſit quidem Perſa ἐξέτεινε, non vero ſimul illud καὶ. *Cap. VI, 23*, Perſa ſecundum *Millium* pro ἐν τῷ οὐρανῷ legit in plurali ἐν τοῖς οὐρανοῖς. At vero Perſa uſus eſt voce ſingulari, quæ cœlum notat, ipſo applaudente Latino Interprete Perſæ, quippe qui Perſica דר אשמאן h. l. accurate ſatis vertit: *In cœlo*. *Cap. VII, 42*, Perſa ſecundum *Bengelium* quidem omiſit αὐτῶν, εἶπε; rectius vero, ſecundum *Millium*, ſolummodo omiſit poſterius εἶπε. *Cap. IX, 57*, Perſa ſecundum *Millium* pro πορευομένων αὐτῶν legit πορευομένου αὐτοῦ. Verum potius Perſa ſecundum Codicem V Pariſienſem, a *Millio* quidem non perluſtratum, a *L. Küſtero* autem collatum, legit πορευομένου τοῦ Ἰησοῦ, annotante hanc variam lectionem eodem illo *Küſtero* ad h. l.

Pag. 15. 16. *Cap. XXII, 23*, Perſa ſecundum *Millium* omiſit ἐξ αὐτῶν, quia ſcilicet interpres Latinus Perſæ omiſit Perſica vocabula, *ex illis* ſignificantia. Novum id eſt exemplum variarum lectionum, ex interpretationibus Latinis Polyglottis a *Millio* infeliciter fabricatarum, non inſpectis ipſis verſionibus originalibus. Quæ bonæ notæ ſunt interpretationes Perſicæ, poſtea a Clariſſimo Autore recenſentur. Talis extat v. g. *Cap. I, 35*, ubi illa B. *Mariæ* Virginis verba: ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω, Perſa clarius explicavit hoc modo: *quia vir me non attigit ſc.* concumbendo mecum, vel *ad me non pervenit*,

ſcilicet

ſcilicet in cubiculum, coll. *Geneſ. XX, 4, 5, Judic. XV, 1, Prov.*
VI, 29, 1 Cor. VII, 1. Græcorum enim verbum γινώσκω, ex
more Hebræorum ידע, quandoque per εὐφημισμὸν, de ſin- Pag. 17.
gulari illa, &, ſi qua alia, maxime familiari, cognitione, qua
vir pro viro, & mulier pro muliere, cognoſcitur, ſive de viri
cum muliere, & mulieris cum viro, conſuetudine ac concu-
bitu, uſurpatur. Hæc rectiſſime quidem ſeſe habent; no-
ſtro tamen judicio verba *Mariæ*, diſcendi cupidæ, hunc in
modum ſunt accipienda: *Quomodo id fiat, ſi nullum cognove-*
ro virum: wenn es gleichwohl ohne Zuthun eines Mannes ge-
ſchehen ſoll. Convenit hæc explicatio cum ſequentibus. Sed
pergimus ad reliqua. *Cap. V, 7,* Græca verba: ὥστε βυθίζε-
σθαι αὐτὰ, recte ſic interpretatus eſt: *Adeo, ut propinquum* 18.
fuerit, ut deorſum irent, & ſubmerſæ fierent, ſc. naves; ſi
quidem procul dubio naves iſtæ non vere ſubmerſæ fuerunt;
ſed ſolum ſubmerſionis periculum ſubierunt, vel, ad ſum-
mum, profundum petendi initium demum fecerunt. *Cap.*
X, 2, verbum ἐκβάλλω plerumque quidem duriorem illam 19.
ejiciendi atque expellendi, nonnunquam vero ritu Hebræo-
rum הוציא & שלח molliorem *emittendi & educendi*, notio-
nem obtinet; iſtud Perſa h. l. recte in poſteriori ſignifica-
tione accepit, reddendo Græca: *Ut pro frumento* (proven-
tu) *ſuo mercenarios educat*, coll. *Exod. XII, 33, 2 Par. XXIII, 14.*
Porro in *Cap. XII, 29*, Perſa ſenſum verborum difficilium: 20.
καὶ μὴ μετεωρίζεσθε, non male ſic expreſſit: *Ut animus*
veſter in eo permanens ne ſit, hoc eſt, ut ne anxiis curis de
ſuſtentatione veſtra diſtrahamini, coll. *Matth. VI, 25, 31.*
Cap. XIII, 9, geminam ellipſin, in textu Græco occurrentem,
Perſa bene ſupplevit hunc in modum: *Si fructum dederit,*
maneat; ſi vero minus, in veniente anno eam exſcindemus.
Cap. XVII, 12, vocabula Græca: Καὶ εἰσερχομένου αὐτοῦ, bene
ſic explicavit, ut clarius fieret, Servatorem paulo adhuc a
vico fuiſſe remotum: *Propinquum fuit, ut in vicum introi-*
ret, coll. *Lev. XIII, 46.* Sufficiat, hæc dixiſſe, ex quibus
Autoris inſignis diligentia perſpici poteſt, qui & præterea
innumerabiles fere locos excitavit, ubi melioris notæ oc-

 currunt

Digitized by Google

currunt Perſicæ interpretationes. Ultimum itaque Evangelium, *Joanneum* ſcilicet, finem impoſiturum operæ ſuſceptæ, avide exſpectamus.

JO. GEORGII WALCHII HISTORIA CONtroverſiæ Græcorum Latinorumque de proceſſione Spiritus ſancti.

Jenæ, ſumtu Jo. Friderici Ritteri, 1751, 8.
Plag. 12 ½.

Duodecim jam anni ſunt, ex quo Celeberrimus *Walchius* controverſiæ de *proceſſione Spiritus ſancti* hiſtoriam deſcribere incepit, & eadem in enarratione ſubinde filum texere perrexit, quando ſacrorum pentecoſtalium cultus civibus Academicis indicendus fuit. Ad metam vero jam delatus, maxime laudandam operam in ſe ſuſcepit, &, quæ per partes ante in lucem emiſſa erant, in unum collegit libellum, ac pio conſilio publici juris fecit, ſiquidem tale argumentum ad illuſtrem rerum, in civitate Chriſtiana geſtarum, partem pertinet, quin & ad ipſam doctrinam de proceſſione ſanctiſſimi Spiritus, ſive iſta recte explicanda atque probanda, ſive in certamine cum adverſariis defendenda, veniat. Negandum quidem non eſt, multos jam exſtitiſſe viros doctos, hoc in campo ſe exercentes; non tamen hic verſantes ita, ut res integra tam curate ac perfecte tradita fuerit, ut nec acceſſio atque emendatio in rebus enarratis fieri, nec narratio meliorem recipere poſſet formam. Ordinis hinc curatioris modum viamque ingreſſus eſt Autor ſumme Venerabilis, & primum oſtendit, quæ concertationis hujus ſanctioris fuerit occaſio: quænam origines, & qui progreſſus, fuerint, ubi illius deſcriptionem a Seculo poſt Servatorem natum octavo uſque ad illud deduxit temporis punctum, in quod ætas noſtra incidit. Sub finem de re ipſa, in diſceptationem prolata, ſententiam dixit Autor, ut momentum doctrinæ, quatenus ad Theologiam illa ſpectat, inde dijudicandum veniat. Omnia per *decem Capita* ſunt expli-

explicata. In *Capite* igitur *primo* occaſio controverſiæ hujus Pag. 2.
enarratur, ubi ex *Athanaſio*, *Gregorio Nyſſeno*, *Epiphanio*, *Cyrillo Alexandrino*, *Dionyſio Alexandrino*, & *Didymo*, abunde docetur, veteres Græcos recte de proceſſione Spiritus Sancti 7.
a Filio ſenſiſſe, ſed ſequioribus temporibus ab hac veritate Eccleſiam Græcam receſſiſſe, & quosdam doctores exſtitiſſe, hoc dogma aperte negantes. Inter hos poſt *Theodorum Mopſueſtenum*, Ciliciæ Epiſcopum, Spiritum Sanctum per Filium 10.
exiſtentiam accepiſſe, negantem, primas ducit partes *Theodoretus*, Cyri, civitatis in Syria, Epiſcopus, Seculo poſt natum Servatorem quinto illuſtris, profeſſus publice, Spiritum Sanctum eo quidem ſenſu dici poſſe Spiritum Chriſti, quod cum Filio Dei ejusdem ſit eſſentiæ, atque ex patre procedat; minime vero, quod ex Filio, aut per Filium ſuum, habeat ſubſiſtendi modum. Præterea huic liti occaſionem larga manu dedit additamentum vocabuli *filioque* in Symbolo 11.
Nicæno-Conſtantinopolitano, de qua ſcilicet additione certum eſt, patres Conſtantinopolitanos minime hanc effeciſſe, ſed poſterioribus, incertis quidem, temporibus, incertoque autore, illam eſſe factam. Multo tamen id eſt certius, hanc 19.
rem, ut & ſimultates, quas Græci variis ſuper rebus cum Latinis alebant, ad controverſiam de proceſſione Spiritus Sancti excitandam atque augendam multa contuliſſe. Ex his origines & progreſſus ſanctioris hujus litis, uti ſcilicet Seculo VIII & IX fuerunt, in *Capite ſecundo* enarrantur. Vera 21.
ipſius controverſiæ origo pertinet ad Seculum octavum, quo *Conſtantinus Copronymus* legatos ad Regem *Pipinum*, litis cauſa, de proceſſione Spiritus Sancti ex Patre Filioque, deque imaginibus, miſit, atque occaſionem dedit Synodi, A. 767 in villa agri Pariſienſis, Gentiliaco, celebratæ. Deinde in 23.
Concilio Forojulienſi, præſide *Paulino*, Patriarcha Aquilejenſi, A. 791 inſtituto, hac de re actum fuit ita, ut patres illius adverſus Græcos decernerent, tenendam eſſe doctrinam de Spiritu Sancto, quod a patre filioque procedat *eſſentiabiliter* & *inſeparabiliter*. Eo tempore aperto Marte inter utrosque de eadem re pugnatum eſt, & *Jo. Damaſcenus*, celeberrimus 24.
ille

Digitized by Google

ille Græcorum doctor, in notiſſimo libello *de fide orthodoxa*
publice negavit, ex Filio Spiritum Sanctum eſſe. Seculo nono
controverſia hæc ita eſt continuata, ut, qui inter ſe diſcepta-
Pag. 25. bant, majorem vim atque impetum animorum proderent.
Inter omnia vero, tunc peracta, primum locum tenet Con-
cilium Aquisgranenſe V, A. 809, menſe Novembri, autori-
26. tate *Caroli M.* habitum, cujus varii mediæ ætatis ſcriptores
mentionem faciunt, contra *Baronium* teſtantes, non ſuper
vocabulo addito, *filioque*, ut ipſe putat, ſed de proceſſione
27. Spiritus Sancti, inprimis deliberatum fuiſſe. Cauſa agitata ea
erat: Num Spiritus Sanctus, ſicut procedit a patre, ita et-
30. iam procedat a Filio. *Leo* etiam *III*, Præſul tunc Romanus,
hac de re conſulebatur, qui etiam ab ipſo dogmate de proceſ-
ſione Spiritus Sancti a Filio non ſolum non fuit alienus, ſed
etiam poſtea illud conceptis verbis approbavit, hacque de re
teſtimonium ſatis grave ſcriptum reliquit in Symbolo, ad O-
31. rientis Epiſcopos miſſo, poſtquam Monachi quidam Latini de
Joanne, Monacho Hieroſolymitano, conqueſti fuerant, ſe
in Concilio Aquisgranenſi, ob Confeſſionem de Spiritu San-
32. cto a Filio procedente, perverſæ doctrinæ ab illo inſimula-
tos eſſe. Inprimis etiam huc pertinent certamina, inter *Pho-*
tium, Patriarcham Conſtantinopolitanum, & *Nicolaum* I,
Præſulem Romanum, exorta, & ſocietatem inter utramque
33. Eccleſiam diſſolventia. *Photius* ſcilicet, graviſſimus hujus
doctrinæ contra Latinos impugnator, hæreſeos aperte Lati-
nos accuſavit, quoniam docebant, Spiritum Sanctum etiam a
36. Filio procedere. Fecit hoc tum in *Epiſtola encyclica*, tum
in aliis, contra Latinos compoſitis, libris, varie a Latinis con-
38. futatis. Variæ etiam fuerunt in cauſa *Photiana* Synodi, inter
quas illa memorabilis eſt, quæ juſſu Imperatoris *Baſilii* inſti-
tuta eſt, & ab omnibus fere Græcis *Oecumenica octava* appella-
tur. Nec in illa obſcure declararunt Græci, quam alieni eſ-
41. ſent a Latinorum ſententia, quod Spiritus a Patre & Filio
procedat. Sublatæ tamen in hac Synodo fuerunt diſſenſiones,
adhuc inter Græcos & Latinos exiſtentes, qua de re teſtatur
memorabilis illa Epiſtola, a *Joanne VIII* ad *Photium*, de
addita-

Digitized by Google

additamento Symboli *filioque*, perſcripta, cujus autoritatem
Latini quam maxime infringere ſtuduerunt, quia eorum Pag. 42.
cauſæ adverſus Græcos parum favet. Nihil tamen eſt, cur de
autoritate hujus Epiſtolæ dubitare liceat. Ad hanc et-
iam temporis periodum pertinent Epiſtolæ, a *Photio* ad Ar- 44.
chiepiſcopum Aquilejenſem ſcriptæ, uberius hic ab Autore
Celeberrimo enarratæ. Denique additur, eodem Seculo nono 47.
contra Græcos in hac controverſia ſcripſiſſe *Ratramnum*, Mo-
nachum Corbejenſem Ordinis *Benedicti*, & *Æneam*, Epiſco-
pum Pariſienſem. *Caput tertium* exponit progreſſum hujus 48.
controverſiæ Græcorum Latinorumque, Seculo X & XI agita-
tæ. Pertinet huc Concilium *Herivei*, Archiepiſcopi Rhe-
menſis, A. 909 Troslei, in villa Galliæ, actum; Cauſa li-
tis, a *Michaele Cerulario* acta, qua effecit, ut, com-
munione inter utramque Eccleſiam ſublata, odia fierent acer- 50.
biora; Defenſio fidei Græcorum, a *Niceta Pectorato* con- 55.
ſcripta; & alia. Ubi tamen Latini non intermiſerunt ſuam
doctrinam contra Græcos tueri, inter quos tunc temporis
princeps fuit *Humbertus*, cujus liber, contra *Michaelem Ce-* 58.
rularium compoſitus, in lucem emittebatur, cui etiam *An-
ſelmus*, Epiſcopus Cantuarienſis, libellum addidit *de proceſſio-
ne Spiritus Sancti* contra Græcos. Status hujus controverſiæ
quomodo fuerit Seculo XII, exponit *Caput quartum*, in quo 59.
legatio & diſputatio *Chryſolani*, a *Paſchale II*, Præſule Roma- 62.
no, ad *Comnenum*, Imperatorem, Conſtantinopolin miſſi,
enarratur primum; deinde ex Græcis recenſentur *Jo. Furnus*, 64.
Nicolaus Methonenſis, *Euſtratius*, & alii, ex Latinis vero *An-
ſelmus*, ſacrorum Havelbergenſium in Marchia Brandenbur-
genſi Antiſtes, & *Hugo Eterianus*, aliique, in hac campo mi- 70.
litantes. Seculo ſequenti, quod *Caput quintum* enarrat, La-
tini id meditati ſunt, ut cum Græcis unionem inirent; quam
in rem etiam *Concilium Lugdunenſe* A. 1274 celebratum fuit, 76.
quod paulo poſt *Conſtantinopolitanum*, minus tamen feliciter, 78.
eſt actum, ſiquidem Græci non ſolum in ſua ſententia per- 82.
manſerunt, ſed etiam Papam, univerſamque Latinorum hære-
ſin, anathemati ſubjecerunt. Inde ex utraque parte iterum 85.

Digitized by Google

non defuerunt, qui ſuam ſententiam defenderent, & alienam impugnarent, quorum larga copia hic enarratur. Eadem
Pag. 114. diligentia & doctrina reliqua *Capita* uſque ad *nonum* Seculorum ſequentium hiſtoriam hujus controverſiæ enar-
166. ratam exhibent. *Decimum* denique *Caput* brevem, ſed ſolidam, addit dijudicationem hujus litis, Latinam inter & Græcam Eccleſiam agitatæ. De Latinorum ſententia omnino pronuntiandum eſt, eam eſſe veram, recteque eos proceſſionem Spiritus Sancti non ſolum Patri, ſed etiam Filio, adſcribere, ac rationibus uti, quæ ad ſententiam hanc probandam magna habent momenta. Quamvis enim in diviniori Codice haud expreſſis conceptisque verbis dicatur, Spiritum Sanctum a Filio quoque procedere; iſte tamen perſpicua nobis ſuppeditat effata, ex quibus illud juſto ac certiſſimo ar-
167. gumentandi modo concludi poteſt. Habent ſcilicet Latini princeps doctrinæ ſuæ præſidium in *numero*, *ordine*, ac *natura*, perſonarum divinarum. Patet ex Scriptura ſacra, tres eſſe perſonas in divinitate, eodem ſemper ordine enarratas, ex quo, Spiritum Sanctum tertiam eſſe perſonam, atque eandem cum Patre & Filio naturam habere, apparet, & inde omni
170. jure conficitur, Spiritum Sanctum, uti a Patre, ita etiam a Filio, procedere. Miras in difficultates ſe implicant diſſentientes, nec etiam facili nagotio expedire poſſunt ea, quæ de Spiritu Sancto, ejusque conjunctione cum Chriſto, divinitus
175. tradita legimus. Præterea levioris ſunt momenti ea, quæ Græci contra veram ſententiam pronuntiant, cum tabulæ diviniores numquam dicant, Spiritum Sanctum a *ſolo* Patre procedere. Qui judicarunt hac de re, eorum nulla eſt con-
182. ſenſio. Alii certamen hoc extenuant, perſuadentes ſibi, Græcos Latinosque tantum de vocibus diſceptare. Nonnulli autem fatentur quidem, de re diſputari; attamen exiſtimant, litem non magnum habere momentum, Græcosque cum Latinis conjungi poſſe, licet de proceſſione Spiritus Sancti inter ſe diſſentiant. Alii id, quod nimium eſt, admittunt; nec
183. dubitant, Græcos dogma, Spiritum Sanctum a Filio haud proce-

procedere, hæreticis annumerare, qualem duriorem animadverſionem in eos Epiſcopi Romani affectatores adhibent. Moderate vero ac ſapienter hac in re verſantur ii, qui, omnino Græcos in hac cauſa errare, perhibent, nec id approbant, quod in errore hoc defendendo vehementes ſint atque pertinaces; ſimul tamen concedunt, dogma hoc Græcorum ita eſſe comparatum, ut, eos, qui id profiteantur, fiduciam in merito Chriſti haud collocare, nec cœleſtem felicitatem conſequi poſſe, minime aſſerendum ſit. Quæ enim de proceſſione Spiritus Sancti nobis ſunt patefacta, ea ad fidei articulos, uti appellantur, *fundamentales ſecundarios* pertinent, hocque nomine vel ignorantia eorum fidem in Chriſtum, ſpemque ſempiternæ ſalutis, non tollit. Curate cum hæc omnia ab Autore Celeberrimo diſputentur, facile quisque intelligit, quantas ejus tam in concinnanda hiſtorica enarratione, quam in dijudicanda quæſtione propoſita, diligentia exquiſita, & meditatio ſolida, gratias a Lectoribus ad unum omnibus ſit initura. Pag. 184.

EPISTOLA AD ILL. GODOFR. GUIL. LEIBNITIUM, qua, characterem plantarum naturalem nec a radicibus, nec ab aliis plantarum partibus minus eſſentialibus, pluribus diſcriminandi capitibus conſtitutis, peti poſſe, oſtendit, & in comparationem plantarum, quam partes earum genitales ſuppeditant, inquirit, D. JO HENR. BURCKHARD, cum LAUR. HEISTERI Præfatione.

Helmſtadii, ex officina Weygandiana, 1750, 8.
Plag. 11, Tabb. æn. 2.

Erudita & ampla, quam huic Epiſtolæ præmiſit Cel. *Heiſterus*, Præfatio, cum varia, hanc Epiſtolam illuſtrantia, contineat momenta, primo ut de illa agamus loco, poſtulat. Plantarum inprimis innumerabilis fere copia difficilem earum reddit diſquiſitionem, quæ plane confuſa redditur, ſi nulla certa notentur ſigna, quæ earum differentias ſignificant. Veteres colligebant tantum, & collectas ſine ordine deſcribebant, plantas, alii vero poſtea, methodicam aliquam diſquiſitionem ſumme neceſſariam, diſtinctasque plantarum partes aſſumendas eſſe, intelli-

Digitized by Google

gentes, floris præcipue & fructus rationem habebant. Inter eos
autem viros, qui primo de methodo cogitarunt, principem tueri
Pag. 9. locum, quod alio jam tempore evicit Cel. Autor, noviſque hic
ſtabilit exemplis, *Conradum Geſnerum*, Germanum, affirmatur,
quippe qui herbarium aliquod, copioſiſſimas pictas plantas con-
15. tinens, compoſuerit. Exceperunt hunc *Camerarius*, *Caſalpinus*,
Columna, ex quibus tamen *Camerarius* primo nominandus, qui &
Geſneriana ſcripta in ordinem redigere tentavit, & ipſe, præter
alia, quæ exſtant, ſcripta, magnum Herbarium, Germanice ſcri-
ptum, reliquit. Hujus autem mentionem recentiſſimos
21. Botanicos ſcriptores feciſſe nullam, miratur Cl. Autor, atque, ra-
rum eſſe opus, exinde concludit, ni poſtea, diverſis locis annis-
que recuſum prodiiſſe, detexiſſet. Deſcribit interim fuſius ſuum,
15. quod poſſidet, Herbarii *Camerariani* exemplar, quod primum
A. 1586 Francofurti ad Mœnum prodiit, ejusque Autorem a
variorum criminationibus defendit, ſimulque *Columna* antiqui-
37. orem eſſe contendit. Huic coævus exſtitit *Joachim. Jungius*,
quem a nonnullis plane prætermiſſum fuiſſe notat, licet va-
riis inclaruerit ſcriptis botanicis, atque ex flore fructuque genera
conſtituerit plantarum. Quod aſſertum copioſis, nec contemnen-
dis, accuratioris ſtudii *Jungiani* ſpeciminibus corroboratur. Poſt
eum demum comparuit *Moriſonus*, &, nullius tamen anteceſſo-
rum nominis facta mentione, a fructu deſumtam methodum
propalavit, erroribus non expertem. Eandem normam tenens
62. *Rajus*, ſed emendatiorem methodum exhibuit, quæ, a variis aſ-
ſumta & emendata, noviſque notis aucta, methodos inve-
niendi novas fecit copiam, quod *Hermanni* & *Bœrhaavii* exem-
pla declarant. Uberiorem jam recentiora, ad quæ accedimus cum
Autore, tempora ſuppeditant occaſionem, botanici ſtudii conſide-
randi progreſſum. Aſt notiora hæc ſunt omnibus, quam ut fu-
63. ſiorem poſcant orationem. *Rivinus* autem noſter primus eſt, qui
florum petala fructumque attendit. De quo hoc ſaltem adjici-
mus, quod Autori incognitum eſſe putamus, reliquiſſe eundem,
hexapetalarum irregularium plantarum quaſdam icones, quæ
non in omnium manibus verſantur, prout & Cel. *Ludwigii* al-
tera Definitionum editio minime ad *Riviniana* methodi nor-

mam

Digitized by Google

mam ſolum diſpoſita eſt. Huncce *Rivinum* ſecutus eſt *Tournefortius*, *Magnolius*, pluresque veſtigiis inſiſtentes reliquerunt, ex quibus Autor *Gakenbolzium* ſimul adducit, qui *Tournefortianas* Inſtitutiones notis illuſtratas edere cœpit, morte autem præreptus perficere non potuit. Ab his omnibus *Linnæi* diſcrepat methodus, a ſexu deſumta, ſed, cum eos, qui ante ipſum de ſexu plantarum quidquam ediderunt, non adduxerit, ſuamque methodum pro nova venditaverit, reprehenditur, & in eo totus eſt Cel. Autor, ut inventionis gloriam ipſi abjudicet, & *Jo. Henr. Burckhardo*, Medico Wolfenbutelenſi, tribuat, cujus quoque vita hic inſerta legitur. In ſubnexa enim Epiſtola, ex genitalibus plantarum partibus methodum concinnari poſſe, ille judicat. Præcipuus in recenſenda Botanices hiſtoria Cel. *Heiſteri* ſcopus is fuit, ut trium excellentium Botanicorum Germanorum, *Camerarii*, *Jungii*, & *Burckhardi*, merita notiora redderet, quorum famam diu duraturam eſſe credidit, ſi peculiares eorum nominibus plantas ſignaret. *Cameraria* jam quædam a *Plumiero* propoſita fuit; hinc *Burcardia* tantum & *Jungia* hic deſcribuntur, earumque figuræ, vivis coloribus pictæ, adjiciuntur. *Jungia* ex verticillatarum claſſe eſt, ab aliis ad Sclaream, & a *Linnæo* ad Salvias, olim relata, a qua tamen tubo floris longiore labiorum ſitu & diviſione, nec non calice, diſcrepat. *Burcardia*, prima vice hic deſcripta, folia habet ovata, utrinque acuminata, leviter dentata; ex alis foliorum prodeunt pedunculi breves, copioſis floribus inſtructi; hi calicem habent monophyllum, quadridentatum, cylindricum. Flores, ſive corollæ, parvæ ſunt, monopetalæ, quadrifidæ, regulares, vel, quod ob ſubtilitatem accurate ſatis dignoſcere Autor non potuit, tetrapetalæ. Stamina intus hærent quatuor, inæqualis magnitudinis, ſtilus eadem longitudine ſuperat, atque exiguum ſtigma bifidum oſtendit. Fructus eſt bacca rotunda viridis, deinde roſei coloris, per maturitatem nigricantis, in qua continentur quatuor ſemina parva & plana. Tandem *Linnæus* in eo laudem meretur ſecundum Cel. Autorem, quod a *Burckhardio* propoſitam quandam de ſexu plantarum hypotheſin auxerit, novumque, omnibus plantis accommodatum, ſyſtema condiderit.

Margin: Pag. 69. (beside "præreptus perficere…"); 86. (beside "cillatarum claſſe…"); 93. (beside "diviſione, nec non calice…"); 98. (beside "in qua continentur…")

Digitized by Google

Pag. 102. Sequitur nunc ipſa *Burckbardi* Epiſtola, cujus præcipua momenta inſcriptio exponit. Scripta vero eſt contra *Gakenbolzium*, qui data quadam ad *Leibnitium* Epiſtola, *de emendanda re berbaria & methodo*, animi ſui propoſuerat ſenſa, atque, radices in notarum characteriſticarum numerum adſciſci poſſe, judicaverat. Quo ipſo evenire oſtendit, ut ſimillimæ plantæ diſſimillimis jungantur,& contra. Sed,cum adverſarius,ex flore fructuque inconſtantes, nec ſemper præſentes, notas deſumi poſſe,aſſereret, probat potius, hos characteres illis faciliores eſſe, nec fere dari
127. plantam, quin florem habeat, &, petalis quoque deficientibus, ſtamina, vel piſtilla, contineat. Hinc plantas omnes in perfectas
131. & imperfectas eſſe diſtinguendas,radices autem ex omnibus plantarum partibus maxime mutationibus eſſe obnoxias. Dantur autem diverſæ plantarum partes, quæ iis diſtinguendis inſervire poſſunt; plures autem ſi aſſumuntur, difficultates ſtudii botanici augent; quapropter uni inſiſtendum notæ; ex quibus in illam in-
143. quirit, quæ a ſexu diverſo deſumitur. Ex variis autem exquiſitis Obſervationibus adductis concluditur,non inconcinnam methodum parari poſſe, ſi genus ſummum a veſicularum ſeminalium
154. numero & configuratione, ſubalternum vero a diverſa vaginæ ſtructura ; deſumatur. Tandem vero, cum minimæ in nonnullis vegetabilibus ſint hæ partes, ad reliquas florum partes ſimul attendere, &, vegetabilia in arbores herbaſque dividendas eſſe, conjicit. Perſpectum itaque ex his habebit quilibet, convenire *Burckbardi* opinionem cum illis, quæ Cel. *Linnæus* propoſuit, eum tamen in expolienda hypotheſi ea verſatum fuiſſe ratione, ut quædam inventionis gloria ipſi abjudicanda non ſit, inprimis ſi ex eo, quod *Burckbardi* nullam fecerit mentionem, incognita ipſi fuiſſe ejusdem cogitata, haud obſcure pateat. Additus huic Operi index notatu maxime digna momenta exhibet.

JO. PETRI ANCHERSEN, D. J. U. PHILOSOS. ET Eloquentiæ Prof. P. O. &c. in regia Univerſ. Hafnienſi, Collecta de Criteriis boni libri.

Hafniæ & Lipſiæ, apud Ottonem Chriſtophorum Wentzelium, 1746, 8.

Plag. 14. Prima

Prima hujus libri particula Diſputatio eſt, A. 1740, reſpondentibus primæ laureæ philoſophicæ Candidatis, a Cel. *Ancherſenio* habita. Characterum vulgo ſunt octo, non tamen exceptione majorum; unde ſubinde reſtringuntur: e. g. ubi poſtremo requiritur Pag. 19.
Autori patria, morum doctrinæque elegantia culta, ſtudiorumque gloria celebris. Additur, quod Helvetiorum gens durum in armis genus, &, ut habetur vulgo, ſtupidum, virum tulerit, qui amœniſſimum Poetam Gallum elegantiam Atticam doceret, & carminum ſermonumque *Bolæi* vitia detegeret ac emendaret. *Brockius* etiam celebratur Hamburgenſis, qui, non infelici ſucceſſu, Galliarum Poetis palmam dubiam reddiderit. Altera par- 25.
ticula eſt ſimilis occaſionis Diſputatio, propoſita A. 1744, & varias quæſtiones continens, quas explicationibus ac reſponſionibus fulcit. Eædem, cum characteres ad mentem Diſſertationis Gallicæ de characteribus boni libri fuiſſent, *Buddeum* inprimis ſpectant.
Poſtrema vero ſingulatim verum, ſolum, ac perpetuum, boni li- 54.
bri characterem proponit ſimplicitatem, de qua quatuor annis ante habuerit Orationem. Hic autem accedit proxime *Jo. Gram-* 55.
mii Proluſio ad *Jeſ.* XX, ubi, dum nudus inceſſiſſe dicitur *Jeſaias*,
ita ſimul dictos fuiſſe probatur ſuperne tantum nudos, qui ta- 66.
men ab iliis ad pedes tecti fuerint, idque præſertim de Romanorum Lupercis, qui pellibus immolatarum hoſtiarum cincti diſcurrebant, teſte *Valerio Max. II, 2*, quos tamen *Plutarchus* in *Romulo* & *Cæſare* γυμνὰς, *Virgilius Æn. VIII, 663*, ac *Livius I, 5*, *nudos*, appellant. Invitatum fuit iſthac Proluſione ad Orationem, in LXVI laureæ primæ philoſophicæ Candidatorum inau- 73.
guratione habitam, in auditorio ſuperiori a. d. 18 Jun. A. 1744.
In eadem, quomodo omni vitæ actu optime philoſophari que- 77.
ant homines, oſtenditur, ſimulque ſimplicitatis repetitur com- 94.
mendatio. *Lutherus* ibidem excuſatur ob acerbius habitos adverſarios, quem multi quoque noſtratium vituperant, plures tamen ac meliores defendunt, id quod anno præſertim, quo mortuus eſt, ſeculari fecerunt. Particula tertia de criteriis boni libri 103.
continuat explicationem ſimplicitatis, & ab eadem affectatio- 105.
nem removet. Iſthæc affectatio unum & generale omnis con- 108.
ſcriptionis vitium eſſe probatur, &, qua ratione ad affectatio- 126.

nem

Digitized by Google

Pag. 127. nem referatur negligentia, docetur. Hac ſimul occaſione in par-
135. tes vocantur *Quintiliani* verba *II, 3, VIII, 5.* Hic dum Ora-
torem dicit virum bonum dicendi peritum, bonum Noſter inter-
pretatur de ſimplici, & ab omni affectatione, qualem antea depin-
xerat, immuni. Corrumpitur enim, *Diomede*, Grammatico, judice,
per affectationem ſententia, cum eo ipſo dedecoretur, quo vo-
136. luit illam ornare, ſcriptor. Fit autem iſtud vel nimio tumore, vel
nimio cultu. Atque, ut ſimplicitas moralis Chriſtiana, certe phi-
loſophica, ſcopum & finem libri ponit legitimum, ac materiam
legit honeſtam & profuturam, ita, quo a Cel. *Ancherſenio* di-
citur, nomine ſimplicitatis eruditæ in ſcribendo finem tuetur, quæ
137. materiam & cogitationes, ut fert rerum natura, ſine omni af-
fectatione, proprietate verborum, cujuſcunque demum linguæ
ſit, exequitur. Definitur itaque, quod ſit naturalis, vera, perſpi-
cua, propria, nova, & brevis, rei, quam tractat, explicatio, vel de-
145. ſcriptio. Proprietatem haud infringit legitimus orationis
146. ornatus, de quo vid. *Quintilianus VIII, 6, Gellius VII, 14.* No-
vitas cunctarum rerum gratiſſima ποικιλίαν naturæ, ſemper
varie novantis, probe referre debet. Eodem ſublimitatem ac
150. reliquas ſententiarum virtutes retulit *Buburſius.* Brevitatis
commendationem fulcit ipſa natura, uno omnium ore paucis
contenta, & ſecundum *Plinium Hiſt. Nat. Lib. XI Cap. 2* nuſ-
154. quam magis, quam in minimis, tota; dum & *Phalereus*
egregie monet, qui exponit auditoribus omnia, ut nulla
mente præditis, ſimilem ei videri, qui contemnit & im-
probat auditores. Simplex contra brevitas irrepit in ani-
mos legentium, ſuum illis exercendi judicii jus tribuit, aculeos
177. meditationis & cognitionis ulterioris ipſis infigit. At nos invi-
180. tat Oratio, habita a. d. 27 Jul. A. 1744, cum ſummis honoribus phi-
loſophicis augerentur XII Candidati. Revocat hic ſuis in mentem
181. Autor veluti per ἀνακεφαλαίωσιν, quæ de ſimplicitate erudita
194 ſeq. morali propoſuerat, quadam ſimul proxime antecedente Prolu-
ſione. Argumentum iſtud in eadem Oratione variis exemplis &
205. liberæ & ligatæ Orationis illuſtratur, teſtimoniiſque optimo-
rum ex antiquitate Rhetorum fulcitur. Immo vero
ſacrum etiam adjicitur e Canticis *Davidis*
oraculum.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Julii Anno MDCCLI.

NOTÆ GRÆCORUM, SIVE VOCUM ET NUMErorum compendia, quæ in æreis atque marmoreis Græcorum tabulis obſervantur Collegit, recenſuit, explicavit, easdemque tabulas opportune illuſtravit, EDUARDUS CORSINUS, Cl. Reg Scholarum piarum, in Academia Piſana Philoſophiæ Profeſſor Accedunt Diſſertationes ſex, quibus marmora quædam tum ſacra, tum profana, exponuntur ac emendantur.

Florentiæ, e typographio Imperiali, 1749, fol. Alph. 3.

Nemo eſt, niſi veteris Hiſtoriæ literarumque elegantiorum prorſus ignarus, qui Cl. *Corſini* nomen & egregia de antiquitatibus, Atticis præcipue, merita non ſuſpiciat. Defuncti nuper officio noſtro fuimus, cum doctiſſimos ejus *Faſtos Atticos* in his *Actis* laudaremus, &, futurum brevi, ſperabamus, ut nobis occaſio fieret, feliciter confectum opus Celeberrimo Autori gratulandi. Sed ſecus cecidit, non male tamen. Interea enim, dum perficiendis *Faſtis* animum intendit Vir Cel., naſcitur ipſi Opus hoc, de quo dicere inſtituimus, natumque tollit, & in publicam literarum lucem emittit, Eminentiſſimus Cardinalis *Quirinus*, nomen literis auſpicatum, meritoque ſuo hac ætate celeberrimum, ſumtus editioni neceſſarios præſtando. Eo factum, ut munifico Patrono inſcriberetur Opus, cui, quod in manibus

 docto-

doctorum hominum verſatur, debet. Natales autem ipſius hi ſunt. Cum earum doctrinarum, quæ in *Faſtorum* libris a Cel. Viro traduntur, magna pars e vetuſtis, quæ quidem ad noſtram ætatem atque notitiam pervenerunt, tabulis atque marmoribus Græcis aut unice petenda, aut illuſtranda & approbanda, eſſet; in iis autem monumentis, præſertim ſi quæ vigente Romano Cæſarum imperio condita fuere, non paucæ numerorum, ſed maxime vocum, notæ atque compendia occurrerent; inibat Vir Cel. conſilium, eas notas in adverſariis ſuis ſecundum ordinem alphabeticum deſcribendi, cum appoſita brevi interpretatione, memoriæ ſublevandæ magis, quam deſtinatione, publico in loco de illis unquam exponendi. Si quæ alia res doctis antiquarum Inſcriptionum interpretibus crucem figit, eſt ſane immanis illa Siglarum copia, quibus illæ ſcatent, Latinæ præſertim. Nam Græci quidem vetuſtiores neque marmori, neque lapicidæ, parcebant, lectorum ingenio atque patientia non abutendum eſſe rati. Romani autem, & eorum exemplo tracti Græci juniores, eam in cudendis atque excudendis vocum compendiis per publica ſua monumenta monſtrarunt & luxuriem, & inconſtantiam, ut integros ſæpe verſus meris ſiglis exararent, iisdemque ſiglis haud raro diverſas occultarent ſententias. Quod non poterat doctorum hominum ingenia non fatigare, & alios in alias de iis conjecturas non diſtrahere. A *Scaligero* inde, moris autore, qui deinceps collectiones antiquarum Inſcriptionum ediderunt, non neglexere indices ſiglarum addere, qui aut ignaros docerent, aut a memoria deſertis præſidio eſſent. Dignum quoque viſum fuit hoc argumentum *Sertorio* & *Joanni Nicolao*, quod peculiaribus libris exequerentur. At in ſolis Latinis notis illi quidem ſuam continuere diligentiam, Græcarum incurii. Qui unus auſus olim fuit hunc defectum explere, *Chriſtophorus Woltereck*, quem e *Fabricii Bibliographia* conſtat locupletiorem libri *Sertoriani* editionem adornare cœpiſſe, Lucinam faventem ejus opera non invenit. Tandem tamen, quod alias quoque in ſtudiis literarum contigiſſe obſervatum eſt, nuperrime in Italia contigit, duobus

præclari

Digitized by Google

præclari nominis atque doctrinæ viris, *Scipione Maffæo*, Marchione, & noſtro *Eduardo*, ſubito ad argumentum hoc, diu neglectum, velut ſigno dato ad eandem palmam ſimul concurrentibus. Non ea erat ſtudiorum æmulatio, neque vel ſic laude caritura, etiamſi fuiſſet; ſed caſus eos in idem ſtadium committebat, utroque, quid alter agitaret, æqualiter ignorante. Prævertit quidem *Maffæi* opella, non deſtituta eximiis dotibus laudumque argumentis, at opella tamen, vel ipſa mole tenus particula majoris operis, non ab ipſo Autore curata, ſed a familiari quodam ejus ex ore differentis inter amicos calamo excepta, tum, ignaro forſan ſummo viro, typis excuſa. Recte igitur intelligebat Cl. *Corſinius*, inſpecto *Maffæano* opuſculo, non eſſe, cur ipſe ſuum inſtitutum miſſum faceret; bene gnarus, ingentem numerum ſiglarum Græcarum in mundo ſibi eſſe, ſeu fortuito, ſeu certa voluntate, *Maffæo* præteritarum. Intelligebat quoque, iisdem in ſiglis interpretandis haud raro ſibi cum ſocio non convenire, quas opinionum differias judicio publico ſubmitti, æquum erat. Conſuluit itaque non magis famæ ſuæ, quam literarum commodis, volumen hoc, bonæ frugis obſervationibus refertum, luculentumque egregiæ doctrinæ monumentum, in vulgus dando; quo, ut magnas meruit laudes & gratias in univerſum ab omnibus, quibus hæ literæ in pretio atque deliciis ſunt, ita maximas meruit a civibus ſuis, qui opera optimi civis tandem aliquando liberatos ſe vident a malevolorum criminatione, quæ, Italos minus dextre Græca, quam Latina, ſaxa tractare, olim ferebat.

Tres abit in *Partes* hoc Volumen; quarum unam prolegomena, mediam ipſe notarum Græcarum index, ultimam denique ſex diverſi argumenti, ſed omnes in Græcis marmoribus exponendis occupatæ, Diſſertationes conficiunt. Rurſus Prolegomena *Capitibus*, ſeu, ut inſcripſit Autor, *Paragraphis*, *ſex* abſolvuntur, quorum *primus* de variis nominibus agit, quibus vocum, aut numerorum, compendia exprimuntur; *ſecundus* de Græcarum vocum compendiis, ipſorumque origine atque antiquitate; *tertius* de numeralibus

Digitized by Google

Græcorum notis, ipſarum origine, antiquitate, & varietate; *quartus* de maxima in variis notarum generibus colligendis & explicandis poſita utilitate; *quintus* de ſcriptoribus, qui Græcorum notas aut explicandas, aut una recenſendas, ſuſceperunt; *ſextus* denique de hujus operis occaſione, conſilio, fine, ac methodo.

Non eſt animus, hæc capità ſigillatim omnia perſtringere; at quædam tamen delibari neceſſe eſt. Et primo quidem rationem reddit Autor, quare librum ſuum *notarum* interpretem, non *ſiglarum*, inſcribere maluerit. Credebat nempe, cum decreviſſet, hoc libro non de ſolis vocum Græcarum compendiis, ſed & notis numerorum, apud Græcos uſu receptis, exponere, vocabulum vaſtioris ambitus anguſtiori præhabendum, & ſibi cum illis faciendum eſſe, qui *ſiglas* quidem exiſtimant literas ſingulas, aut binas, a principio mediove illarum vocum decerptas eſſe, quarum integrarum vice per compendium funguntur; ut ſi quis Q. F. F. S. ſcribat, pro *quod felix fauſtumque ſit*, *notas* autem eſſe ſigna, ex arbitrio fingentis compoſita, quæ non ſunt literæ, partesve vocum, neque ullam trahant ſimilitudinem illarum vocum, quarum perſonam gerant. Largitur tamen, veteres hanc horum vocabulorum diſtinctionem non perinde omnes agnoſcere, ſed inter ſe propterea pugnare. Ubi de antiquitate Græcarum notarum agit, monet, veteres Græcos, etiamſi parcius, non tamen nuſquam, illis uſos fuiſſe. In antiquiſſimo *Amyntæ* regis numo apud *Montfauconium* in *Palæographia pag. 122* legi M pro Μακεδόνων Lacedæmonios olim clypeis Λ, Sicyonios Σ, Argivos Α, inſcripſiſſe, patrii nominis indicia. In egregio marmore Attico, ad annum tertium octogeſimæ Olympiadis pertinente, quondam *Baudelotiano*, a *Sponio* primo in *Miſcellaneis*, dein a *Maffæo* in *Galliæ Antiquitatibus*, & a Noſtro in *Faſtis*, recenſito, ſæpius occurrere compendium ΤΡΙΕ pro τριήραρχος, item ΦΥΛΑΡΧ pro φύλαρχος. In ipſa fronte celeberrimi marmoris Sandwicenſis, a *Tayloro* primo editi, duas literas Ε. Θ. conſpici, quas *Taylorus* quidem εὐνοίᾳ θεῶν valere, exiſtimavit, Noſter

autem,

autem, improbata ejus opinione, variis conjecturis tentat. Aut enim reddi poſſe ἐπιχωρίοις θεοῖς, *indigenis diis*, vel ἐπιφανεστάτοις θεοῖς, *præſentiſſimis diis*, aut ἐπικουρίοις θεοῖς, *propitiis diis*, aut ἐκπραχθέντων θέσις, *exactorum ſupputatio*. Poſſet hæc poſtrema conjectura præ ceteris calculum ferre, ſi & argumentum marmoris omne exhauriret, &, quod rei caput eſt, demonſtrari poſſet, ſatis Græcum eſſe ἐκπραχθέντων θέσις pro ἔκθεσις τῶν εἰσπραχθέντων. Multum quoque huic & ceteris omnibus, hactenus in medium prolatis, de hac Sigla conjecturis officit, quod in fine marmoris eadem, ſed inverſo literarum ordine, recurrat Θ. Ε. Ni hoc obſtaret, poſſet a vero haud multum abeſſe videri, ſi quis ἐν Θερμοπύλαις interpretaretur. In eodem monumento, quod pretioſis antiquitatis reliquiis merito accenſet Autor, & ad Olympiadem centeſimam primam refert, occurrit quoque perfrequenter litera Τ pro τάλαντον. Ad hunc cenſum revocat quoqe voces fine mutilatas, aut contractas e duabus in unam, ut ΚΑΘΕΚΑΣΤΟΝ, ΚΑΘΕΝΙΑΥΤΟΝ pro κατ' ἐνιαυτόν, ΚΑΙΠΡΑΚΤΟΣ pro καὶ ἄπρακτος ΚΑΤΕΝΕΧΥΡΑΣΙΑΝ pro κατὰ τὰν ἐχυρασίαν, (ita *Corſinius* explicat, cum expeditius κατ' ἐνεχυρασίαν fuiſſet,) ΚΑΤΑΔΕΜΟΘΕΣΙΑΝ pro κατὰ δὲ νομοθεσίαν, ex ſententia Cel. *Maffei*; cui tamen ipſe *Corſinius* non ſubſcribit, ſtatuens contra, legi oportere κατὰ δημοθεσίαν; bene facturus, ſi novo & ignorabili vocabulo ſignificatum & autoritatem appoſuiſſet. In univerſum prævidimus, permultos fore, qui, hæc talia ad ſiglarum Græcarum cenſum rejecta fuiſſe, minus probent, collocatam in ea re ſedulitatem pro affectata & inutili exiſtimantes. Id vero ſcitum eſt, neque nobis prætermittendum, Noſtrum laminæ cuidam Græcæ, quam *Maffeus* in *Obſervat. Literar. Tom. III pag. 298* cum Italica interpretatione ediderat, egregiam lucem affundere. ὁρισταί, ſeu *terminatores agrorum*, ab Heracleæ Senatu electi, ut agros *Baccho* ſacros a privatis civium agris diſtinguerent, ita retulerunt ad Senatum: συνεμετρήσαμες δ' ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶ Ἀντομώτω ὑπὲρ πανδοσίας ἄγοντος, τῶ διατάμνοντος τώς τε ἱαρὼς χώ-

ϱως καὶ τὰν ἰδίαν γᾶν ἐπὶ τὸν Ἀντόμωτον ὁρίζοντα τώς τε τῶ Διονύσω χώρως, καὶ τὸν (Κωνέας ὁ δίων ὃς ἐπαμώχη) „Italica doctiſſimi *Maffei* interpretatio (reddimus „ipſa *Corſinii* verba) ita periodum hanc expreſſit: *Nos autem „una metiti ſumus incipientes ab Antomoto, ſupra Pandoſiam „excurrente, & dirimente ſacros agros & privatam terram, „uſque ad Antomotum terminantem & Dionyſi agros* - - - „adeoque poſtrema verba velut depravata, vel obſcura, diſ„ſimulavit. At - - integer ille locus reſtitui poterit, ſi verba „rite diſtinguantur ſic, καὶ τὸν Κωνέας ὁ Δίωνος ἐπαμώχη, „*quem Coneas, Dionis filius, poſſidet.*„ Hactenus *Corſinius* recte vidit, feliciterque conjecit; verum ſequentia monſtrant, ipſum non obſervaſſe alterum vitium, quo ſuperſtite non poteſt elegans Doriſmi monumentum intelligi. Quid enim eſt iteratus ille *Antomotus?* Dicent, nomen proprium loci eſſe. At poterat linguæ Græcæ indoles viros doctos monere, & aurem vellere, ante ὑπὲρ requiri articulum τῶ, id eſt Dorice idem atque τȣ̃, & ante ὁρίζοντα requiri articulum τὸν. Adeoque ſcribi oportere diviſis vocibus τῶ ἀντόμω τῶ ὑπὲρ, & deinceps τὸν ἄντομον τὸν ὁρίζοντα. At quid eſt ἄντομος? Eſt vox Dorica, *palum terræ pactum, ſudem*, ſignificans. Autor locuples, *Heſychius*, cui viciſſim ab hac inſcriptione fides accedit. Ille ſic: Ἀντόμȣς. σκόλοπας. Σικελοὶ. Debet itaque locus noſter ita verti: *Menſi ſumus initio facto a palo, qui ducit* (a quo via tendit) *ultra Pandoſiam, & qui medius dirimit ſacros & privatos agros, uſque ad palum, qui terminat agros Bacchi, & illum, quem Coneas, Dionis filius, poſſidet.* Poſt agitatam Heracleenſem hanc ætatis, non quidem certis terminis definiendæ, at tamen procul omni dubio remotiſſimæ, Inſcriptionem, obſervat Vir Cel. nullibi veterum Græcarum Inſcriptionum plures, aut varietate inſigniores, notas reperiri, quam in Sicula agrorum terminatione, quæ apud *Gualterium Tab. Sic. pag. 28*, & *Gruterum pag. 210*, occurrat. Eſt in eo monumento inter alias Siglas etiam hæc [ꟼ], id eſt, Π cum incluſo O, compendium vocis πόδες.

Hæc lubuit, in guſtum Operis, e *ſecundo* Prolegomenorum

rum *Capite* excerpta dare. *Tertii* argumentum ſubtilius & impeditius eſt, quam ut divelli, aut in compendium mitti, queat. Præſtat, apud Autorem continua & integra legi. Tranſmiſſo igitur hoc, de *quarto* quædam delibatum imus, quo utilitatem ſui inſtituti, colligendi nempe notas veterum ſaxorum, exemplis doctorum demonſtrat hominum, qui earum ignoratione turpiter ſe in veterum monumentorum interpretatione dederunt. Vaſtum quidem campum ingreditur, meſſemque integram, non ſpicilegium, adit, qui argumentum hoc attingit. Juvat tamen & hic Noſtri veſtigia conſequi, & eorum, quæ, ſi non omnia, quædam tamen, nova, omnia certe ſcita, docet, aliqua referre. Non hæc eſt magnis nominibus obtrectandi libido; vehementer certe fallitur, ſi quis, eo tendere aut *Corſinium*, aut nos poſt eum, exiſtimet. Enimvero conſilium eſt, oſtendere, dignam eſſe & indigere omnino acriore cura partem illam, in qua tractanda vel doctiſſimus & exercitatiſſimus quisque ſibi ſatis ab errore cavere non potuerit. Hodie nemo neſcit, niſi veteris rei numariæ prorſus hoſpes, L, vel Λ in Græcis numis *Λυκάβαντι*, id eſt, *anno*, ſignificare; at *Scaliger* tamen & *Reineſius* id ignorabant. Verum minutum hoc quidem eſt præ illo *Sponii* peccato, qui verba Corinthii alicujus marmoris Π. ΑΙΜΙΛΙΟΣ ΠΥΑΙΜ. ΠΡΕΙΣΚΟΣ reddit *P. Licinius Pyam Priſcus*, cum debuiſſet *P. Licinius Publii filius*, Π. Υ. id eſt, Πȣβλίȣ ὑὸς. *Æmilia* (nempe *tribu*) *Priſcus* interpretari. Ejusdem *Sponii* & hoc eſt: verba recentioris alicujus Inſcriptionis Græcæ de medio ævo ΚΕ ΒΟΗΘΗ ΤΟ ΣΩ ΔΟΥΛΩ ΣΕΡΓΙΩ ΒΑΣΙΛΙ. ΣΠΑΘΑΙΩ reddit *Domine, adjuva ſervum tuum Sergium regem*, nec melius *Fleetwoodus*, *Domine, adjuva ſervum tuum Sergium regi Spathæo*, cum debuiſſent *βασιλικῷ σπαθαρίῳ* *regium Spatharium*, interpretari. Locum hunc in ipſo indice notarum paulo amplius pertractat, (ut in ceteris quoque facit,) & ſtabiliendæ ſuæ correctioni allegat ex *Gualterii* Sicilia ſigillum plumbeum, cujus averſæ parti verba *κύριε βοήθει τῷ σῷ δȣ́λῳ* adverſæ hæc inſcripta fuerint: ΣΤΕΦΑΝΩ ΥΠΑΤΩ S ΒΑΣΙΛΙΚΩ ΣΠΑΘΑΡΙΩ. Verum in hoc interpretando ſigillo & ipſe

ipſe quoque humani quid paſſus fuit Vir Doctiſſimus non minus, quam illi, quos notat. Datum nempe mortali nulli eſt non tantum omnia ſcire, ſed ne illa ipſa quidem, quæ novit, animo ſemper præſentia habere. Hæſitat itaque Vir Cel. in ſigno S. *Character* S, ait, *facile vel Siciliam, vel Syracuſas, vel regionem, aut urbem aliquam, indicaverit, in qua ille Stephanus Conſulis munere fungebatur.* Atqui vel obiter ſuffecerit, numos Byzantinorum Imperatorum apud *Cangium* in *Familiabus Byzant.* inſpexiſſe, ad cognoſcendum illam notam, quæ Latinum S refert, καὶ *et* valere. Sed pergimus. A regio itaque *Spathario* ad notum illum, ſed bonæ notæ, Codicem, hodie Caſſellanum, *Thucydidis* delabitur, cui librarius, qui eum exaravit, hanc finiti operis æram adſcripſit: ἔτη ϛψξ πευδ. Satis liquet, Codicem illum circa A. Græc. 6760, id eſt, A. C. 1252, ſcriptum eſſe. Sed poſtremæ literæ πευδ negotium faceſſiverunt viris doctis, quas *Corſinius* noſter interpretatur προ ε Νώνων Δεκεμβρίων, *ante V. Non. Decembr.* Verum reputare ſecum debuerat Vir Doctiſſimus, ante illa tempora jam dudum & uſum & notitiam Calendarum, Nonarumque, & Iduum, apud Græcos deſiiſſe; ideoque aurem Cl. *Dukero* præbere, monenti commodum, fuiſſe, qui in ευδ celebres tum temporis Indictiones reperiſſe ſibi viſus fuerit. Certius itaque aptiusque propoſito exemplum hoc eſt, e *Boldetto* prolatum. Legitur nempe apud illum hæc inſcriptio: ΓΑΖΑ ΙΒ ΚΑΛΖΩΝΙΩΝ ΔΩΡΜΙΤ ΙΝΤ ΤΑ ΚΕ ΦΙΛΙΑ &c. a *Boldetto* ſic reddita: *Gazeo Calzonio. Dormit in pace, filia* - - - Recte autem docet Noſter, literas ΙΒ ΚΑΛΖΩΝΙΩΝ ſignificare XII *Calend. Junias.* Sæpe enim ex illorum temporum pronuntiatione Ζ pro Ι poni. Mittimus cetera exempla, a Noſtro in medium allata, ideo maxime, quod, eruditos, quorum errores arguuntur, monſtret, non tam figlarum ignoratione, quam exemplarium ſuorum corruptela, in errorem inductos fuiſſe. Neque *quinti ſexti*que *Capitis* repetenda nobis exiſtimamus argumenta, cum partem Prolegomenorum in ſuperioribus jam tradiderimus.

Ad luſtrandum itaque ipſum Græcarum notarum Indicem pedem

Digitized by Google

pedem promovemus, de cujus inſtitutione, dotibus, atque partibus, poſtquam in univerſum, quantum ſatis ſit, dixerimus, exemplorum, quemadmodum hactenus fecimus, manipulum adjiciemus. Id autem agit Index ille, ut ſiglas omnes, numeralesque notas, quæ in in æreis atque marmoreis Græcorum tabulis, ſacris perinde atque profanis, obſervantur, alphabetica ſerie diſpoſitas, interpretetur, additis & fontibus, unde hauſtæ illæ fuere, & interpretationum ſingularum rationibus. Sæpiſſime inſcriptiones ipſæ apponuntur integræ, quo & Lector melius æſtimare probitatem interpretationum poſſet, & ſimul *Eduardo* noſtro copia fieret, laceros & multa multorum per volumina diſperſos inſcriptionum velut artus congregandi, & componendi, doctorumque hominum errores, dum fragmenta pro integris monumentis & corrupta pro ſanis, tractant, vix evitandos, corrigendi. Novendecim plagulas implet hic Index; quem alius excipit, eundem notarum ordinem, easdemque omnino interpretationes, quas ſuperior, continens, ſed omni eruditionis apparatu deſtitutus. Eo ſpectat illa res, ut, hoc inſpecto Indice, ſi quis in Græcam aliquam notam incidat, protinus noſſe queat, eamne prætermiſerit *Corſinius*, an ſuo quoque corpori adjecerit, & qua tandem ratione expoſuerit. Exemplum præiverat *Sertorius Urſatus*, qui, poſt abſolutum uberem de Notis Romanorum Commentarium, ſubjunxit ad ejus calcem illarum notarum nudum indiculum, cum ſimplice cujusque notæ expoſitione; tanto operæ pretio, ut *Prideauxius* dignum judicaverit hunc indiculum, quem Oxonienſibus Marmoribus, ſua cura editis, ſubjiceret. *Nieupoortius* autem, aliique Romanarum antiquitatum enarratores, eundem, in compendium miſſum, ſuis libellis intexuerunt. Neque levis ſpes eſt, fore, ut indiculo huic *Corſiniano*, minori nempe, id idem aliquando eorum opera contingat, qui de Græcis antiquitatibus exponere aggredientur. Cum autem contingeret, ut, majore Indice typos exercente, Cl. Autor in novas numero haud paucas notas Græcas incideret, ſibi antea non obſervatas; nata fuerunt ex eo addenda, minorem Indicem claudentia. Tandem, ne quem aut nomina Autorum, quos ci-

tat, compendiis expreſſa, aut typographica vitia, impedirent; quæ, quod opus procul ſe impreſſum fuit, non mirum, ſi haud pauca irrepſere; adjecit amborum indicem, in quo hujus voluminis media particula finitur.

In delectu exemplorum, quæ nunc, promiſſi memores, prolaturi imus, cum ſtudendum ſit brevitati, paucis defungemur, & iis maxime, quibus operoſa approbatione opus non erit. Reddemus quoque unam & alteram inſcriptionem, quam Cl. Vir ſe ait primum edere. Denique ſtatim in ingreſſu monendum ducimus, inter ſiglas a Noſtro quoque relatas fuiſſe pravas marmorum lectiones, ſi quæ viris doctis negotium & errandi anſam dederant; neque repudiari inſcriptiones, quas ſpurias eſſe atque ſubdititias, ipſi conſtabat; quandoquidem ex ipſis illis ſiglis, ab impoſtoribus imperite adhibitis, earum fraus detegi poterat. Aſteriſci tandem paſſim ante ſiglas poſiti comparent. Ita placuit Autori eas inſignire, quas Cl. *Maffæus* in ſua collectione jam attulerat. Jam non obſcurum eſt, quare e. c. *pag. 2* coll. *6* inter ſiglas habeamus ΑΒΙΩC, quæ eſt prava lectio marmoris, quod primus *Sponius* in *Miſcellan.* & ex eo *Fleetwoodus pag. 213* dederant, *Muratorius pag. 1409 n. 3* uno verſu poſtremo nempe plenius reddidit. Sed ille quidem poſtremus verſus, apud *Muratorium* valde depravatus, a Noſtro ſcite emendatur ſic: κατετέθη τῇ πρὸ ιβ Καλανδῶν Φεβρουαρίων. At in eo videtur Vir Doctiſſimus falli, quod ΑΒΙΓΙΣ, lectionem Codicis *Muratoriani*, lectioni *Sponiani* præfert tanquam ſaniorem, quæ ne hilo quidem eſt. Nulli dubitamus, lacunoſum ibi marmor, & N reliquias vocis ἀνὴρ, eſſe, pro ΑΒΙΩC autem legi oportere ΑΥΤΗC αὐτῆς. Similiter ſiglæ vicem gerit ΗΚΕΡΗ, ex *Muratorio pag. 1143 n. 8* citatum, quod Noſter *pag. 26, b*, probabiliter emendat ΗΜΕΡ. Η, *dies octo. Pag. 28, b*, agitatur ſigla Θ, quam Vir Cl. θανέντα putat ſignificare in illo apud *Gruterum pag. 1146, 2*:

Ο ΣΥΝΖΥΓΟΣ ΜΕΙΛΑΤΟΣ ΝΟΣΩ ΜΕΝ
ΚΑΤΕΚΤΑΝΕ Θ ΑΥΤΟΝ ΑΝΕΛΩΝ &c.

Opinionem ſuam adſtruere conatur duobus aliis exemplis, quorum

quorum unum non Θ, ſed aliam ignorabilem figuram, exhibet; in altero erraſſe lapicidam, & ex pleno corrotundatam figuram pro hiante Є dediſſe, ipſe Vir Cl. agnoſcit. Non videtur ergo ſigla hæc eſſe, cum hoc loco bene omnia fluant, κατέκτανε θ' αὐτὸν ἀνελὼν. Quibus ſi ſubſtituas κατέκτανε θανόντα αὐτὸν - - *occidit mortuum ſemet ipſum de vita tollens* - - quis tandem ſenſus emerget? Si unquam reapſe poſitum fuit hoc marmor, non quidem inſcitum, at notis haud obſcuris factæ fraudis reſperſum, fuit olim tale:

ὁ σύζυγος μετηλλαχὼς νόσῳ μὲν οὔ,
κατέκτανε θ' αὐτὸν ἀνελὼν ξίφει.
Maritus e vita exceſſit, non morbo quidem;
At ille ſe exanimavit tranſacto gladio.

En jambi duo, ſed alter uno pede claudus, *Euripideum* afflantes odorem. Quærant in Poeta, quibus familiaris eſt, & forte invenient. Novum non eſt, veterum Poetarum carmina inter marmora circumferri. Felicius autem ceſſit *pag.* 29, *a*, *Corſinio* conatus in *Muratoriana* illa *pag.* 2019, *n.* 3. Inſcriptione emendanda; in qua vox ΘΕΑΜΑ occurrit, inter ſiglas a Noſtro relata, ſed, ut exſtimat, in duas dividenda ΘΕΑ ΜΑ id eſt, θεᾷ Μαγάρσιδι, quod eſt *Minervæ* cognomen. *Pag.* 36 quæritur, quid ſigla Κ. Β. in marmore, a *Sponio* in *Itinerario pag.* 105 edito, ſignificet. *Maffæus* interpretatur κελεύσει βουλῆς, *mandato Senatus*. Noſter ſibi patitur quidem perſuaderi, ſic recte illum fuiſſe interpretatum; at mallet Latine vertere *indultu Senatus*. Multum erit *Corſinio* laborandum, ſi ex antiquis Græcis Autoribus illam vocis κέλευσις ſignificationem approbare velit; & magis adhuc, ſi evincendum ipſi ſit, abſque indultu Senatus ſepulcrale nullum monumentum condi potuiſſe. Quid, ſi non Β, ſed Θ, affinis valde, quoad ſpeciem certe, litera, in marmore fuerit expreſſa? Κ. Θ. καταχθονίοις θεοῖς, *Dis Manibus*? *Pag.* 37, *b*, emendatur fragmentum apud *Murator. p.* 1039, *n.* 2, ΚΟΒΡΟΕΟΣ, pro quo ΚΟΒΡ. ΘΕΟΣ vitioſe editum Mediolani fuit. *Pag.* 38, *a*, integratur probabili modo fragmentum, a *Margarino* in *Inſcriptionibus Oſtienſibus pag.* 62 *n.* 24 editum. E-

 legans

Digitized by Google

legans repertum eſt, quod *pag. 44, a,* proponit. Ibi nempe e ſchedis *Donianis* marmor primus producit, in quo vox ΠΑΡΟΔΟΙΙ difficultates & dubia creat. Reponit autem Noſter ΠΑΡΟΔЄΙΤ, id eſt, *παροδῖται*, aitque, formula *παροδίτοις χαίρειν* tranſeuntes juberi *ſalve*, aut *ave*, jacenti dicere. Quandoquidem recens hæc eſt inſcriptio, quid impedit, eam in his quoque chartis legi? Eſt ergo hæc, cum appoſitis vulgaribus Græcis characteribus, & vulgari orthographia:

ΠΑΛΦΙΝΟΙ	Π. ΑΛφίνῳ	*P. Alfeno*
ΜΑΡΤΙΑΛΗΙ	Μαρτιάλῃ	*Martiali*
ΛΑΟΔΙΚΕΙΙ	Λαοδικεῖ	*Laodiceenſi,*
ΤΗϹ ΑϹΙΑϹ. ΠΑ	τῆς Ἀσίας παρ-	*ejus nempe Laodiceæ, quæ Aſiæ dicitur.*
ΡΟΔΟΙΙΧΑΙ	οδίταις χαί-	*Viatores ſalvere* (jubete)
ΡΕΙΝ. ΤΙΑΤΗΡΕ	ρειν. πατὴρ ἐ-	*Pater fecit ſuo*
ΠΟΙΗϹΕ ΤΩ ΙΔΙϹ	ποίησε τῷ ἰδίῳ	*filio, qui vixit*
ΤΕΚΝΩ ΖΗϹΑΙ	τέκνῳ ζήσαν-	*annos novem.*
ΤΙ. ΕΤΗ. Θ.	τι ἔτη θ.	

Pag. 49, b, monetur, marmor, quod apud *Gruterum pag. 798 n. 3* una voce multatum legitur, e *Montfauconii Palæograph. pag. 158 n. 8* integrari debere, ſic nempe: ΦΟΙΒΙΩΝΙ. ΤΩ ΘΡΕΠΤΩ pro ΦΟΙΒΙΩΝΙΤΩ. *Pag. 53* exponitur egregium marmor, Viennæ in Gallia repertum, quod Diſſertationum, ad calcem rejectarum, primæ argumentum, & in ea doctæ diſputationi de Syro-Macedonum menſibus, eorumque per Orientem & Occidentem, ſed diverſo, uſu, anſam dedit. Primus illud marmor ediderat *Chorerius* in *Hiſtoria Delphinatus;* ex eo retulerat, ſed non ſatis ſincere, *Reineſius pag. 1006*, tandem *Muratorius*, ex eodem fonte, ſed neque is abſque varietate, repetiit *pag. 405 n. 4 Theſauri* ſui. Quas ad hoc monumentum doctas *Corſinius* affert obſervationes, reddere, a noſtra brevitate alienum eſt. Suffecerit, illud ipſum emendatum exhibuiſſe:

Εἰρήνης ἔτη τεσσεράκον-	*Irenes* (nempe monumentum, vixit) *annos quadraginta,*

Digitized by Google

τα καὶ ἡμέρ. μ̄. ἐτε-	& dies 40 obiit
λεύτα κατὰ τὴν	ſub Conſulatu
ὑπατίαν τῶν	dominorum
δεσποτῶν	noſtrorum Valen-
ἡμῶν Βαλεν-	tiniani V, & Ana-
τινιανȣ̃ τὸ	tolii Illuſtriſſimi,
πέμπτον καὶ Ἀνα-	in Vienna,
τολίȣ τȣ̃ λαμ-	Peritii (menſis) ſexta die,
προτάτȣ ἐν Βιέ-	elata eſt ſeptima,
νῃ Περιτίȣ ἕκτῃ,	quæ fuit feria ſexta,
καὶ τῇ ἑβδόμῃ ἐτά-	& reſurget
φη, ἡμέρᾳ παρα-	in die Chriſti,
σκευῆς. καὶ ἀναςαθήσεται	quando ille veniet.
ἐν τῇ ἡμέρᾳ Χριστ-	
τȣ̃ ἐρχομένȣ.	

Pag. 59 exemplis firmat & illuſtrat formulam, adverſus mortuos uſurpatam, εὐμοίρει, *ſalve*, εὐθύμει, εὐψύχει, *bono ſis animo*, eaque occaſione emendat marmor Theſauri *Goriani Tom. I pag. 371 n. 23*, cujus ſtatim initio - - - ΨΥΧΙΤΕΚΛΟΝΟϹΕΡΗ ΛΕΑϢΓΕ legitur, reponens εὐψύχει τέκνον. Cetera non tangit, quæ videntur idem eſſe atque ὃς ἔρῃ λέλογχε, *qui terræ in ſortem ceſſit*. In fine monumenti leguntur hæc: *Ruſcinus Provocator*, (ſeu, ut ille cum *Salvinio*, incertum, qua fortuna, conjicit, *Procurator*) *Cæſaris*, *pater*, ΚΑΙ ΤΑΩΝ ΜΗΤΗΡ ΑΙΓΥΠΤΙΟΙ ΕΠΟΙΗΣΑΝ ΛΟΙΠΟΝ ΜΕΝΟΣ & *Tao* (id eſt, *pavo*, nomen muliebre,) *mater Ægyptii fecerunt*. Ultimæ duæ voces viſæ Noſtro ſunt peculiarem quandam paterni affectus ſignificationem continere; & id quidem verum e propinquo ferit; addita autem procul abeunt; hæc nempe: *perinde quaſi parentes illi, qui filio defuncto monumentum hoc ſe excitaſſe dixerant*, ceteras *amoris conceptique doloris ſignificationes* animo *perſolvere*, *ſeu præſtare*, *teſtentur*. Id ergo credebat Vir Cl. λοιπὸν μένος, *reliquus animus*, ſignificare. Verum lapidarius aut dederat ΛΥΠΟΥΜΕΝΟΙ, λυπȣ́μενοι, *fecerunt mœſti*, vel *lugentes*, aut

ſane volebat & debebat id dare. Sæpiſſime & in ſaxis & in libris Græcis manu exaratis *υ* & *οι* vices permutant, ut in hac ipſa *pag. 59 Corſinius* notavit. *Pag. 60* profert Siglam Π. T. e marmore, quod *Reineſius pag. 633 n. 71* dederat, & e quo, velut irrefragabili teſtimonio, evincere voluerat, Conſulatum ſecundum *Gordiani tertii* cum collega *Pompejano Civica* anno Urbis 994 alligandum eſſe. Noſter autem aſſeverat, monumentum nulla fide dignum, ut a *Ligorio* confictum, eſſe. *Pag. 86, a*, in addendis profert compendium ΠΕΚΕΔΕΤΟΝ pro πεντεκαιδέκατον e marmore, quod primus e ſchedis *Donianis* edit. Eſt illud hoc, vulgaribus literis a nobis brevitatis gratia exarandum: Ἡ πολλὰ ἀγρυπνοῦσα νῦν εὕδεις ἀμέριμνος, Καρτερία γλυκυτάτη· Εἰρήνη μενέτω σοι ἐν K̅. (id eſt, Κυρίῳ) Ἀσκληπιόδοτος συμβιώσας πεντεκαιδέκατον ἔτος ἀντὶ πολλῶν εὐεργεσιῶν μνήμης χάριν ἔγραψα. κα. (id eſt, κατετέθη) μη. (μηνὶ) Φεβραρίῳ πρὸ δ' νοννῶν. *Quæ multum vigilaſti, nunc dormis libera curis, Carteria* (nomen fœminæ) *dulciſſima. Pax maneat tibi in domino. Aſclepiodotus, qui una convixit* (id eſt, maritus ei fuit, in) *decimum quintum annum pro beneficiis multis memoriæ gratia titulum ſcripſi. Depoſita fuit menſe Februario IV Nonas. Pag. 87, b*, tandem ad ſiglam, vel compendium, KYINT. pro Κυΐντος, *Quintus*, hanc primus prodit e ſchedis *Salvinianis Sherardianam* inſcriptionem, abſque ulla tamen annotatione. Ἀγαθῇ τύχῃ. Ὑπὲρ ὑγείας καὶ σριας (id eſt, σωτηρίας,) καὶ αἰωνίου διαμονῆς τῶν δεσποτῶν ἡμῶν Φλ. Ἰουλ. Κωνσταντίου εὐσεβοῦς ἀητήτου (l. ἀηττήτου) Σεβαστοῦ καὶ ἐπιφανεστάτου καὶ γενναιοτάτου Καίσαρος Φλ. Κυιντ Ερως μον αξιος ὁ διασημότατος ἡγεμών. Videntur tres voces Ερως μον ἄξιος in unam προσμονάριος cogendæ, aut alias Ἔρως ὁ Νάξιος refingendum eſſe.

Sufficiant hæc ex notarum Græcarum Indice ſpecimina. Jam tribus verbis Appendicis quoque argumentum nobis attingendum eſt; neque enim licet copioſis eſſe, invitante quamvis, aut potius obruente, rerum, hic traditarum, ubertate & elegantia. Supra jam diximus, Appendicem ſex numero

Diſſerta-

image
not
available

image
not
available

Diſſertationibus conſtare; quarum *prima* quid tractet, paulo ante in tranſitu memoravimus. Tractat autem præcipue Viennenſe illud Chriſtianæ fœminæ monumentum, & alia, ad ejus illuſtrationem facientia, Chriſtiana pariter. *Secunda Diſſertatio* pergit in exponendis Chriſtianis monumentis Græcis; præſertim agitat, & e marmoribus illuſtrat, ritus baptiſmi, & qui Catechumeni, qui Neophyti, Neophotiſti, quæ catabatica, catacumbæ, martyrea, fuerint. Ejusdem eſt notabilis obſervatio, interdum contigiſſe, ut lapicidæ integros verſus transponerent, ſeu caſu, ſeu ſpatii, quod coram habebant, ratione, coacti. Ex hac animadverſione complura exponit & reſtituit marmora, quæ, ut jacent vulgo, nullo modo poſſunt intelligi. Occaſionem præclaro huic invento dedit monumentum Græcum, A. 1734 Romæ erutum, quod cum *Corſinius* ad lapidis fidem exacte curaverit in lignum incidi, ejusque typum *pag.* 22 adjecerit, operæ pretium & nos facere nobis viſi ſumus, ſi inde repeteremus, cum ad faciendam aſſerto fidem, demonſtrandumque lapidariorum ſtuporem pæne incredibilem, tum quoque ut amantibus palæographiæ Græcæ gratum ſpectaculum exhiberemus. Id ipſum quoque monumentum vulgaribus characteribus hic ſubjiciemus, eo ordine, quo conſtitui debet, *Corſinio* præeunte, præfixisque numeris, ordinem verſuum, qualis in ſaxo eſt, indicantibus. TAB. III.

1) Ἀυρήλιος Εἰμέρις (id eſt, Ἱμέριος) μετὰ τȣ̃ ὑιȣ̃ μȣ Ζήθȣ

2) Ἐπειδὴ συνέζησεν μετ' εμȣ̃ τȣ̃ ἀνδρὸς

4) ἑαυτῆς καλῶς καὶ σωφρόνως ἔτη τριάκοντα

3) ἡ Στρατονείκη νεοφύτα. ἐξῆλθεν ἐκ τȣ̃ κόσμȣ.

5) καὶ κατεθαίμην (id eſt, κατεθέμην) ἰς τὸ ἄγιον μαρτύριν (ita effert & ſcribit nova Græcitas pro εἰς τὸ ἅγιον μαρτύριον) ευ (ȣ̃) κιτει (κεῖται) μετὰ εἰρήνης.

6) καὶ ἐμνημόνευσα αὐτῆς τῆς ἰς ἐμὲ σωφροσύνης. καὶ

9) ἐπείησα καλῶς μετὰ τȣ̃ ὑȣ̃ μȣ, καὶ ἐκυμήθη (ἐκοιμήθη)

8) ἐτῶν πεντήκοντα

7) πένται. (πέντε)

Rudem

Rudem hæc atque ſimplicem Autorem ſeculúmque deterius teſtans Inſcriptio ſic Latine ſonat, interprete *Corſinio: Aurelius Himerius una cum filio meo Zetho* monumentum hoc poſui. *Poſtquam vixit mecum viro ſuo bene ac modeſte annos triginta Stratonice Neophyta, exivit e mundo, & ipſam depoſui in ſanctum martyrium, bene quieſcat* (forte *ubi jacet*) *in pace. Et recordatus ſum ipſius erga me modeſtiæ, & monumentum hoc feci una cum filio meo. Et obdormivit* Stratonica *annorum quinquaginta quinque.*

Diſſertatio tertia ſub examen vocat Inſcriptiones quasdam Græcas, ex earum numero, quas *Gerardus Sherardus*, Anglus, ex Oriente redux, apud *Mariam Antonium Salvinium*, Virum celeberrimum, Florentiæ reliquerat; ad cujus fratrem *Salvinum Salvinium* Canonicum, & Patricium Florentinum, illæ ſchedæ cum perveniſſent, & ab hoc accepiſſet Noſter, reddidit eidem hac Epiſtola illarum pro parte expoſitionem.

Quarta duas Græcas Inſcriptiones athleticas exhibet, & illuſtrat, ambas A. 1747 Tegeæ, (urbs ea fuit Arcadiæ quondam florentiſſima) repertas, & a Noſtro, ut videtur, primo editas. Prima recenſet victores Olympiorum ludorum, non illorum celebrium in Elide, ſed in Arcadia apud Tegeam celebratorum; ſecunda victorias unius viri, ſed varias, e variis urbibus reportatas, enumerat, in quibus, præter alios ludos celebriores, hi aliquanto ignobiliores & ignotiores occurrunt: Ἀλεεῖα, Λυκαῖα Ἑκατόμβεια, & Βασίλεια quorum rationem e vetuſtis Græcis ſcriptoribus reddit *Corſinius*, in iis ad miraculum probe verſatus.

Quinta ſiſtit & exponit Græcum marmor, unum eorum, quæ Cl. *Fourmontius* in celebrato illo in Græciam itinere apud Spartam reperit. Scita quædam, ad rempublicam & magiſtratum præcipue Spartanum, qualis tempore Cæſarum Auguſtorum erat, pertinentia, continet. Ita memoratur in eo aliquis *αἰώνιος ἀγορανόμος, ædilis perpetuus, πλειστονίκης παράδοξος καὶ ἄριστος, plurimis victoriis* (ludorum) *ditior, ad miraculum usque, ut nil ſupra, ἑλλάνων σύνδικος, Græcorum defenſor, καὶ δαμοσιομάστης, ærarii publici quæſtor,* & tandem

tandem *ἐξηγητὴς τῶν λυκουργείων, legum, a Lycurgo conditarum, inſpector & interpres.* In horum munerum omnium appellationes ceteraſque rationes cum cura inquiritur.

Sexta tandem *Diſſertatio* celebre marmor Sandvicenſe exhibet, non ex ipſo *Tayloro*, cujus opus *Corſinius* non vidit, ſed ex Diario Gallico, cui inſcriptio *Bibliotheque raiſonnée.* Non mirum ergo, ſi eadem perſæpe repetiit, quæ *Taylorus* jam occupaverat. Eſt &, ubi ab eo diſcrepat. Quibus liber Angli ad manus non eſt, poterunt illi cum Itali noſtri opella recenſionem *Tayloriani* operis, a nobis nuper in his *Actis* impertitam, conferre, eoque utriusque editoris rationes intelligere. Cum liber Angli extra Angliam vix in conſpectum doctorum hominum veniat, ſitque de illorum genere, quos recudere librarii noſtri non ardent; laudem meretur omnino *Corſinius* ideo, quod, egregium antiquitatis Græcæ monumentum, curaverit, ut in vulgus notius, atque comparatu facilius, fieret.

EDUARDI CORSINI, CL. REG. SCHOLArum piarum in Academia Piſana Philoſophiæ Profeſſoris, Diſſertationes IV Agoniſticæ, quibus Olympiorum, Pythiorum, atque Iſthmiorum, tempus inquiritur ac demonſtratur. Accedit Hieronicarum Catalogus, editis longe uberior & accuratior.

Florentiæ, e typographio Imperiali, 1747, 4 maj. Alph. 1.

Opus ejusdem, quem modo laudavimus, Autoris elegantiſſimum Eminentiſſimo Patri purpurato *Quirino* conſecratum eſt, cujus & imaginem numi forma, altera parte Bibliothecam Vaticanam inter pietatem & ſapientiam ferentis, cum inſcriptione: *εὐσεβείας καὶ σοφίας ὁμόνοια,* præ ſe fert. Continet autem pro numero ludorum *quatuor* præcipue *Diſſertationes*, plurimis nominatim ex *Pindaro* ſententiis ac teſtimoniis, tanquam gemmis, ornatas. Quo ordine ludorum, ſeu certaminum, olympicorum, quinque diebus plenilunii æſtivi, varietas abſolveretur, definiri vix poteſt, Pag. 13.

Digitized by Google

cum veteres nihil expreſſerint. Unum ex *Pauſania Eliac. I, 8*, conſtitui poteſt, quod ante LXVII Olympiadem eodem die equorum ſimulque hominum certamina peragebantur, ut equiriis, tum quinquertio, denique, ingruente jam nocte, pancratio, certaretur. At Olympiade memorata fuit inſtitutum, ut, mactatis Deo victimis, quinquertii primum, & curſus hinc equorum, certamina committerentur. Habebat autem πένταθλον, XVIII Olympiade receptum, celebri *Simonidis* verſu *Anthol. Lib. I Cap. 1 Epigr. 8 ſeq.* ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον ἄκοντα, πάλην Excellere tamen videbatur curſus, quo ſolo antea certarant. Initio σταδιοδρόμοι totam ſtadii longitudinem, hoc eſt, 125 paſſus, aut octavam Italici milliarii partem, conficiebant. Sed Olympiade XIV δίαυλος, quo, ad metam a carceribus, ſimulque ad carceres a meta, continuato curſu, ferebantur. Iisdem pæne temporibus δολιχὸς addebatur, ſtadiique
Pag. 14. meta longius removebatur, ut vet. XXI, vel XXV, ſtadia conficienda forent. Virorum pancratium Olympiade XXXIII recipiebatur, puerorum, CXLV uſurpatum, mox repudiabatur. Quamvis Olymp. XXXVII curſus ac luctæ, Olymp. XLI cæſtuum, certamen ipſis pueris conceſſum, ac poſteris etiam ætatibus conſervatum fuerit. Pugilatus, ſeu cæſtuum, ludicrum Olympiade XXIII inſtitutum, quo non modo inter ſeſe viri, ſed pueri quoque poſt Olympiadem XLI. certabant, *Pauſan, Iliac. I 8 ſeq.* Κελήτης πῶλος, deſultorius pullus, Olympiade CXXXI admiſſus eſt, cum jam inde ab Olympiade XXXIII ἵππος κελήτης, equus deſultorius, receptus eſſet adul-
15. tis equis. Ἀπήνης δρόμος, mularis vehiculi, vel rhedæ, curſus, in quo mulæ jugales bini adhibebantur, Olympiade LXX inſtitutus, LXXXIV abrogatus. Κάλπης δρόμος Olymp. LXXI receptus, LXXXIV ſublatus, ubi eques equarum uni, celetis inſtar, inſidebat, aliam ducebat manu, ſcopoque proximus, ex equa deſiliens, utriusque frænum arripiendo curſum abſolvebat. Συνωρὶς biga duobus adultis equis tracta, & Olymp. XCIII recepta. Ἅρμα, ſeu τέθριππος, *Pindar. Ol II. 8.* Olym-
16. piorum ſacrificia, de quibus *Pindarus Ol. III, 35, V, 13,* non

non ab Elidenſibus modo, ſive Piſæis, qui ludis præſidebant,
ſed omnibus fere Græciæ populis, offerebantur, qui Ἀρχι-
θεώρευς, ſive ſpectaculi principes, ad Olympicos alioſque lu-
dos electos ablegare ſolebant patriæ nomine, qui pompam
ducerent, vota nuncuparent, vota ſplendidiora peragerent.
Olympici autem ludi non in Elide ſolum, ſed in variis Pag. 20.
etiam Græciæ, vel Orientis, urbibus, peracta fuerunt. Athenis 21.
ipſis Olympia vel a primis usque temporibus celebrabantur.
Vid. *Pindarus Nem. II, 35, Pyth. IX, 77.* Ab iſtis Olympiis, 23.
quæ *Thucydidis* ac *Pindari* tempore Athenis celebrabantur,
perſpicue diſtingui debent agones Olympii, quos *Hadriani*
temporibus inſtitutos, ipſoque Athenis degente, primum actos
aut editos eſſe, putavit Noſter; qua de re pariter in *Faſtis* ſuis
Atticis egit. Proximi ab Olympicis ludis ſplendore Pythici 29.
fuerunt, quibus *altera Diſſertatio* dedicatur. Illos maxime poſt-
quam Amphictyones Cirthæos & Criſſenſes, qui Delphicum
templum violarant, ſacro diuturnoque bello, *Eurylocho*, Theſſa-
lo, duce, ſuperarant, cum propemodum obſoleviſſent, inſtaura-
rant, clarioresque reddiderant. Etenim, cum ſolo citharœdorum
certamine quondam peragi, laureoque ſerto, veluti victoriæ
præmio, decorari, ſolerent, tibicinum quoque, ac virorum ad
tibias canentium, certamen adjectum, victorique non laurus,
ſed pecunia, conceſſa fuit: quamvis, Pythiade mox inſecuta,
στεφανίτης, *coronatus*, haud χρηματίτης, *pecuniarius*, agon de-
cerneretur. Vid. interpres *Pindari* in *Argum. Pyth.* Oſten- 39.
ditur autem, Pythicos ludos non ſecundis, ſed tertiis ſolum
Olympiadum annis, conſtantiſſime peractos eſſe, idque non
ineuntibus, ſed exeuntibus. Probatur hoc inter alia verbis 40.
Demoſthenis, aut quicunque fuerit antiquus & optimus Orator
ille, qui contra *Neæram* Orationem exaravit. Neque aliud
Æſchines, ille vehemens & acer Orator, ubi, coronam, a *Cteſi-*
phonte decretam, *Demoſtheni* negandam eſſe, contendit, com-
probavit. Hinc enim patet, cum celeberrima quæſtio
ac judicium illud, ad quod univerſa fere Græcia confluxerat,
ageretur, nondum Pythia celebrata fuiſſe, ſed brevi poſt ſe-
cuta. Judicium autem illud de corona, vel celeberrimam

Digitized by Google

Rhetorum contentionem, *Ariſtopontis* Archontis anno, vel
Pag. 41. Olymp. CXII tertio, inſtitutam eſſe, *Theophraſtus*, *Dionyſius*,
Plutarchus, aliique, docent. Inſtitutam eſſe, credit, Poſideone
menſe, quod eodem, ut *Æſchines*, indeque *Suidas*, ait, maxi-
ma, deque maximis rebus, judicia, ſeu forenſia certamina,
committerentur, diei tempore bifariam diviſo, ad undecim
aquæ amphoras, aut aliquam aquæ menſuram, ad diei ſpa-
tium dimenſum, fluentem. De ſequentibus in partes voca-
tur *Philoſtratus Vit. Soph. Lib. II num. 27 Cap. 2*, ubi memo-
rat, *Clementem* Byzantium iis temporibus in Pythicis ludis
tragœdia viciſſe, quibus Byzantium a *Severi* militibus obſide-
47. batur. De ludorum ipſorum ratione nonnihil habet *Pau-
ſan.* in *Phoc. Cap.* 7. Eadem quippe certamina fuerunt, quæ
in Olympicis ludis, quadrigis exceptis, niſi quod pueri ſolum,
tum δολίχῳ, tum διαύλῳ, hoc eſt, tum longiore, tum iterato
curſu, certabant. *Pauſan.* in *Phocic. Cap.* 7. Pythiade II,
qua certamen coronarium evaſit, aulœdorum certamen aboli-
tum eſt; ſed equorum & quadrigarum adjectum; VIII, qui
aſſis fidibus, hoc eſt, chori voce, canerent, inſtituti ſunt;
XXIII curſus armatorum acceſſit; XLVIII bigis certari cœ-
ptum; LIII pullis ad currum junctis decurſum eſt; LXI pue-
rorum pancratium inſtitutum; LXIII pullus injugis pueros
inter receptus. Denique, non equiriis ſolum, gymnicis, mu-
ſicisque certaminibus, ſed picturæ pariter contentione, Pythi-
cos ludos exornatos fuiſſe, idque vel ipſis *Phidiæ* temporibus
obtinuiſſe, patet, quod *Panæus*, *Phidiæ* frater, omnium primus
cum *Timagŏra* Chalcidenſi, picturæ certamine Pythiis con-
48. tendiſſe dicitur a *Plinio XXXV*, 9. Delphis autem Pythia
celebrari conſueverunt, ceteris omnibus antiquiora credita
& nobiliora. Hinc & in variis aliis urbibus agebantur. Sic
Megarenſia *Philoſtratus* memorat, Trallibus acta marmor
50. Oxonienſe, alii alia. *Diſſertatio III Nemea* complectitur.
Archemorus nempe, vel, ut alio nomine prius appellabatur,
Opheltes, *Euphetæ* & *Creuſæ*, ſive potius *Eurydices* & *Lycurgi*,
Nemeæorum regis, filius, ab *Hypſipyle* nutrice puerulus in
prato relictus, occidebatur a ſerpente. Leniendo nutricis, aut
paren-

Digitized by Google

parentum, do'ori heroes, vel Argivi reges, qui *Adraſto* duce Thebas obſidebant, prope Nemeæum nemus, aut pagum, qui Cleonas inter & Phlyuntem erat, funebres ludos celebrarunt, in quibus *Adraſtus* equo, *Eteoclus* curſu, cæſtibus *Tydeus*, curſu diſcoque *Amphiaraus*, *Laodochus* jaculo, lucta *Polynices*, arcu denique *Parthenopæus*, palmam retulit. Hinc præſides ludorum, olim ex Argis, Corintho, & Cleonis, electi, veſte lugubri, vel atra, regebantur, victorique, de viridi apio, corona concedebatur. Originem iſtam accuratiſſime deſcripſerunt *Apollodorus Lib. III Bibliothecæ*, atque interpres *Pindari* in *Ne-* Pag. 51.
mearum argumento: quam, *Theſeo* Athenis regnante, acci-diſſe, memorat Oxonienſe marmor, ut igitur 987 annis Olympiadem primam antecederet. Plurimi tamen, ejusmodi ludos, non a ſeptem illis Argivorum ducibus, ſed ab *Hercule* ſolum, poſtquam Nemeæum leonem occiderat, inſtitutos eſſe, putarunt. Aut certe, cum veteres, *Archemoro* conſecrati, ſenſim obſeleviſſent, alios ab *Hercule* conſtitutos, *Jovi*que Nemeæo dicatos eſſe, dixerunt. Conf. *Pindarus Nem. II, 8.* Quamvis 52.
autem Nemea Olympiade LIII proxime poſt Pythia ſint inſtaurata; Nemeades tamen ipſæ, ætate poſteriore *Pindari*, demum numerari cœperunt poſt Olympiadem LXV. Coro- 53.
nabantur porro antiquitus olea, hinc demum, poſt illatam a Medis calamitatem, in occiſorum honorem, apio. *Junonis* 79.
quoque ſcutum, ſive ſcutum in Argo, Ἥρας Ἀγών, ceteris Græcorum, aut Argivorum, ludis accenſetur. Nec minus ludicrum, vel feſtum tempus aliud, ſplendido ſolennique ritu, in ipſius *Junonis* honorem agebatur, quo puellæ virgines 80.
omnibus certaminum generibus, quæ in Olympicis aliisque ludis habebantur, contendere ſueverunt. Sed ad *quartam* pro- 81.
peramus Commentationem, quæ *Iſthmia* perſequitur. Cum enim *Athamas*, *Siſyphi*, Corinthiorum regis, frater, *Learchum* filium, furore percitus, occidiſſet; *Ino*, *Athamantis* uxor, dolore correpta, cum *Melicerta* filio, in mare ſe præcipitem dedit. *Melicertæ* corpus ad Corinthiacum Iſthmum a Delphino delatum, atque a *Siſypho* tumulatum fuit. Tunc *Melicerta*, ſub *Palæmonis* nomine, inter Dæmonas aut Genios;

atque *Ino*, ſub *Leucothea*, inter Nereidas haberi cœpit: ac utrique, Nereidum juſſu, funebre certamen inſtitutum eſt, quod, cum in Iſthmo Corinthi perageretur, Iſthmiaci nomen obtinuit, ut interpres *Pindari* in *Iſthm. argum.* & *Pauſanias* in *Atticorum* fine, *Corinthiorum*que principio, memorant. Poſtea, cum *Sinis*, *Neptuni* filius, atque alii latrones, ad ludos confluentibus Græcis, infeſti forent, eorum celebritas aliquandiu fuit omiſſa, donec *Theſeus*, ſublato *Sinide*, inſtaura-
Pag. 82. vit, ac *Neptuno* dedicavit. Duo tamen certamina in Iſthmo peragi conſueſſe, alterum *Neptuno*, alterum *Melicertæ*, ſacrum, teſtatur *Muſæus*: quamvis *Neptuno* prius, hinc, *Siſyphi* regis ætate, *Melicertæ*, mox, *Theſeo* forſitan autore, ſoli *Neptuno*, conſecrata fuiſſe, præ ſe ferat interpres *Apollonii*. Forſitan inde, primis temporibus, ex pinu *Neptuno* ſacra, mox, ob funus, ex apio, corona flectebatur: inde reditus ad pinum. Inprimis *Δωρίων σελίνων*, *Doricorum apiorum*, haud
83. raro meminit *Pindarus Iſth. II, 23, VIII, 137, Nem. IV, 142, Olymp. XIII, 45*. Sed antiquior corona, Cæſarum circiter ætate, reducta fuit. Vid. *Archias Anthol. Lib. I Cap. 1*, *Plinius XV, 10* *Euſebius*, ab ipſo *Melicertæ* funere uſque ad Olympiadis XLIX annum 3 Iſthmia, ſimulque Pythia, defeciſſe, memorat. Sed. a *Solino* tradita, ludorum origo ac temporis conditio, nullis omnino a ſcriptoribus commemoratur. Id contra e
88. *Thucydide VIII, 10*, *Livio XXXII*, & aliis, facile oſtendi poteſt, certiſſime æſtate ludos Iſthmiacos actos fuiſſe. Quæ vero tertiis Olympiadum annis redibant, Munychione, vel Thargelione, menſe peragebantur, quod, ex pulcherrimo *Xenophontis* teſtimonio, ſibi deprehendiſſe Noſter videtur, quo nullum gravius, aut illuſtrius, afferri poſſe putavit, ſive ſcriptoris indolem & gravitatem, ſive perſpicuos temporum cha-
89. racteres, conſideraverit, quippe qui hiſtoriam ipſam veluti luminibus exornavit, accuratiſſimus Autor, diligentiſſimus, *Ageſi-*
90. *lao* æqualis, atque ipſius comes. Clarius id etiam oſtenditur, ſimulque verus Iſthmiadum menſis, ex Hyacinthiorum tempore, deducitur: dum *Xenophon* & alias, & in Oratione de laudibus *Ageſilai*, nitide diſerteque teſtatur, alteram illam Iſthmia-

miadem poſt Pythia quidem, ſed ante Hyacinthia, peractam Pag. 91.
eſſe, quæ, veteri conſtantique more, menſe Thargelione, ce-
lebrabantur. Denique, vernarum Iſthmiadum tempus ex 92.
pulcherrimo quoque *Demoſthenis* loco patere, judicat. Nam
graviſſimus atque accuratiſſimus Orator ille decretum exhibet
Byzantiorum ac Perinthiorum, in Oratione *de Corona*, ubi ex
ordine ludorum nominatorum concluditur. Sed nec reticetur 95.
alius locus explanatoris *Pindarici* ad *Nem. III v. 135.* Iſth- 97.
miacos eos ludos quoque *Juliani* Cæſaris ætate peragi con-
ſueviſſe, ipſius ac *Libanii* teſtimoniis probat *Corſinius*. *Liba-* 98.
nius etiam Olympiorum iterum atque iterum meminit,
quamvis non de Elidenſibus, ſed Antiochenis, loquatur, quos
ex *Jo Antiocheni*, ſeu *Malelæ*, hypotheſi *Afranius* inſtauravit
A. C. 213, ex quo *Libanius* natus eſt A. 314. Sed etiam, *Va-* 99.
lentiniani ſucceſſoris ætate, omnes generis hujusmodi ludi
per Orientem atque Occidentem viguerunt; quem in finem
inſcriptio miſcetur e *Sponii Miſcell. erud. antiq. Sect. X n. 108.* 100.
Hæc occaſionem præbet, περιοδονίκας deſcribendi, qui circum-
euntes aut variis in exercitiis, aut uno, prærogativam ubicun-
que quærebant. Inſeritur ideo Neapolitana quædam inſcri- 101.
ptio, ad annum a Chriſto nato 86 referenda, quo *Domitianus*
Cæſar, *Suetonio* teſte, certamen inſtituit *Jovi Capitolino* quin-
quennale, triplex muſicum, equeſtre, gymnicum, ubi viciſſe
dicitur is *Artemidorus*. Iſta certamina Neapolitana non mo- 102.
do ſebaſta, vel auguſtalia, ſed Italica quoque Romana, Iſela-
ſtica, & Olympia, nominabantur. At nos, ad finem properantes,
tria modo verba de ἱερονικῶν indice commemorabimus. Uti- 111.
que ludorum celebritas in peculiaribus ſolum, nec iis certe il-
luſtrioribus, Peloponneſi urbibus, Elide nimirum, Delphis,
Argis, & Corinthi, ſpatio ſolum exiguo temporis agebatur; at
victorum gloria, ſimulque certaminum fama, diſſitas & exte-
ras ad gentes uberrime diffundebatur. Non legitimo ſolum
ſolennique *Cerycum* præconio, ſed etiam effuſis univerſæ Græ-
ciæ, quæ ſpectatum confluxerat, vocibus plauſibusque, ad cœ-
lum efferri, digito monſtrari, ſparſis injectisque floribus, ac-
cenſis facibus, thure, cæſis interdum hoſtiis, illuſtriorum Poe- 112.
tarum

tarum carminibus, honorari, ſueverunt, inque patriam reduces diruta mœnium parte ſuſcipiebantur. Vid. *Sympoſ. II Quæſt. 5*, quaſi talis urbs mœnium cuſtodia non amplius nunc indigeret. Adhæc publicus illis in Prytaneo victus, annonaria commoda, immunitas a civilibus publicisque muneribus, icones ære publico conſecratæ, aliaque honorum genera plurima, concedebantur. Iisdem victoribus ipſi Lacedæmonii, ſtudio ſolum bellicæ virtutis accenſi, tribuerunt, ut in acie regum lateri, veluti comites ac defenſores, adeſſent. Hinc & habebantur ἰσόθεοι *Luciano* teſte, nobiles atque cœleſtes *Horatio*, propeque majus & glorioſius exſtimabatur, ut *Cicero pro Flacco* dicit, apud Græcos olympionicen fuiſſe, quam Romæ triumphaſſe. Conf. *Tuſc. Quæſt. I Cap. 46, II, 17.* Quæ cum ita ſint, neque mirum eſt, eorum indices, antiquo pariter ac recentiori tempore, curioſiſſimo fuiſſe conatu conſervatos. Ab Elidenſibus iidem in Olympico gymnaſio cuſtodiebantur, idque fortaſſe Paraballontis olympionicæ inſtituto. Tales edidiſſe feruntur æqualis *Platoni Hippias Eleus*, *Ariſtarchus*, *Pauſaniæ* magiſter, *Eratoſthenes*, ab *Athenæo* & *Laertio* laudatus, *Agriopas*, ſeu *Copas*, a *Plinio VIII, 22*, memoratus, *Steſiclides*, *Laertio* teſte, *Callimachus*, *Ariſtodemus*, *Polybius* quidam, *Phlegon Trallianus*, de quo *Photius Cod. XCVII*, *Ariſtoteles* ipſe, quem indicans, optat Noſter, ut is aureolus ſapientiſſimi viri liber ad tempora noſtra perveniſſet, doletque, Arabes & interpretes, qui metaphyſica & alia hujus generis *Ariſtotelis* opera, quibus & facile & lubenter carere poſſemus, conſervarunt, egregia iſta eruditionis & hiſtoriæ præſidia nobis invidiſſe. Verum enim vero Noſtri nobis diligentia providit, ut eodem & nos marceſcere dolore ſupervacuum arbitremur, læta potius mente gratias acturi, præter alios plures, *Corſinio*.

Pag. 113.

ECLAIRCISSEMENS GEOGRAPHIQUES SUR l'ancienne Gaule, &c.

hoc eſt,

ILLU-

ILLUSTRATIONES GEOGRAPHICÆ GALliæ antiquæ. Præmiſſa eſt Commentatio de menſuris itinerariis Romanorum, & Leuca Gallica. Autore D' ANVILLE, Geographo ordinario Regis.

Pariſiis, apud viduam Etienne, 1741, 8. Alph. 2.

Quamvis nunquam Galliæ defuerint viri docti, qui antiquæ ejusdem Geographiæ illuſtrandæ ſtudia ſua conſecrarent, atque ex eorum numero jure ſuo præ ceteris *Adrianus Valeſius, Nicolaus Sanſon,* Abbas *le Bœuf,* aliique, commendari ſoleant; nemo tamen facile ſibi perſuadebit, nihil eos reliquiſſe intactum, aut minus expeditum, hancque ob cauſam inutilem & vanam eſſe operam, a Cel. Autore in conſcribendo elegantiſſimo, de quo nunc diſſeremus, opuſculo collocatam. Satis quidem eſt certum, exigua vetuſtatis ſupereſſe monumenta, quæ Galliarum geographiæ inſerviant, quæque in commentariis *Caſaris, Plinii, Strabonis, Ptolemai,* in itinerariis antiquis, & notitia imperii, reperiuntur, tam diſperſa, immo obſcura, eſſe, ut non deſit, in quo alii ingenia exerceant, ac præſtantiſſimæ diſciplinæ lucem accendant. Omnem vero, uti dicunt, rei cardinem in eo verſari, ut locorum intervalla accurate definiantur, quisque cognoſcit. Difficile autem & arduum eſt hoc literarum genus, ac grave onus, quod pauci ſuſtinebunt, propterea quod raro exiſtant viri docti, qui æque ſcientia Geographiæ mathematica, quæ Geometria, Trigonometria, Aſtronomia, nititur, ac arte critica, & facultate, veterum ſcriptorum loca apte interpretandi, excellant. Quanti ex hoc quaſi fonte manaverint errores illorum, qui leucam (*lieue*) veterum Gallorum cum milliari Romano confundebant, cuique, res conſiderate circumſpicienti, patebit. Gratias itaque agendas eſſe cenſemus Celeberrimo Viro, quod difficile hoc & minus expeditum de leucæ & milliaris differentia diſcutiendum ſumſerit argumentum, idque ſingulari Commentatione inſigniter illuſtraverit.

Digitized by Google

Pag. 1. Cum breviter ſignificaſſet, quantum utilitatis ex cognitione
milliarium Romanorum vel ad Geographiam noſtri ævi magis definiendam redundet; ad naturam eorum explicandam
4. accedit. Satis notum eſt, vias veterum Romanorum militares diviſas fuiſſe in milliaria, & ſingula milliarium ſpatia lapide, ſive columna milliaria, deſignata. Columnis his numeri I, II, III, inſcripti erant, ita ut computandi initium ab urbe quadam capitali fieret, ac formulæ: *ad primum, ſecundum, tertium lapidem,* uſu reciperentur. Hujus conſuetudinis quaſi reliquias deprehendimus in nominibus variorum in Italia oppidorum propriis, qualia ſunt: *Terzo, quarto, quinto,* & *ſeſto;* nec in ipſa Gallia ejuſmodi nomina inaudita ſunt.
6. Cum his milliarium numeris cum accurate conveniant *itineraria;* horum autoritati inſigne accedit pondus, &, qui ſine cauſa eorum fidem labefactare ſtudent, facile inde confutantur. Quæ quamvis ita ſint; mirum tamen eſt, Geographos admodum neglexiſſe, accurate definire, quantum ſpatium milliari Romano circumſcriptum fuerit, ac per conſequens in graviſſimos errores eſſe lapſos, id quod *Sanſoniorum,* & *Cluverii,*
9. & *Amelii,* exemplo comprobatur. Opera tamen Mathematicorum, *Ricardi* & *Caſſiniorum*, confectum fuit, milliare Romanum haud exceſſiſſe ſpatium 761, vel 766, vel 767, ulna-
11. rum Pariſienſium. Geometræ Italici rem ita explicarunt, ut *ſtadiolo* adſcriberent longitudinem $5\frac{1}{4}$ palmorum Romanorum
12. architectonicorum; *catena* 10 ſtadiolorum; *milliari* Romano 116 catenarum. Hæc reſpondent 764 ulnis, 1 pedi, 6 pollicibus, 6 lineis, ex mente *Caſſini*, vel 764′ 4′ 7, 7. Item, ſi ex virgis architectonicis Romanis rem metiamur, reſpon-
14. det milliaris ſpatium numero 666 virgarum. Quamvis hæc ſatis accurate expedita videantur; uberiori tamen disquiſitione adhuc opus eſſe, ſi generalia hæc præcepta ad ſpeciales caſus accommodantur, & majori diligentia diſtantiam locorum explorandam, exempla docent ſatis luculenta. Itinerarium Burdegalenſe ac *Antonini*, item *Strabo*, in eo conſentiunt, Ariciam ab urbe Romana intervallo 16 mill. eſſe disjunctam; tamen in tabula agri Romani, a *Cingolano* confecta,

Digitized by Google

ſecta, vix 14 mill. notaveris. Oſtiam diſtare ab Urbe 16 mill. Pag. 18.
teſtantur itinerarium *Antonini*, tabula *Theodoſiana*, *Plinius*,
& *Procopius*; certum tamen eſt, recentiores vix 14 mill. de-
ſignare. Hæc aliaque hujus generis conficiunt, milliaria Ro- 20.
manorum veterum hodiernis fuiſſe breviora; nec ſufficit, ad
ambages ac circuitus provocare, quæ tantam non admittere
poſſunt diſcrepantiam. Differentia in menſura palmi ſita
eſt. Cum enim, ex ſententia *Lucæ Pæti* & *Franciſci de Sci-
ne*, palmus antiquus æqualis ſit 8 pollicibus, 2 lineis, pedis Pari-
ſienſis, & perinde milliare vetus, ut hodiernum, abſolvatur
6670 palmis; ſequitur, milliare Romanum vetus non exceſ-
ſiſſe ſpatium 756 ulnarum, 3 pedum, 3 pollicum, 8 linearum
Pariſienſium. Duplex vero palmi apud veteres genus fuit. 22.
Palmus minor abſolvebatur ſpatio 4 digitorum, id eſt, quar-
tæ partis pedis Pariſienſis, a Græcis παλαιστή, aut δοχμή & 23.
δακτυλοδοχμή, appellatus; palmus vero major 3 minoribus,
ſive 12 digitis, 9 pollicibus, reſpondebat, quem Græci modo
σπιθαμήν, modo δορόν, appellarunt; nec multum recedit a
Germanorum menſura, quam *Spanne* vocare ſolent. Ex his pa- 24.
tet, milliare vetus & hodiernum diſtare 3½ palmis. Certam
ac veram eſſe hanc computandi rationem, monſtravit Cl.
Autor autoritate *Joannis Greaves*, qui incredibili diligentia in 26.
his quæſtionibus expediendis laboravit, nec longe a veritate
abfuit. Nimis longum foret, ſingula hic referre, quæ doctiſſi-
me ad confirmandam ſententiam ſuam diſputavit Autor.
Convertimus nos ad ea, quæ de *ſtadio* diſceptata ſunt. Sta- 41.
dium a Græcis ad Romanos migravit; nec quiſquam igno-
rat, ſtadium ſpatium fuiſſe, curſibus publicis deſtinatum.
Hercules circumſcripſit illud ſpatio 600 pedum. Pes
Græcus conficiebat 1360 partes pedis Pariſienſis, hincque re-
ſpondebat 94 ulnis, 2 pedibus, & 8 pollicibus. *Plinii* vero, 43.
Columellæ, & *Iſidori* Hiſpalenſis, teſtimoniis clarum eſt, ſta-
dium octavam fuiſſe partem milliaris. Pedes ergo inter 44.
Græcos & Romanos talis eſt differentia, qualis eſt inter 24
& 25. Multa his præclara de ſtadio addidit, quæ tamen,
ne hujus commentationis fines excedamus, jam ſilere opor-

tet. Hoc tamen præterire non poſſumus, multa velut in tranſcurſu notata fuiſſe, quæ & elegantia, & utilitate, ſe commendant.
Pag. 75. Referimus huc obſervationem de *commenſu membrorum*, quo veteres pictores maxime & ſculptores omnia metiri ſo-
77. lebant; de militum Romanorum altitudine, quæ talis fuit, ut quisque ſenos pedes, vel certe quinos & decem uncias,
88. haberet; de differentia vocum *pes*, *greſſus*, & *gradus*, Latino-
108. rum; βῆμα & ὀργυία Græcorum quid notent. Finita Diſſertatione de menſuris Romanorum, inſequitur Diſſertatio de Leuca Gallorum, ab *Hieronymo*, *Heſychio*, aliisque, jam dudum commemorata. Spatium ei adſcribunt *Jornandes* aliique MD
109. paſſuum Romanorum, id eſt, 1133 ulnarum $11\frac{1}{2}$ pedis.
112. Quamvis enim Romanis mos fuerit, milliaris uſum cum ſuo imperio in provincias acquiſitas transferre; Galli tamen conſtanter priſtinam, locorum diſtantias numerandi, rationem
113. conſervarunt, præter Narbonenſes. Hinc ſequitur, loca veterum itinerariorum, quæ ad Galliam ſpectant, de leucis,
117. non de milliaribus, eſſe interpretanda. Quæ Vir Cl. ſuſpicatur, Gallis ante Romanorum adventum fuiſſe vias publicas, easque perinde, ut Romanas, in ſuas leucas diviſas, nemini perſuadebit, conſideranti, in Cæſaris Commentariis ne nomen
118. quidem leucæ inveniri. Majoris pretii ergo ſunt obſervationes, quibus cum leucis Gallorum veterum leucas Gallorum recentiorum, milliaria Anglorum, Germanorum, de
137. quorum *Raſta* docte diſputavit, Hiſpanorum, ſeptentrionalium, itemque Ruſſorum, comparavit. Haud abhorrere videtur a noſtro inſtituto, tabulam addere, qua diſcrepantes variarum nationum itinera dimetiendi modi accurate intelligi poſſunt, ad Gallorum ulnas, pedes, & pollices, ita efficta:

	uln.	ped.	poll.
Milliare Romanum	755.	3.	—
Milliare Rom. hodiern.	764.	—	—
Stadium Græcum, quod octava pars eſt milliaris Romani veteris	94.	2.	8.

Sta-

	uln.	ped.	poll.
Stadium, quod decima pars eſt ejusdem milliaris	75.	5.	4.
Stadium Macedonianum	54.	2.	5.
Leuca Gallorum	1133.	1½.	—
Milliare Romanum, in Britannia a Rege *Henrico VII* inſtauratum,	826.	—	—
Milliare Turcicum, quod Ruſſi Werſt appellant	661.	—	—
Raſta Germanorum	2266.	3.	—
Leuca Germanorum & ſeptentrionalium	4533.	—	—
Leuca Francogallica	2500.	—	—
Milliare Germanicum	3865.	4½	—
Leuca Hiſpanica	3022.	—	—
Leuca Hiſpanica magna	3777½.	—	—

Progredimur ad Diſſertationes ipſas, Geographiæ veteris Galliæ illuſtrandæ deſtinatas. *Prima* agit de *Genabo*, urbe Galliæ antiqua, cui mappam geographicam, nova opera confectam, præmiſit Cl. Autor. *Genabum* Aurelianum noſtrum eſſe, tam firmis argumentis demonſtrarunt *Valeſius* & *Lancelotus*, ut nulla hac de re dubitandi ſuppetat materia; niſi Cl. Abbas *le Bœuf* ſibi ſumſiſſet, illis ſeſe opponere, ac comprobare, Vellaunodunum *Cæſaris* idem eſſe, quod Vallanus pagus, in Autiſſiodorenſi agro poſitus; Genabum vero idem, quod celebris Galliæ urbs, cui *Giani* nomen eſt. Conjecturas has dum recte confutare, & rectiorem ſententiam defendere & confirmare, ſtudet Noſter; commodam, ipſi oblatam, haud prætermittit occaſionem, in alia, eaque difficilia, hujus generis argumenta inquirendi. Sic, cum locum *An-* Pag. 189.
tonini explicat, monſtrat, *Brivodurum* eſſe hodiernum *Bria-* 203.
drum (Briare); *Agendicum* appellari Sens; *Noviodunum*
Nevers; *Decetiam* Decizes; *Argantomagum* Argenton; *Erno-* 211.
durum, ſive *Ernotrum*, villam S. *Ambroſio* dicatam prope Ar- 217.
nonem fluvium (*S. Ambroiſe ſur Arnon*); *Avaricum* Bourges: 250.

 Tincon-

Tinconcium Sançoins; ut alia prætereamus exempla, nec immoremur doctiſſimis obſervationibus, quæ *Cæſaris* Commentariis inſignem lucem afferunt. *Secunda* diſceptat de *Bibra-*
Pag. 269. *cte*, Æduorum civitate. Æduorum provincia circumſcripta fuit terminis diœceſium Auguſtodunenſis, Matiſcenſis, Cabillonenſis, & Nivernenſis. Caput illius Bibracte fuit, de qua
271. tota Geographorum turba mirifice diſſentit. *Sanſonius*, *Holſtenius*, aliique, vindicant illud nomen Auguſtoduno (*Autun*); *Valeſius*, *Cellarius*, & *Longuerue*, utramque urbem inter ſe diſtinguunt, ita ut alii, notari, credant, urbem *Beavrai*, alii *Baune*. Autor noſter priori ſententiæ ſubſcripſit, ac priſtinam opinionem autoritate itinerariorum, & *Eumenii* Rhetoris, quo-
311. rum loca rectius explicantur, confirmat. Præter alia nobis perquam placent ea, quæ de *Auguſti* nomine, a Galliæ urbibus adſcito, monuit, ac exemplis Auguſtarum *Trevirorum*, *Rauracorum* prope Baſileam, *Sueſſionum*, *Vermanduorum* (S. Quintin), item *Auguſtobonæ* (Troies), *Auguſtoriti* (Limoges), *Auguſtonemeti* (Clermont in Arvernis), *Auguſtomagi* (Senlis),
312. comprobavit. Idem de *Cæſaris* nomine obſervat, & huc refert *Cæſarodunum* (Tours), *Cæſaromagum* (Beauvais), *Cæſarauguſtam* in Hiſpania; de Julii nomine, quo ſpectant *Juliobo-*
411. *na* (Lilebone); *Juliomagum* (Angers), & *Forojulium* (Freiuls). *Maſva* veterum appellatur Meſve, in diœceſi Antiſſiodorenſi
423. poſita; *Telonum* vero Toulon. Nomine *Mediolani* nihil frequentius in Gallia, eodemque deſignata invenimus *Mediolanum Santorum* (Santes), *Mediolanum Eburonicum* (Evreux),
436. *Mediolanum Biturigum* (Chateau Meillan en Berri). *Tertia* denique diſſerit Cl. Autor de *obſeſſione Aleſiæ*, a *Caſare* commemorata, quæ omnium rerum, a *Cæſare* in Gallia geſtarum, quaſi princeps eſt, itidem geographica tabula ornata. Sum-
440. ma ejus hæc eſt. Orationis initium fit à narratione hiſtorica eorum, quæ de glorioſa illa expeditione ipſe *Cæſar* literis reliquit conſignata. Deinde, Aleſiam in eo monte, quem Galli *Mont-Auxois* appellant, prope Auguſtodunum poſitam fuiſſe, demonſtrat, ac de ejus ſitu ita diſputat, ut clare pateat, mirifice in eum omnia convenire, quæ de Aleſia habet *Cæ-*

ſar.

Digitized by Google

ſar. *Herculem* ejus jeciſſe fundamenta, narrat *Diodorus Si-* Pag. 480.
culus, in cujus teſtimonio urbis nomen perperam ἀλέξια ſcriptum eſſe, dudum monuerunt docti viri. Dubium eſt, 481.
num vere ſcripſerit *Florus*, Aleſiam a *Cæſare* everſam fuiſſe. Si vere ſcripſit, certum eſt, in priſtinum magnitudinis ac ſplendoris faſtigium eam reſtitutam fuiſſe. Scriptorum medii ævi teſtimoniis cum hæc confirmaſſet; nonnulla de cultu S. Reginæ martyris diſſeruit, ac Diſſertationi, immo toti opuſculo, finem impoſuit.

CHRISTIANI HENRICI ECKHARDI, ELOquent. & Poeſ. Prof. Publ. Ordinarii, Juris Extraord. Hermeneuticæ Juris Libri duo.

Jenæ, impenſis Cunonis, 1751, 8 maj.
Alph. 1 plag. 5.

Utiliſſimum opus aggreſſus doctiſſimus & elegantiſſimus Autor, ſumma illud cura & diligentia, nec vulgari doctrina, compoſuit. Qui enim optimi de quoque interpretationis genere Autores tradiderunt, eos ſecutus, ſubtilia præcepta poſuit, idoneisque exemplis, in quibus ſæpe major, quam in regulis, vis eſt, explicuit: ut adeo elegantioris prudentiæ ſtudioſis gratiſſimam rem feciſſe merito videri debeat. Ut ſumma, quod noſtri inſtituti eſt, capita percenſeamus, in *duos Libros* omne argumentum diviſum eſt. *Alter* tradit rationem interpretandi Jus adventitium, *alter* Jus patrium. *Prioris Libri ſeptem Capita* præcipiunt de interpretatione Juris Civilis Romani; *octavus* de modo interpretandi Canones & Decretales. *Libri II prius Caput* agit de interpretatione legum Germanicarum provincialium & Statutorum; *alterum* de ratione interpretandi leges Juris Romani Imperii publicas. *Libri I Capite I* de interpretatione legum generatim agitur. In interpretatione ſummum eſt, ut eas alterius verbis notiones attribuamus, quas ipſe ſub illis intelligi voluit, ſive ut cogitemus eadem, quæ ſcriptor. Definitur porro, quid

Sit

ſit intelligere; quid oratio; quid ſignificatio verborum, & ſenſus orationis; quid forma orationis; & ſtilus. Cum notiones verborum ſint variæ & inconſtantes; videndum, quæ cuique loco conveniat. Ponuntur inde enuntiata quædam, per ſe non obſcura: orationem debere habere ſenſum; & judicium; hoc, verbis expreſſum, propoſitionem eſſe; propoſitiones inter ſe comparandas; Autoris conditionem, doctrinam, & ſententias, reſpiciendas; ſcriptorem ſibi contradicere non temere putari, adeoque nihil, quod repugnet, admittendum; ſi quid obſcurius dictum, ex clarioribus locis illuſtrandum. Jam interpretari eſſe ſenſum Autoris ex ejus verbis & ratione declarare. Cur ratione, apparet e *§. 17*, quia Autor Cl. duplicem interpretationem conſtituit, grammaticam, & alteram dialecticam. Illa uſu loquendi continetur, certa, & evidens, eſt. Ejus eſt, orationi integritatem & veritatem vindicare; qua parte critica dicitur. Jam Hermenevtice Juris regulas interpretandarum legum complectitur, quæ tum ex communibus, tum ex propriis, interpretandi principiis eruuntur. Atque interpretatio legis item eſt vel grammatica, vel logica. Hanc quidem cum interpretationem appellet; in eo ſequitur Cl. Autor doctorum virorum communem ſententiam, quæ tamen minus recta eſſe videtur. Grammatica enim interpretatio aliter conſtare nequit, niſi obſerves eadem, quæ hi ad dialecticam pertinere volunt; videndum enim, quo conſilio, qua cauſa, quid ſcriptum ſit, quæ ætas Autoris, quæ tempora fuerint, omninoque ex mente ſcribentis omnia accipienda; aliter enim nulla interpretatio eſt. Adeoque ratio legis & reliqua ad eam pertinent. Quod autem de extenſione & reſtrictione legum clamant, hæc non interpretatio eſt, ſed earum applicatio & translatio quædam, cum jam rite interpretatus eas fueris. Quid vero locus *Quintiliani* in eam rem faciat, non videmus. Verba hæc ſunt *Lib XII Cap. 2 §. 19: Quid? non quæſtio juris omnis aut verborum proprietate, aut æqui diſputatione, aut voluntatis conjectura, continetur?* Agit Rhetor hoc, ut oſtendat, Oratori futuro Ethices aliquam cognitionem neceſ-

ſariam

ſariam eſſe. Probat etiam inde, juris diſputationes magnam partem ex ea repetendas eſſe, cum de æquitate ſæpe incidat quæſtio; itaque addit: quorum pars ad rationalem, pars ad moralem, tractarum redundat. Conf. *Cap. III §. 7* Neque dialectica interpretatio probatur ex *Ciceronis Or. pro Cæcin. Cap. 18.* Nam neque in grammatica interpretatione verbis inhærendum, contra ſcribentis conſilium & ſententiam. Summa enim interpretationis verſatur in eo ipſo, ut ex mente ſcribentis verba intelligantur. Itaque contendit *Cicero*, conſuetudine loquendi quædam craſſius dici, quæ adeo nec in legibus ad vivum reſecanda ſint. Conf. *ibid. §. 51.* Dialecticam vero interpretationem amplecti doctiſſimum Autorem, hoc magis miramur, quod ineptam diviſionem interpretationis in hiſtoricam, geographicam, &c. rejicit; & recte: alias enim in *Apicio* eſſet interpretatio coquinaria, in *Columella* ruſtica, quam vero varia in *Plinio?* Locum autem pluribus interpretationis generibus fingendis dediſſe videtur male intellectus uſus vocabuli interpretationis, quam ipſe Cl. Autor obſervat. Vellemus, loco dialecticæ interpretationis paulo plura præcepta eſſent de uſu loquendi, ad quem unum omnia in interpretatione redeunt, quibus ſubſidiis inveniri poſſit, v. e. teſtimoniis, vel ſcriptorum ipſorum, definiendo, exemplis & rebus, locisque parallelis, vel aliorum, qui eo tempore ſaltem vixerunt, cum lingua vigeret, adeoque eam cognitam habuerunt. Quorum tamen aliqua non negamus ab Autore eſſe monita, v. g. *§. 31 ſeq.* Ponuntur deinceps aliqua, quæ ad grammaticam interpretationem ſpectant: de gloſſematis, & linguæ cognitione; unde ſit obſcuritas orationis, & ambiguitas; ſubſidia interpretationis eſſe Gloſſaria, & verſiones; dialecticam interpretationem in eruenda legis ratione verſari; ejus quæ ſint principia; ad hæc requiri hiſtoriæ & antiquitatum cognitionem. Eſt hæc interpretatio vel extenſiva, vel reſtrictiva. Dividitur etiam interpretatio in doctrinalem, avthenticam, & uſualem; ſæpe ex analogia legum petenda Quam tamen, exiſtimamus, rationem minus tutam & certam eſſe. Poſſunt enim tres, vel quatuor, interpretationes eidem loco convenire, adeoque non apparet, quæ vera ſit.

In Jure Civili diſcrimen temporum, quibus compoſitum ejus argumentum, obſervandum; natura & indoles cujusque libri cognoſcenda; etiam res ipſa; neque cavillandum. Quorum tamen quædam forte nimis vaga videri poſſint, uti & mox illa, quæ §. 52 & 53 proferuntur.

Capite II de vera legis lectione indaganda agitur. Docetur primum, unde vitia irrepſerint; nempe per librarios, & gloſſatores, & quomodo; deinde, ut corrigere quis poſſit, nota eſſe debere ſcripturæ compendia; atque eo loco de ſiglis & notis paulo fuſius diſputatur; porro MSta conferenda; quo loco de Florentino Codice, ejus virtutibus, vitiis, & autoritate, agitur. Poteſt lectio, & ſententia potius, reſtitui etiam diſtinctione, literarum transpoſitione, & transjectione verborum. Literarum permutatio, & aſperatio, non negligenda. Etiam antiquæ editiones conferendæ. Quas quidem regulas ut inepte poſitas non contendimus, ita ſolas ſufficere ad Critices illud graviſſimum munus feliciter exercendum, non putamus. Multa enim præter iſta requiruntur, quæ uſu quisque magis & ingenii ſolertia, quam ulla præceptione, aſſequetur: uti omnino omnibus de interpretatione præceptis præſtantior eſt uſus & in interpretando exercitatio.

Caput III de Latinitate & ſtilo veterum JCtorum multa, nota illa quidem, accurate tamen, præcipit. Oratio JCtorum varia eſt pro eorum ætate, & diligenter diſcernenda; quo vero propior *Auguſtum*, tanto purior, eſt, JCti inprimis proprietati verborum ſtudent, & puritati, perſpicuitatique; neque negligunt ornatum: nam figuris utuntur, v. c. hyſterologia, ploca, &c. quæ tamen quid magnopere ornatus orationi conferant, non videmus. Figuræ, quæ orationem ornant, longe aliæ ſunt. Vid. *Cic. de Orat. Lib. II.* Commemorantur deinceps elegantiæ exempla, etiam in particulis, & proverbiis. In vitio ſunt priſcæ & obſoletæ dictionis ſtudium; & Græca immixta; & alia minus Latina; quæ forte vel librariis, vel *Triboniano*, debentur, nec temere tamen hic accuſando. Habent JCti & propria vocabula, & uſitatis alias notiones ſubjiciunt. Codicis Latinitas deterior; Inſtitutionum plerumque melior.

Caput

Caput IV eſt de inſtitutis Philoſophiæ Stoicæ, & ſectarum placitis, quæ veteres JCti ſequuntur. In quo ortum & progreſſum Philoſophiæ Stoicæ apud Romanos explicat, cauſas deinde & rationes ſubjicit, cur veteres JCti eam præcipue amplecterentur: ipſa tandem Stoicæ ſapientiæ veſtigia, quæ, in Jure noſtro impreſſa, perſequitur. Cumque noſſe utile ſit, cujus quisque ſectæ ſtudioſus fuerit; de *Capitone* & *Labeone*, & ab his propagatis diſſenſionibus, diſputat.

Cap. V de inſcriptionibus & ſubſcriptionibus legum, earumque recto uſu in interpretandis legibus, agitur. Rem ad legum interpretationem utiliſſimam ita tractat Autor, ut primum de inſcriptionibus tradat, unde & quare ſint appoſitæ, deinde de earum uſu, in legibus diſtractis conjungendis; omninoque ſeriem & quaſi contextum legum exhibendum. Cumque libri JCtorum varii ſint generis, quid de ſingulis ſit obſervandum, oſtenditur. Species facti etiam cognoſcitur comparatis, inſcriptionum ope, inter ſe fragmentis; atque antinomiæ tolluntur; Inſcriptionum eximius in titulo *de Verb. Signif.* & *de reg. Jur.* uſus oſtenditur. Reſtitutæ autem Inſcriptiones primum ex Codice Florentino. Commendatur *Labitti* Index, & inſcriptionum uſus, quanquam interdum vitioſæ ſunt. Inſcriptiones legum Codicis produnt Imperatorum nomina, eorumque, ad quos mittuntur conſtitutiones, unde ex iis tempus & ætas legum cognoſci, & diſcerptæ conjungi, poſſunt. Ex nominibus eorum, ad quos miſſæ, apparet, ſitne Edictum, an Reſcriptum, vel Decretum. Subſcriptiones legum Cod. diem & Coſſ. indicant; quanquam ſæpe ſunt vitioſæ, tamen, ſi veræ, ſunt utiles. Neque loca, interdum in ſubſcriptionibus notata, ſunt negligenda. Quæ ſingula idoneis exemplis, ſuo cuique theorematı ſubjectis, demonſtrantur.

Caput VI de interpretationibus legum, easque cognoſcendi principiis, inſcriptum eſt. Cum Jus, quod *Tribonianus* compilabat, deberet accommodari temporibus illis; neceſſe fuit, multa omittere & mutare, ſeu interpolare. Interpolatio facta vel in verbis, quæ vere nulla eſt; vel in ſententiis, cum veteri JCto affingitur ſententia, de qua ipſe cogitare nequiit; vel ſi jus vetus

Digitized by Google

legi recentiori adſcribitur. Ad judicandum de Emblematibus conſtituuntur regulæ, aut potius theoremata, quædam; & ſubjiciuntur modi cognoſcendæ interpolationis.

Caput VII eſt de Verſionibus Juris Græcis, earumque recto uſu in interpretatione. Primum de Verſionibus Juris, earumque variis generibus, agitur; deinde earum uſus oſtenditur in invenienda vera lectione, aut confirmanda, cum integriora exempla tum haberent, & in vi verborum ſententiaque explicanda. Commendatur inprimis *Theophili* verſio.

Caput VIII de ratione interpretandi Canones & Decretales exponit. Præmittuntur quædam de compoſitione ac fontibus hujus Juris. Cumque Decretum ex aliis ſuperiorum temporum collectionibus ſit compilatum, adeoque vitiis plenum; interpres monetur adire fontes & priores collectiones. Cumque *Raymundus* non minus Decretales interpolarit, quam *Tribonianus* Digeſta & Codicem; conſulendæ antiquæ Decretalium Collectiones, συνάφεια capituli indaganda, etiam ope inſcriptionis, regeſta inſpicienda. In Decretalibus multa ex Jure Civili, multa e Gloſſa, petita ſunt, quæ inde in forum irrepſerunt. Multa etiam veſtigia Juris & morum Germanicorum in illis reperiuntur, quod exemplis confirmatur.

Sequitur *Liber II*, ejusque *Caput I* de interpretatione legum provincialium & Statutorum. Antiquum Germaniæ Jus conſtitit moribus, cuique provinciæ, aut civitati, propriis; hinc Jura provincialia & Statuta. Quorum hiſtoria traditur. Cum ea ſint vel antiqua, vel recentiora, horumque interpretationi illa inſerviant; fontes adeundi ſunt; vicinarum nempe provinciarum & civitatum leges, præter Diplomata, & conſuetudines gentis. Cumque ex Romano Jure multa antiqua capita mutata ſint, utriusque verò principia multum diſcrepent, ea diligenter diſtinguenda ſunt: in quam rem quædam axiomata ponuntur. Traditur inde iterum de Statutorum & legum provincialium interpretatione grammatica & logica; in quibus, vellemus, paulo accuratius diſtincta eſſent a communibus præceptis ea, quæ hujus generis interpretandi propria ſunt.

Caput II de ratione interpretandi leges S. Rom. Impe-

Digitized by Google

perii publicis agit. Diſputantur primum quædam de ratione & indole harum legum, inde de iis, quibus inſtructus aliquis ad eas interpretandas accedere, quidque omnino obſervare, debeat: in quibus tamen quædam nimis laxa & vaga videntur, e. c. non falſis principiis utendum eſſe; a ſenſu literali non facile eſſe recedendum. Inde regulæ ſpeciales ponuntur. Agitur de avthentica interpretatione, adeoque de recurſu ad Comitia Imperii; porro de publica interpretatione, ejusque duplici modo, vel majori ſuffragiorum numero, vel amica tranſactione; de obſervantia Imperii; & analogia Juris publici. Oratione hæc terſa & eleganti Vir doctiſſimus enarravit: ut nos quidem nomine omnium, qui eleganti Jurisprudentiæ favent, Autori pro hoc opere excellentiſſimo, & eruditionis pleno reconditæ, gratias agere haud dubitemus.

TRAITE' DE LA GANGRENE, &c.

id eſt,

TRACTATUS DE GANGRÆNA, AUTORE QUESNAYO, Med. Reg.

Pariſiis, 1749, 12.

Plag. 22.

Partibus corporis noſtri mortuis vita cum reddi nequeat, eo enitendum eſt Medico, ut prohibeat, ne pars ſincera afficiatur. Licet autem facillimum eſſe videatur judicatu, quid vivum ſit, quidque mortuum; ab initio tamen ſtatim probat Cel. Autor, ſenſus motusque defectum, & apparentem quandam partis mortem, hic non ſufficere, eamque ob cauſam non ſemel vivos, pro mortuis habitos, terræ fuiſſe traditos. Diſtingui vulgo ſolet Gangræna a Sphacelo; ſed, cum uterque morbi ſtatus natura ſua Autori noſtro convenire videatur, aliam Gangrænæ humidæ & ſiccæ proponit differentiam. *Prima Parte* humidæ inſtituitur conſideratio gangrænæ, cujus ſignum pathognomonicum in obſtructione vaſorum, ſuccorumque abundantia, in parte mortua poni deberi, judicat. Pag. 13.

Digitized by Google

Variæ hanc mutationem proferre poſſunt cauſæ, quæ pro ſua
quæque natura diſcrepant. Haſce ſigillatim proponit, mox-
que curandi methodum illis ſubjungit. Primo itaque loco
contuſionem expendit, quæ organicam partium actionem co-
Pag. 17. hibet, & ſuccorum ex vaſis ſuis effluxum cauſatur. Hinc ob-
ſtructio enaſcitur, quæ ſenſim incrementa capit, hinc pecu-
liari ratione pars affecta ſtupore & paralyſi afficitur. Sta-
gnantes autem ſucci corrumpuntur, ſanas partes, non ob con-
20. tagium, ſed ob malignam, quam contraxere, indolem, ro-
dunt, gangrænamque producunt, quæ nonnunquam laudabi-
li ſuperveniente ſuppuratione terminatur. Curatio ergo re-
quirit, ut eſchara, inde exorta, tollatur, &, cum vulnera
33. ſclopetorum huc pertineant, in iis dilatandum ſæpe eſt vul-
nus, vel tota pars amputanda, vel, ſi hoc fieri non poteſt,
pars, gangræna jam corrupta, removenda, reliqua remediis,
quæ putredini reſiſtendi vim habent, defendenda. Si ſym-
ptomaticæ contuſioni accedit gangræna, eam & venæſectione
& diæta averti poſſe, creditur; nonnunquam tamen & hanc
amputationem poſtulare. Stupor partis per analeptica &
68. confortantia, interne & externe adhibita, corrigitur. Alius
gangrænæ ortus eſt, ſi humor in contextum celluloſum depo-
nitur, quod infiltrationem Autor vocat. Cauſa hujus morbi in
vaſorum debilitate, & ſuccorum ſeroſorum copia, hæret, vel
in impedito ſanguinis ex arteriis in venas tranſitu, per irrita-
tionem quamcunque producto, vel in ſanguine reſoluto, vel
77. in vaſorum actione deficiente, ut in ſenibus, in quibus autem
vaſa debilitari, Autor negat. Si a viſcere læſo proveniat, funeſta
eſt, reliquis cauſis cura adaptanda eſt. Tertia præcipua gan-
89. grænæ cauſa eſt conſtrictio, quæ etiam obſtructiones produ-
cit & tumores, qui a parte læſa ſæpe remoti conſpiciuntur.
Ejuſmodi conſtrictiones abſque obſtructione gangrænam pa-
97. rere poſſe, partium nervoſarum læſiones teſtantur, v. c. in
faſcia lata. Quodſi a compreſſione proficiſcitur conſtrictio,
illa ſublata, & hæc tollitur. In nervoſis partibus ſola præter-
ea punctura ad producendos ſimiles effectus ſufficit; quare
probe cavendum, ne illi cauſæ adſcribantur venenatæ. Tunc
enim

Digitized by Google

enim conveniunt relaxantia, vel partis nimis tenſæ inciſio,
vel ſenſus auferri debet, per cauteriorum, aut oleorum, po-
tiſſimum deſtillatorum, applicationem, quæ vehementer
agendo igneam pæne vim exercent. In obſtructione, ſi ſi- Pag. 165.
mul ea acceſſerit, ſtagnantes autem humores adhuc ſint flui-
di, ſtimulantia, vel roborantia, locum inveniunt; ſi vero illi
jam ſint condenſati, ea, quæ fluiditatem reddunt, ut cataplaſ-
mata, adhiberi ſuadet; ſi contextus celluloſus ſit corruptus,
ſcariſatione tentanda eſt ſuppurationis excitatio; ſi magna eſt
in vaſis & muſculis obſtructio, præter ſcariſationes paulo
profundiores, diſſolventia, ut ſalem ammoniacum, & ſimilia,
nec non amara, laudat, acida vero, quæ adſtringunt, prorſus
rejicit. Progreditur dein ad quartam cauſam, animalium 184.
nempe venenatorum morſum, qui non nervos ſolum lædit,
verum etiam venenatam ſuccis indolem impertitur, quod hu-
moris ejuſmodi venenati ad recens vulnus facta applicatio &
concomitantia teſtantur ſymptomata. Hiſce in morſibus, 199.
cum levis accedat inflammatio, obſtructionis ſedem magis in
venis capillaribus, & nervoſarum partium tenſione, quam in
arteriis, eſſe, credit. In hiſce curandis ſcariſatio & generalis 205.
therapiæ regulæ minime ſunt negligendæ; ſpecifica tamen ſi-
mul adhibenda; multis theriaca in uſu eſt. Quintam porro
cauſam inflammationem eſſe ſtatuit, quam alii ut ſolam gangræ-
næ cauſam aſſumunt. Cum inflammatione ſæpe eſt mali-
gnitas, quæ variam naturam habet. Alia enim protinus vim 223.
vitæ exſtinguit, alia cauſticam & rodentem videtur habere
virtutem, alia de utraque aliquid continet. Poteſt tamen ſan-
guis etiam ſtagnans in univerſum actionem arteriarum impe-
dire, aut ſummus caloris gradus, qui an in corpore noſtro 238.
excitari poſſit, dubitat, ſolidas quaſi torrefacere partes. Pro
varietate inflammationis & variis cauſis differt curatio: in
maligna nec venæſectio, nec antiphlogiſtica curatio, inſtituen-
da, ſed magis conducunt intus & extus data reſolventia, dia-
phoretica, ſinapiſmi, &, ſi gangrænæ jam comparent ſigna,
ſcariſatio, vel mercurii in ſpiritu nitri ſolutio. In eryſipela- 260.
te, quod gangrænam concepit, & cum veſiculis eſt, non qui-

dem

dem nocet ſcarifatio, ſed ſimul putredini reſiſtendum;
Pag. 266. & ad ſuppurationem cuncta dirigenda ſunt. Eadem valent de furunculis, qui vero nunquam ante ſuppurationem
269. aperiendi ſunt. Eryſipelas inflammatorium, unguenta digeſtiva & cruſtæ ſcarifationem, carbunculi autem cauteria, deſiderant. In inflammatione & calore nimio, quod tamen, ut antea dictum eſt, fieri poſſe negat, antiphlogiſtica adhiberi debent. Sexto aduſtionem inter gangrænæ cauſas recenſet. Hæc quidem partes exſiccat, ſed inflammationem quoque ex-
291. citat, & antea recenſita methodo tractanda eſt. Frigus itidem, ſeptima cauſa, gangrænam parit, cujus tamen phænomena pro dignitate nondum ſatis deſcripta eſſe, eruditus Autor dolet. Certum vero eſt, & per illud obſtructiones induci; quare etiam cura eo redit, ut illa tollatur. Putredo tandem, octavo, mortem partibus contrahit, licet etiam gangræna pu-
308. tredini nonnunquam superveniat. Cauſa ejus eſt vel maſſa ſanguinis reſoluta, vel ſi ſuppuratio vetuſta acri ſanguinem inficiat materia, vel ſi in tumoribus, qui facile putreſcunt, putrida fiat congeſtio, vel ſi ſucci, extra vaſa ſua miſſi, corrumpantur. Contra priorem alteramque cauſam parum valet Chirurgia, contra tertiam tamen rodentia & eſcharotica quidquam efficere poſſunt. Ex vaſis ſuis miſſi humores evacuandi ſunt. Ubivis fere ſymptomatum & curationum adhibitarum naturam obſervationibus, fide dignis, corroborat. *Altera Pars* ſiccam conſiderat Gangrænam, cui hoc nomen, quod partes, illa affectæ, ſiccæ, duræ, & contractæ, conſpiciun-
321. tur, impoſuit. Hæc arterias potiſſimum infeſtat & comprimit; diſſectæ enim illæ ſanguinem non fundunt, ſenſus autem ſæpe ſupereſt, & vehementes oriuntur dolores. Frigidæ licet partes ſint, caloris tamen ſummi ſenſu ægrum afficiunt, nonnunquam levis & cutanea accedit inflammatio, nonnunquam paralyſis. Color partis ruber in lividum & nigrum convertitur, rariſſime albus conſpicitur; fœtor ſimul exoritur magnus; qui vero contagii naturam non habet, rarius phlyctænæ obſervantur. Tales gangrænæ & ſymptomaticæ ſunt, & criticæ. Duplici a cauſa producuntur: alia immediatæ

Sup-

ſanguini & ſpiritu in motum cohibent, ut compreſſio, nervorum & arteriarum diſſectio, aliæ arteriarum tantum actionem ſiſtunt. Varia ratione hæc in corpus noſtrum poſſunt introduci, ut v. c. per alimenta, per ſecale cornutum, per pus, ex protractis ſuppurationibus reſorptum, per humorum vitia, ut in ſcorbuto, lueque venerea, per morbos acutos, per applicata externa, acria. In curatione reſpiciendum eſt, an malum poſſit præcaveri, quod facile ſit, ſi cauſa externa, morbum factura, removeatur. In humorum vero vitiis res difficulter procedit. Nonnulli ut ſpecificum, ipſa jam gangræna præſente, corticem chinæ extollunt, de cujus virtute dubitat; alii ſubſtituunt cardiaca & confortantia, maximam vero partem regimen explere aſſerit. Forte a cauterio ſalutaris exſpectandus eſt eventus, in febribus putridis a purgatione, in reſolutione humorum putrida ab iis, quæ putredini reſiſtunt. Dolores varia ratione mitigari poſſunt. Chirurgia amputationem ut auxilium proponit, in qua tamen vix ſolatium eſt, cum mox alio in loco malum recrudeſcat. Sed, cum & in hac gangrænæ ſpecie eſcharæ compareant, & integra membra deſtruantur, de utraque hac conditione in ſingulari agit tractatione. In febribus, priusquam ceſſaverint, eſcharæ & gangrænæ inciſionibus & ſcarifationibus tentandæ non ſunt, quippe quibus facilis ad vivas partes ſuccis corruptis aperitur aditus, id quod adductæ obſervationes teſtantur. Sed poſt febris finem, ſi ſuppurationis ſigna ſe manifeſtant, ea conveniunt, & ſanationem promittunt. In integri membri deſtructione raro quoque amputatio bene cedit. Ob plenariam enim vaſorum obſtructionem laudanda minime eſt ſuppuratio, ſed, putredine accedente, augetur malum. Quamprimum autem ſua ſponte ſiſtatur gangræna, & in parte ſana excitetur inflammatio, & ſpes ſuppurationis ſeſe oſtendat, illa minime negligenda eſt. Sæpe natura ipſa viam monſtrat, ſeparando mortua a ſanis; non vero deſperandum eſt, licet pars oſſis quædam corrupta remaneat, quam a natura itidem reſolutam fuiſſe, experientia conſtat. Vix opus

Pag. 375. 384. 389.

Digitized by Google

eſt, ut pluribus hujus libelli præſtantiam declaremus, cum ex iis, quæ breviter adduximus, pateſcat, quanti interſit Medico, ſubtiliter ſcrutari morborum naturam.

OBSERVATIONS SUR LES GRECS, &c.

hoc eſt,

OBSERVATIONES DE GRÆCIS, AUTORE Abbate DE MABLY.

Genevæ, per ſocietatem librariorum, 1749, 8 maj.
Plag. 13 ½.

Diſtinctum eſt opus in *quatuor Libros*, ad ordinem temporum diſtributos, ita quidem, ut cum *Xerxe* bellum finiat *primum*, imperium *Philippi tertium* incipiat, qui ſimul *Alexandri* hiſtoriam complectitur, res autem deinceps geſtæ, donec Romanis Græcia provinciis annumeraretur,
Pag. 2. argumentum exhibeant *poſtremi*. *Dicæarchus*, qui, ſecundum *Porphyrium*, omnes inter Philoſophos, antiquiſſimorum Græcorum mores fideliſſime depinxit, eos conſtituit ſapientes, innocentiam & tranquillitatem adamantes.
3. *Plato* dicitur aureum ejusmodi ſeculum doctrinis philoſophicis addidiſſe, quod vero non niſi Poetarum cultum & commemorationem mereatur. Nos, ſi quid cernimus, quamvis ſuas Poetis fabulas relinquamus, malumus tamen, vel ad poſteritatis incitamentum, nimis innocentem, quam nimis barbaram ac ſævam, primorum hominum vitam depinxiſſe. Certe ſanctiſſimus ſpiritus primos nobis homines ſimpliciores, ſinceriores, ac meliores, ſubinde deſignat; ac videtur aliorum etiam origines inquirenti, non levem occaſionem idem præſtandi ſuppeditaſſe. Sic re vera majores noſtros ipſe *Tacitus*, ſic alios alii, delinearunt. Itidemque *Lycurgus* in Oratione con-

contra *Leocratem Cap.* 18 conſuetudines ſuis maxime com-
mendat, quibus antiquiſſimas leges ferentes fuerint im-
buti. Hos inter fere Reges inveniemus, qui & haud raro Pag. 9.
totam Græciam amice conjungendam curabant, id quod, 10.
ſolennibus ludis inſtitutis, optime proceſſit. Eminet hic 18.
præſertim *Lycurgus*, Græciæ totius ſuo modo legiſlator.
Dicitur is aliquatenus oppoſuiſſe genium ſuum Spartano- 20.
rum indoli, ſpe metuque verſans animos, ad eam, quam
meditabatur, rei publicæ formam. At nec minores apud 52.
Græcos heroes floruerunt. Eo pertinent in Perſico no-
minatim bello *Miltiades*, *Themiſtocles*, *Pauſanias*, quos
maxime *Thucydides* deſignavit. *Themiſtocles* deſcribitur
tanquam miraculum poſteritatis, qui omnes magni viri
proprietates conjunxerit; *Pauſanias* ignorabat dominandi, 62.
abunde vero norat militandi, primarias artes. Poſt bel-
lum Perſicum, quod *Liber II* docet, incrementa cepit 71.
initio Attica res, dum omnes implorabant Athenien-
ſium tutelam, adverſus *Pauſaniæ* tyrannidem, Peloponnenſes 72.
civitates; Laconica vero cecidit, at in ruinas ſecum reli-
quas ſenſim denique traxit. Ruebant enim in bella in- 75.
teſtina Spartani præſertim & Attici. Habebant Athenien- 76.
ſes maximos homines, ſed rei publicæ formam peſſimam,
purum putum imperium populare. Accedebant conten- 85.
tiones inter *Cimonem* ac *Periclem*, quorum poſterior adu-
labatur plebi, tanquam inſignis heros, politicus, orator,
maximus tunc ubique, poſt hominum memoriam, in re-
publica, qui vero proprietates eminentiſſimas ad ambitio-
nem ſuam accommodabat, adeoque patriæ funeſtas effi- 87.
ciebat. Contemtui dabat Areopagitas, ac reliquos magi- 88.
ſtratus: dum ex ipſius eloquentiæ conſiliorumque nutu
pendebant omnia. Nec taceri debet Oſtraciſmus Athe- 101 ſeq.
nienſium, indolis maximæ viris damnoſiſſimus, ad rem-
publicam ubi accederent, adeoque portas aperiens me-
diocribus. Accedebant alia plura momenta, quibus Athe- 118 ſeq.
nis pernicies accelerabatur, ita ut, *Lyſandro* urgente, pax

Pag. 121 ſeq. inhoneſta præferretur. *Lyſandri* tamen obitus & Spar-
tanis, vindictam Græcia meditante, & Athenienſibus, ty-
123 ſeq. rannorum patrono defuncto, ſalutaris erat. *Lyſander*
obfuit atque profuit Spartanis etiam alia ratione. *Lycur-
gi* leges, parſimoniam invehentes, dominationi fuerunt im-
pedimento; pecuniam invehens alter, haud prohibuit opum
131 ſeq. ſociam corruptionem. Accedebant novi hoſtes Thebani,
Epaminonda duce; imprimis autem perdidit Lacones ad
134. Mantineam clades. Reſuſcitatis velut Athenis, quod *ter-
tio Libro* docemur, obfuit effrænata cupiditas temporum
feſtorum ac ludorum, unde omnis amor gloriæ patriæ-
135. que peribat. Virtutes civiles nihili æſtimabantur, Poetæ,
Muſici, Comœdi, decoratores, principes erant in civitate;
ut merito civibus Panathenæorum & Bacchanalium ma-
150 ſeq. gnificentiam objiciat *Demoſthenes*. Corruptio Græcorum
Macedones juvit; ex quo diſciplinam militarem invexe-
152. rat *Philippus*. Phalanx, ſedecim millium exercitus ro-
buſtiſſimus, inde Græcis, ipſisque Romanis, terrori fuit. Vid.
165. *Polybius XVII, 3.* Illi nihilo minus ſeſe oppoſuit *Demo-
ſthenes*, adverſarius maximus, qui tamen ſubito commuta-
vit orationem, cumque ſuos ad bellum incitare deberet,
ſuaſit denique pacem, ac *Philippum* Amphictyonum in
168. collegio recipi. Excuſandus eſt Orator, quod id non
prius fecerit; quem *Polybius* accuſat, quod injuriis ſuis
atrociſſimis Arcadas, *Lercidam*, *Hieronymum*, *Eucompi-
dam*, Meſſenios *Theonem* & *Thraſylogum*, Argivos *Myr-
ten*, *Teledamum*, & *Mnaſiam*, Theſſalos *Daoguem* & *Cineam*,
Thebanos *Theogilonem* & *Timolam*, alioſque, vexaverit. Sed,
poſtquam ille perſpexit levitatem & ignaviam civium
193 - 202. ſuorum, atque, inutiles eſſe legationes, vidit: aliud non
potuit non accidere. Verum enim vero eadem impe-
rium Macedonicum promoverunt; qua occaſione *Philip-
pi* & *Alexandri* genius modusque bella gerendi, ſecun-
dum exemplum *Juſtini*, comparantur. Sed *Alexandri*
ſucceſſorumque temporibus *extremus* quoque conſecratur
Liber,

Liber, cujus ſpatia dum Romanis ſimul & Graecis antiquitatis ſcriptoribus ſatis ſuperque celebrantur, non eſt, cur nos etiam iisdem immoremur.

POEMATA DIDASCALICA, NUNC PRImum vel edita, vel collecta.

Tomi III.

Pariſiis, apud Petrum Ægidium le Mercier, 1749, 12 maj. Alph. 2 plag. 2.

Laudabilis eſt conatus, varii generis Carmina didactica colligendi, poſtquam nunc etiam eorum regulas ſeorſim inculcatas habemus. De noſtris ſaltem *Erneſtium*, *Trappium* inter Britannos, appellemus, eas cognoſcere ſtudenti. Dum autem Præfationis Autor Muſarum hæcce quaſi cupedia nominat primoresque fructus, in quos poeticæ, ad præclaros partus factæ, indolis fervor juvenilis ebulliit, & ad hoc idem dicentes multos elegantes homines provocat; non poſſumus non opinionem ſejungere noſtram. Sane, ſi quid eſt, cum dramatibus inprimis heroico Poemate, quod ad maturos autumni velut poetici, non vernos, fructus, aut flores, referri debet, hoc eſt carminum genus: ubi doctrinæ ratio, cognitio rerum perfecta, poetica prudentia, veluti Gratiæ, mutuo ſeſe amplexu prehendere debent, ut quid plauſu dignum edatur. Neque facimus cum Noſtro, ad neglectum ordinem quod attinet; facilior eſt propoſita lanx ejuſmodi ſatura, forſitan & dulcior, veremur autem ut utilior. Noſtra ſi valeret ſententia, diſciplinarum ad genera & ordines hujusmodi Carmina colligerentur. Ita profecto miramur, nondum exſtare e. g. Codicem ſacrum poeticum, ex optimis cujusque Libri παραφράσεσι collectum; Medicinam poeticam, cujus itidem omnes facile partes ſeorſim habentur, atque ita porro.

Sed contenti ſimus interim hocce *Catone*, laudantes Editorem, quod elegantiſſima varii generis Poemata nobis invidere noluerit. Inſunt autem *Tomo primo Franciſci Oudini* Somnia, quorum editio prima lucem vidit Divione A. 1698; *Petri Petiti* Thia Sinenſis, prima editio, Pariſiis, 1685; *Petri le Coedic* Mundus *Carteſii*; *Joannis Lucæ* Actio oratoris *Libris duobus*, editio prima, Pariſiis, 1675; *Franc. Tarillon* Pulvis pyrius, editio prima, Pariſiis, 1692; ejusdem Ars confabulandi, editio prima, Pariſiis, 1698; *Mich. Hebert* Ars jocandi, editio prima, Pariſiis, 1698; *Guilielmi Maſſieu* Caffæum, editio prima, Pariſiis, 1738; *Thomæ Bernardi Fellon* Faba Arabica, editio prima, Lugduni, 1696; ejusdem Magnes, editio prima, Lugduni, 1695; *Franc. Ant. le Febure* Aurum, editio prima, Pariſiis, 1703; ejusdem Terræ motus, Pariſiis, 1704; ejusdem Muſica, ibid. eod.; *Franc. Oudin*, S. J. Ignis; *Franc. Mariæ Marſy* Templum tragœdiæ, Pariſ. 1734; ejusdem Pictura, Pariſ. 1736; *Hervæi de Montaigu* Ratio conſcribendæ epiſtolæ, Pariſ. 1713; *Petri Eſcoulant* Gnomon manualis, Pariſ. 1736; *Patricii Trante* Florum connubia, Pariſ. 1728. *Altero Tomo* continentur, antea jam editorum, annis ſimul indicatis, *Marci Hier. Vidæ* Poeticorum *Libri III*; ejusd. Bombycum *Libri II*; ejusd. Scacchia, Romæ, 1527; *Jo. Roſæ* Aviarium, Burdigalæ, 1700; *Franc. Champion* Stagna, Pariſiis, 1689; *Guilielmi Veſchambez* Mala aurea, Perpiniani, 1692; *Steph. Auguſtini Souciet* Cometæ, Cadomi, 1710; *Car. Noceti* Iris, Venet. 1730; ejusd. Aurora borealis, Romæ, 1747; *Jo. Lud. Courtois* Aqua picata; *Lud. Clairambault*, ſeu, quod multis non diſplicet, *Franc. Mariæ Marſy*, Acanthides Canariæ, Pariſiis, 1737; *Franc. Odini* Annotationes in *M. Hier. Vidæ Lib. III* Poeticorum. *Ultimo Tomo* habentur *Scævolæ Sammarthani* Pædotrophiæ *Libri III*; *Ren. Rapini* Hortorum *Libri IV*; *Lupi Thomas* Barometrum, *Franc. Tarillonis* Carmina varia; ejusd. Diſceptatio de Culi-

ce

ac *Virgiliano.* Specimina poeſios præbeat e *Tomo primo* Tragœdiæ templum, ubi ſic de *Sophocle* atque *Euripide* *pag.* 277:

In medio ſolium gradibus ſurgebat eburnis,
Unde Sophocleo majeſtas nixa cothurno
Spectantum refluam cuneis volventibus undam
Jura videbatur ſubjectæ imponere turbæ .
Regnatrix animorum ingens morumque magiſtra.
Ilicet agnoſco gentis ſpectacula Grajæ,
Qualia temporibus magni viguere Sophoclis.
Ecce autem attonitos media inter talia ſenſus
Percellit nova res: geminos namque ire videbam
Hinc atque inde viros, quos circum grande fremebat
Murmur, & ingenti reſonabant pulpita plauſu.
Hic ego compellans comitem, dic, alma, quid illos
Eſſe rear genios, qui prima in fronte theatri
Inſignes paribus fulgent utrinque cothurnis?
Quantus in ore ſedet ſplendor! quantum inſtat in illis!
Dum Dea, cernis, ait, Græcæ duo lumina ſcenæ,
Rivali dubiam facientia carmine palmam.
Hi ſimilem varium per iter tenuere coronam;
Et laudem meruere parem diverſa ſecuti.
Aſpicis, ut vario vatum par nobile niſu
Surgat, & imparibus ſcenam circumvolet alis.
Ille tonanti aquilæ ſimilis ſe præpete penna
Tollit, & impavido ferit arduus aſtra volatu,
Fulmineis medius nimbis, luditque procellas
Inter & ultrices ſparſura tonitrua flammas,
Terrificis late complens clamoribus auras.
Alter inexperto metuens ſe credere cælo,

Sido-

Sidereos linquit tractus, timidisque procellæ
Radit humum pennis, nec vocis fulmine terret
Pectora, ſed liquidos tollens ad ſidera cantus,
Conſcia flebilibus late loca queſtibus implet.
Qualis olor noto poſiturus littore vitam
Ingemit. &c.

De Gallorum autem Tragicis, *Cornelio* nominatim & *Racino*, hæc habet *pag. 279 ſeq.*:

Gallica Melpomene, duplices cui vertice criſtæ
Aſſurgunt, geminæque micant in fronte coronæ,
Altera de lauro eſt, de molli eſt altera mirto:
Hanc donavit amor, majeſtas texuit illam.
Suſtinet has duplex genius, quorum altior alter
Laurigeræ gaudet pondus geſtare coronæ,
Mollior alter amat ſcenæ prætexere mirtos.
— — — — — — —
Ingentes nimirum animos Cornelius *ingens,*
Et, quales habet ipſe, ſuis heroibus afflat
Sublimes ſenſus. Vox olli maſcula, magnum os,
Nec mortale ſonans, rapido fluit impete vena,
Vena Sophocleis non inficianda fluentis.
Mollior ingenio teneros induxit amores
Racinius, *Gallis non viſos ante theatris,*
Magnanimos quamvis ſenſus ſub pectore verſet, &c.

Comparationes eas, ad rem pertinentes, eo magis legiſſe juvabit, quo luculentius indidem patet reliquorum plerorumque cum ſtilus, tum genius, & quo ſunt, ex ipſa quippe Poeſi petitæ, cum re conjunctiores. Obſervari quoque nonnihil de obſervationibus poſſet; ſed poeticum jam leporem ſeveritate critica turbare nolumus. Commendamus potius omne hoc præſtantiora Poetarum Carmina colligendi genus, & ex præſentis operis lectione, ſi attente & cum cura hæc fiat, cuilibet fructus haud pœnitendos, ac certiſſimos, ſpondemus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti Anno MDCCLI.

JOANNIS ANDREÆ IRICI, JCTI AC THEOLOGI Tridinenſis, rerum Patriæ Libri III, ab anno Urbis æternæ CLIV usque ad annum Chriſti MDCLXII, ubi Montis ferrati Principum, Epiſcoporum, aliorumque illuſtrium Virorum, geſta ex monumentis plurimis, nunc primum editis, recenſentur. Accedit ejusdem Autoris Diſſertatio de S. Oglerio, celeberrimi Locedienſis Monaſterii Abbate, chronologica ipſius Præſulum ſerie locupletata.

Mediolani, typis Palatinis, 1745, fol.
Alph. 5 plag. 21.

Milliario vix altero Italico a flumine Pado aquilonem verſus in ea Italiæ regione, quæ Monsferratus dicicitur, octavo circiter ab urbe Vercellis lapide, Tridinum aſſurgit, munitiſſimum olim municipium, cujus mœnia injuriis bellorum ſunt dejecta, vulgo appellari ſolitum *Trino*. Locus cum tractu, *Albam Pompejam* adjacente, pace Claraſcenſi A. 1631 Duci Sabaudiæ obnoxius eſſe cœpit, ad amnem Tanagrum ſitus, vetuſtate, & incolarum numero, & templorum nitore, effulgens. Hic in lucem ſuſceptus fuit patriæ ſtudioſiſſimus Patricius Tridinenſis, *Joannes Andreas Iricus*. Locum iſtum veteres vocarunt *Rigoma-*

 gum,

gum, ac *oppidum* dixere *Libuorum*. Tridinum prius ad ipſas
Pag. 2. Padi fluminis ripas multo ante ſtetit. Ex ejus ruderibus
Tridinum recentius fuit exortum. Initia Rigomagi Noſter
ad *Belloveſum*, Gallorum ducem, qui *Tarquinii Priſci* ætate,
ſuperatis Alpibus, Italiam intravit, referenda arbitratur. Vide-
tur favere ita ſentienti appellatio urbis Celtica. Primis a Chri-
ſto nato Seculis Tridini, ſeu Rigomagi, equos mutabant vere-
darii publici ſtatores. Inde vocatus fuit locus *mutatio*. *An-
nibal* & *Marius* circa Tridinum virtutem bellicam exercue-
runt. *Marius* Cimbros vicit prælio prope Vercellas in Rhau-
diis campis circa Eridanum in finibus Pollentiæ. Rhaudii campi
ſunt planities, quæ Vercellas inter & Eridanum jacet. *Montiro-
lo* pagus eſt mons Rhaudius. Vicus *Camporellum* ad A. 904 us-
que haud procul a Tridini mœnibus ſtetit, nomine corrupto
ex campo Rhaudio. *Vellejus Paterculus*, excidium Cimbro-
rum eveniſſe, tradit, *in campis, quibus nomen erat Rhaudiis*.
Aurelius Victor, de Viris illuſtribus commentatus, *in campo
Rhaudio* prælium ponit. *Plutarchus*, id contigiſſe in *campo
circa Vercellas*, refert. *Florus* vero, Cimbros, narrat, *Triden-
tinis jugis in Italiam provolutos*, eis objectum fuiſſe *Atheſin
fluvium*, eosque tandem *in Venetia profligatos*. *Caſar* vero
teſtis eſt, Cimbros poſt afflictam Galliam in Italiam impetum
feciſſe. Videntur itaque ipſi non per Tridentina juga, ſed
per Auguſtam Prætoriam, *juxta geminas Alpium fauces* a *Pli-
nio* locatam, in Italicam planitiem excurriſſe. Præterlabitur
Vercellas *Seſite fluvius*, quem *Livius* videtur *Atheſim* vocaſſe.
Juga Tridentina videntur fuiſſe Tridinenſia. Venetia vide-
tur fuiſſe Pollentia, ſeu Valentia, apud *Haſtam*, olim urbs in-
ſignis, nunc ignobilis pagus. *Plutarchus*, Cimbris a *Catulo*,
tradit, *Atiſonem*, non Atheſin, objectum fuiſſe. Flumen ex
Penninis Alpibus, per vallem Oſſulæ decurrens, quod Verba-
nus excipit lacus, ab accolis dicitur *la Toſa, l'Atos*. Quid?
ſi in hoc latet Atiſo? Noſter certe rem ita diſputat, ut *Flori*
fides vacillet. Noluit tamen Cel. *Ludov. Antonius Murato-
rius* in *Theſauro novo veterum Inſcriptionum* controverſiam
10. illam geographicam definire. Inſubribus dicitur S. *Barna-
bas*

bas religionem Chriſtianam primus tradidiſſe. Tridinenſes certe memoriam viri ad 3 id. Jun. quotannis venerantur. *Martialis*, *Matthæus*, *Sabinianus*, *Potentianus*, & *Altinus*, Apoſtolorum diſcipuli, traduntur Vercellarum primi fuiſſe Evangelii præcones *Atilus* Martyr circa finem Seculi III inclaruit, unus ex Thebæis commilitonibus, ut ajunt, pro Jeſu doctrina defunctus. *Hieronymus de Bono*, civis Bononienſis, edidit A. 1734 opus *de Caſalenſis Eccleſia origine atque progreſſu* Taurini apud *Fantinum*, ac *Diſſ. II pag. 15*, commemorans aliis Thebæis, qui Montisferrati regionem triumphis cœleſtibus decorarunt, *Atilum* hunc præteriit. De *Euſebio*, Vercellenſi Epiſcopo, A. 371 ob divinitatem Jeſu aſſertam lapidibus obruto, ejusque reliquiis, exponit Noſter copioſius. Pag. 12.
Occiſo Langobardorum Rege, *Clefo*, A. 573, hi 36 Duces conſtituerunt, qui Regum loco jura darent. Duravit id interregnum ad annos decem. Tum quidem Duces tres, *Amon*, *Zaban*, & *Rodanus*, Rigomagum, bellis dirutum, novis cinxere mœnibus, &, antiquo Rigomagi nomine obliterato, quod tria in ejus agro caſtella condidiſſent, *Trinum* in poſterum dici juſſerunt. Inde inſignia *Tridini* deſumta. Langobardos 14.
domuit *Pipinus*, vicit *Carolus Magnus*. Poſterior, in Galliam reverſurus, conſtituit Marchionem unum Seguſii, alterum Eporediæ, cui ſuberat Tridinum. A. 904 Vercellenſes, in libertatem ſe aſſerentes, vicina caſtra Marchionibus eripuere, Tridinumque ferro & igni vaſtarunt. *Arduinus* gravis erat, exeunte Seculo, *Petro*, Vercellenſi Epiſcopo, Marchionum Eporedienſium poſtremus. *Otto III* ei A. 999 terras acquiſitas ademit, ac *Leoni*, *Petri* in cathedra Vercellenſi ſucceſſori, donavit. *Ughellus* Diploma *Ottonis*, eo fine datum, edidit primus, ſed mancum. Evulgavit id Noſter ex integro congruenter *Antiquitatibus Italicis Lud. Ant. Muratorii*. Tum Tridinum videtur jam Marchionum Montisferrati juſſis paruiſſe. Epiſcopo Vercellenſi *Principatum* jam beneficentia Auguſti impertiverat, licet ille civitatis & Comitatus jurisdictionem civilem æque ac criminalem una cum pedagii & nundinarum jure ſacer antiſtes in conſules Vercellenſes con- 16.

 ſue-

Digitized by Google

ſueviſſet transferre. Ex veteri more ſupereſt nihil, niſi quod ante crucem Capituli cathedralis Verçellenſis in ſolennibus
Pag. 18. ſupplicationibus vexillum militare geſtetur. *Henricus II* Rex A. 1014 Cœnobio Fructuarienſi multa donavit, quæ in agro Tridinenſi ſunt ſita, Diplomatis interventu, quod hic denuo
25. affertur ex *Guichenono*. Ex jejuniis ditiorum eleemoſynas complures profluxiſſe in miſeros & inopes, exemplis & documentis nonnullis hic oſtenditur. Anni ineuntis 1126 hiems fuit rigida æque ac annonæ caritatum conciliatrix. *Fridericus* Imperator Wirceburgi in comitiis A. 1152 Vercellenſis eccleſiæ cathedralis jura confirmavit, 16 Cal. Nov. Inter
27. teſtes obvii ſunt *Hartwichus*, Bremenſis Archiepiſcopus, Dux *Welſo*, *Enricus*, *Dux Saxoniæ*, *Conradus*, & *Albertus*, *Marchio-*
29. *nes de Saxonia*. Denuo *Fridericus* Vercellenſis Epiſcopi rebus Diplomate, A. 1156, 20 Cal. Jul. dato, conſuluit. Inter teſtes eminent *Henricus*, *Dux Saxoniæ & Bavariæ*, *Fredericus*, Dux Sueviæ, & *Conradus*, *Dux Guelpho*, *Otto* Palatinus Comes *de Witelsbach*, aliique. Epiſcopus tum Vercellenſibus præerat *Vizo*, ſeu *Uguzio*, a quo *Guglielmus Marchio de Monteferrato* caſtrum Tridinenſe jure beneficii, ſeu feudi, ſuſcepit. *Vizoni* A. 1170 ſucceſſit *Guala*, ex nobiliſſima *Bondona* progenie Tridinenſi ortus, qui fratrem ſuum *Jacobum* militiæ ducem, ſuæque eccleſiæ advocatum, conſtituit. Vigebat ea adhuc ætate Vercellis Canonico-Monachiſmus, quem inſtituerat
31. Seculo IV vergente *Euſebius*, Vercellenſium Epiſcopus, clarum communi menſa, communi domicilio, omniumque rerum terrenarum abdicatione. *Gualdæ* exſtat Diploma, A. 1174 datum, quo ipſe Canonico-Monachiſmum eccleſiæ collegiatæ Congregationis B. *Bartholemæi*, extra civitatem Vercellarum ſitæ, confirmavit. Ediderat id jam ante *Ughellus Tomo IV Italiæ ſacræ* in *Vercellenſ. n. 63*. *Gualdæ* ſucceſſor, *Albertus*, quem *Henricus VI* Cæſar *dilectum & fidelem ſuum Principem* appellavit, ab hoc Imperatore precibus obtinuit, ut A. 1191 ju-
33. ra eccleſiæ ſuæ Epiſcopalis confirmarentur Mediolani prid. Cal. Dec. *Fridericus I* Imp, A. 1177 cum Guelfica factione pacem Venetiis iniit, quæ paulo ante ipſi articulos pacifica-

tio-

tionis precibus admotis exhibuit, quos hic legere licet. Marchio *Wilhelmus* Montisferratenſis A. 1182 cum Vercellenſibus facta pace ſibi Tridinum & Moranum, ab his ſolo æquata, recuperavit. Tridinum eſt reædificatum, ejusque conſuetudines vetuſtæ in unum *Statutorum* corpus collectæ. *Wilhelmi IV* liberos Noſter accurate exhibuit, ac copioſe de eis expoſuit. *Joannis Hubneri* aliorumque Tabulæ genealogicæ hinc emendari ac ſuppleri poſſunt, quantum ad Marchiones Montisferratenſes attinet. *Bonifacius* Marchio A. 1204 Tridinenſibus *Poteſtatem*, ſeu urbis prætorem, dedit. Quæ ad ejus electionem & jura ſpectant, Ven. Autor ex *Statutorum* codice exhibuit. Paulo poſt Tridinum e veteri ſede in novam commigravit, A. 1217 mœnibus cingi cœptam. Caſale Seculo XII urbem fuiſſe immunitate Cæſaris gaviſam, negat Noſter, id potius credens tunc Epiſcopo Vercellenſi paruiſſe. *Bonifacium*, Marchionem Montisferrati, *Conradus* Rex A. 1253, 4 Maji, regiminis Imperii anno tertio, Hieroſolymæ 23, regni Siciliæ 23, feudis imperii inveſtivit. In Diplomate ipſo *Conradus* vocatur *Dei gratia electus Romanorum, Hieruſalem, & Siciliæ, Rex digniſſimus, ſemper Auguſtus*. Memorabile omnino eſt teſtamentum, quod *Joannes*, Marchio Montisferrati, paulo ante obitum A. 1305, 18 Jan. condidit. Ex eo conſtat, *Joannis* terras per hæreditatem ad fœminas tranſire potuiſſe, ac ipſi fuiſſe ſorores duas, *Violantem*, Græcorum Imperatricem, & *Alexinam*, quæ Domino *Porcello de filiis Urſi* nupſerat. Hæc ſunt, quæ ex *Libro primo* credidimus nobis eſſe delibanda. *Libri ſecundi* exordium deducitur a morte *Joannis*, Marchionis Montisferratenſis, ineunte A. 1305 defuncti. Antequam ſororis *Violantæ*, quæ *Andronico*, Imperatori Græcorum, nupſerat, filius acciretur, *Manfredus*, Saluziarum Marchio, ceterique optimates, 7 id. Mart. Tridini concilium indixere. Vercellenſes, comitiis vix diſſolutis, Tridinum jure repetierunt efficto, arbitrosque poſtularunt, qui rem dijudicarent. Marchio novus *Theodorus*, *Violantis* Auguſtæ filius, advenit in Italiam ad Principatum Montisferratenſem regendum, diſſidiis paſſim appetitus. Fallitur *Georgius Pachymerus* in *Hiſtoria Andro-*

Pag. 37. — 40. — 56. — 71. — 94. — 105. — 107. — 115.

Pag. 118. *nici VII, 18*, qui, *Joannem* Marchionem, *Theodori* filium, ejus
fuiſſe fratrem, arbitratus eſt. Ipſe enim *Theodorus* in frag-
mento libri ſui *de militari diſciplina*, per *Benvenutum* editi,
124. contrarium ei tenet. A. 1353 *Otto*, Dux Brunſuicenſis, pro-
genie *Grubenhagica* ortus, commoratus fuit apud *Joannem*
Marchionem. En tabulas, Tridini exaratas, hujus rei teſtes,
ita conformatas: *Anno Domini 1353, Indictione ſexta, die 24
menſis Junii, in ſero in Tridino, in Caſtro, in Caminata, præ-
ſentibus teſtibus Dominus Otto de Brunſvich, Bonifacio de Co-
conato, & Simone de Gabiano, Ill. & Magnificus Princeps D.
Joannes Marchio Monti ferrati dixit & proteſtatus fuit, quod,
cum Commune & homines Caſalis juxta pronuntiatum factum
per Reverendiſſimum D. Archiepiſcopum Mediolani dare &
ſolvere tenerentur ipſi Domino Marchioni certum ſuum ſala-
rium ordinatum in die 24 menſis præſentis, ut in pronuntiato
plenius continetur, & ipſi Commune & homines dictum ſala-
rium non ſolverint, ceciderunt in pœnam contentam in com-
promiſſo facto per Dominum Marchionem, & ipſos de Caſali
in Dominum Archiepiſcopum antedictum, videlicet quia ſuum
ſalarium in ordinato termino non ſolverunt: accuſans idem
Dominus Marchio prædictos Commune & homines ad pœnam
prædictam, proteſtans de omni jure ſuo - - -.* Marchio *Joan-
nes* a *Carolo IV* Rege, urbem petituro, ac ibi diadema Cæſa-
reum ſuſcepturo, A. 1355, 3 Non. Febr. Piſis privilegia & feu-
dorum confirmationem obtinuit, ob fortitudinis, qua Cæſari
ſubvenit, exemplum *Imperialis Vicarii* dignitate ornatus. A.
126. 1319 *Galeacius*, Vicecomes Mediolani, in *Joannem* arma mo-
vit. *Joanni*, inter hæc defuncto, ſucceſſit impuber *Otto ſecun-
dus*, cui tutor additus fuit *Otto*, Dux Brunſuicenſis. An uter-
que *Otto* ex communi *Witekindea* ſtirpe procreatus fuerit,
Autor disquiret in Diſſ. *de Vera Marchionum Montisferrati
Genealogia. Otto ſecundus* A. 1372 in palatio Aſtenſi
cum *Ottone* Duce jusjurandum fidelitatis recepit a ſuis
8 Maji. Diploma ipſum Noſter ex tabulario Tridinenſi,
quo id edocemur, protraxit, ac cum Lectore communicavit.
131. Summam tabulæ confirmavit Marchio A. 1376. *Otto* Dux &
tutor

Digitized by Google

Digitized by Google

tutor diſcordias cum Vicecomite compoſuit ægre, profectus Avenionem, & cum *Gregorio XI* confœderationem pactus, qui A. 1377, Romam ſede translata, pacem reſtituit inter diſſentientes ea lege, ut *Galeacii* filia *Violanta*, quæ haud multo ante *Leonellum*, Clarentiæ Ducem, amiſerat, *Ottoni* nuberet, ac *Galeacius Ottoni* daret triginta millia florenorum, ac oppidum Caſalis reſtitueret. Papiæ ſunt nuptiæ A. 1377 celebratæ. Anno ſequenti, 16 Dec. *Otto* Langirani in urbe Parmenſi a Germano quodam, familiari ſuo, fuit percuſſus, ibique ſepultus. Succeſſor ei datus *Joannes* frater, qui, A. 1379 jurejurando ſuorum exceptus, A. 1381 cum tutore ſuo *Ottone* Neapolin profectus, ut *Joannæ* Reginæ ſuppetias ferret, 25 Aug. inſidiatorum gladio occubit confoſſus. Succeſſit ei frater, *Theodorus*, quem per triennium *Galeacius* ſæviſſimo afflixit bello per præfectum Vercellenſium, *Conradum de Sonnec*, Germanum. *Sigiſmundus* Auguſtus, A. 1414 Tridini in caſtro per aliquot dies moratus, erexit Comitatus Aquæſanæ & Canapitii, eosque Pag. 151.
contulit *Joanni Jacobo*, *Theodori* Marchionis filio. Attulit 225.
Noſter Diploma, ad 26 Martii datum. Primus, qui Tridini artem recens inventam typographicam exercuit, exſtitit *Bernardinus Jolitus de Ferrariis*, cognominatus *Stagninus*, Venetias contendens paulo ante A. 1483. Plura de his dabit Noſter olim in *Hiſtoria typographico-literaria Tridinenſi*, enarraturus Codices, qui ab A. 1483 usque ad A. 1600 Tridini formis publicis fuerunt deſcripti. *Bonifacii* Marchionis, qui 230.
A. 1494, 4 Mart. obiit, numos duos, alterum argenteum, Noſter dedit in ectypis, quos cum Lectore putamus communicandos TAB. IV
Qui genealogiam Marchionum Ducumque Montisferrati Fig. 1, 2.
accuratius ſolito exhibere ſtudent, eorum eſt, ad Clariſſ. *Iricum* contendere, ibique ſitim reſtinguere ſuam. Qui Diplomatibus, actis, monumentis medii ævi, delectantur, eos huc properare oportet. Nobis haud vacat, ſingula perſequi, vel inſcriptionum cumulo immorari. Tridinum in æs inciſum, ac ſepulchrum *Andreæ Novelli*, Epiſcopi Albenſis, quod in templo maximo S. *Laurentii* ejusdem urbis viſitur, ære expreſſum, juvat

Digitized by Google

juvat ſtrictim attigiſſe. Diſſertatio, Operi adjecta, verſatur in tempore, quo S. Abbas *Oglerius* Locedienſi Monaſterio præfuit, definiendo. Ediſſeritur in ea ejusdem Cœnobii origo atque progreſſus, ſeriesque Abbatum accuratiſſima usque ad Seculi XV initium pertexta exhibetur. Eminet in Tridini oppido celeberrimum monaſterium S. *Mariæ de Locedio.*
Pag. 2. Locedium aliud æque monaſterium vetuſtius haud multis inde paſſuum millibus diſtat, A. 712 circiter fundatum. *Berengarius* Rex hoc ipſum A. 901 confirmavit. *Otto III* Imperator id cum omnibus prædiis *Arduini*, filii *Dodonis*, qui *Petrum*, Epiſcopum Vercellenſem, interfecerat, ac concremaverat occiſum, Epiſcopo Vercellenſi, *Luitardo*, A. 999 dona-
6. vit. Monaſterium Locedii recentius a *fratribus Firmitatis* circa A. 1127 conditum fuit. *Rainerius*, Marchio Montisferrati, *Wilhelmi* Marchionis filius, *Ardicius*, & *Bernardus*, A. 1126 prædia eidem jam donarunt exquiſita. *Ardicius* perinde
8. erat Marchio. Abbas primus fuit *Duranus*. *Fridericus* Im-
19. perator A. 1159 jura & bona monaſterii confirmavit. *Petrus* Abbas cum *Bonifacio*, Marchione Montisferrati, perrexit, ac A. 1204 inter electores conſedit, cum *Balduinus*, Flandriæ Comes, Imperator Conſtantinopolitanus renuntiaretur. *Bonifacius*, Theſſaliæ regno potitus, monaſterium S. *Mariæ de Coſtaco* prope Theſſalonicam *Petro* donavit. Ille evaſit Antiochiæ Patriarcha. Succeſſit ei Locedii *Oglerius*, Tridinenſis. *Otto II* Imperator A. 1210 ei privilegium impertivit. *Inno-*
21. *centius III* ad eum A. 1213 literas dedit. *Oglerius* ſcripſit Homilias XV *de Sermone Domini in ultima cœna*. Obiit A. 1214. Reliqua jam omittimus, merito profitentes, oleum & operam Autorem in Opere hac contexendo non perdidiſſe.

ANALYSE GEOGRAPHIQUE DE L'ITALIE, &c.

hoc eſt,

ANALYSIS GEOGRAPHICA ITALIÆ, INSCRIPTA Sereniſſimo Duci Aurelianenſi, primo ſanguinis Principi, Do-

Domino D'ANVILLE, Geographo Ordinario Regis.

Pariſiis, apud viduam Eſtienne & filium, 1744, 4 maj. Alph. 1 pl. 13.

Quamvis longe abhinc tempore viri ſummi in exornanda Italiæ Geographia ſummo opere elaboraverint; conſiliis tamen & laboribus eorum impar fuit eventus, propterea quod plurimi, autoritatem veterum monumentorum ſecuti, ſatis habuerunt, ſi Mapparum errata notarent, ea vero corrigere, & veritatem in lucem producere, tantum non neglexerunt. Satis itaque relictum fuit Cel. Autori, in quo ingenium exerceret; nec diffitebuntur viri, harum rerum periti, laude ſua digniſſimum eſſe ejus conſilium, novum Tabularum geographicarum, novo opere & majori cura conficiendarum, colligendi corpus, quod dum orbi literato nuntiat, ſimul ſpecimen ejus nunc exhibet, de quo diſſeremus, ita comparatum, ut ad ſummam de eo excitandam ſpem apprime idoneum eſſe nobis videatur. Totius operis notitiam ſuppeditat Præfatio co- Pag. 9, 10.
pioſa, in qua inprimis ſingularem Sereniſſimi Ducis Aurelianenſis, atque illuſtriſſimi Marchionis *d'Argenſon*, de hoc literarum genere præclare merendi ardorem juſtis Autor laudibus effert. Cum in eo maxime ſuam diligentiam collocaturus ſit Vir Cel. ut Tabulas geographicas generales, accurate & concinne deſcriptas, componat, ante omnia demonſtrat, cum forma illarum conſueta tantæ rerum copiæ haud ſufficiat capiendæ, oportere eum, duas tabulas formæ majoris tam hemiſphæræ, quam ſingulis orbis partibus, Aſiæ, Africæ, Americæ, & Europæ, deſignandis adhibere. Sic commode præcipuæ terræ 12.
regiones, ſingularum partium primariæ provinciæ ac urbes inſigniores, e g. Roma, Venetiæ, Florentia, Genua, Mediola- 14.
num, Taurinum, in ipſa Tabula orbis generali notabuntur. In deſcriptione Europæ exprimentur non ſolum regnorum 15.
& imperiorum, uti Galliæ, Germaniæ, Poloniæ, & præcipuarum illorum partium, velut circulorum Suevici, Saxonicorum, Franconici, ſed aliarum etiam provinciarum minorum,

e. g. Ducatus Gothani, Wurtembergici, Guelferbytani, nomina. Eodem modo cum Aſia, Africa, & America, agetur; nec quidquam prætermitttetur, quod ad perficiendum graviſſimum hoc opus pertinebit. Facile tamen quisque cognoſcet, haud levia hujus rei eſſe impedimenta, maxime cum non ubivis eadem præſto ſint ſubſidia, ſicque, ut rem exemplo declaremus, difficilius ſit, Hiſpaniam, quam Galliam, Angliam, &
Pag. 23. Germaniam, deſcribere. Nec minor erit cura Cel. Viri in conſignanda Tabula *orbis veteribus cogniti*, quam ita inſtruet, ut nec omnem Europam, nec Aſiam, nec Africam, ſed eas tantummodo partes, complectatur, quas veteribus cognitas
31. fuiſſe, certis conſtat teſtimoniis. Duas conficiet imperii Romanorum Tabulas, alteram occidentalis, alteram orientalis. Ad illam ſpectat Italia, Africa, Hiſpania, Gallia, Britannia, provinciæ, ad Danubium ſuperiorem & mare Adriaticum poſitæ; ad hanc Græcia, provinciæ juxta Danubium inferiorem ſitæ, Aſia minor, Meſopotamia, Ægyptus. Vaſtum hoc opus concludetur denique *Tabula Occidentis ad medium ævum exacta*, quæ decima octava totius collectionis erit. Quantum itaque ſtudium, quantamque curam, Cel. Autor adhibeat, ut omnia juſto modo, &, quantum fieri poteſt, rectiſſime, deſcribantur, documento nobis eſt elegans hoc, de quo nunc agetur, de Italia opus. Præfixa ei eſt Diſſertatio præliminaris, qua multa præclare enarrata ſunt, quæ inſtituti rationibus illuſtrandis egregie inſerviunt. Primo loco exponitur
4. duplex Geographi officium, ſatis arduum; alterum, intervalla locorum ita inter ſe conjungendi, ut ne regionibus plus, aut minus, ſpatii, quam par eſt, tribuatur, alterum, ſitum oppidorum localem, quem ſingula occupant, accurate definiendi. Atqui, cum non fieri poſſit, quin is, cui denuo onus illud imponitur, a priſcis Geographis recedat & diſſentiat, cauſas, cur illis refragetur, ſignificare, &, quas ipſe ingreditur, computandi rationes firmis argumentis demonſtrare, eum decet. Cum Italiam deſcribere ſuſcipit, tum fuſe oſtendit, inter præcipua teſtimonia, quorum autoritati hujusmodi demonſtra-
5. tiones inniti debent, vias Romanorum publicas, &, quæ eorum

rum

rum intervalla deſignant, vetera itineraria, locum ſibi vindica-
re. Horum fide munitæ ſunt narrationes Hiſtoricorum, eo-
que magis mirandum eſt, recentiores artis geographicæ cul-
tores negligenter illa tractaſſe, quo certius eſt, incredibilem
diligentiam veteres Romanos collocaſſe in definiendis ac de-
ſcribendis milliaribus, quippe qui, præſidiis aſtronomicis deſti- Pag. 9.
ſtuti, ſolis principiis geometricis non poterant non contenti
eſſe. Hoc itaque ſibi datum eſſe, putavit Vir Cel. ut majo-
rem curam ad explicanda urbium Italiæ intervalla conferret,
ac præter rationes aſtronomicas ad vias illas Romanorum pu-
blicas provocaret, ſicque certiſſimis quaſi argumentis, vera
eſſe, quæ profert, comprobaret. At vero, ne dubia ac minus
expedita cuipiam videretur nova hæc Geographiam Italiæ tra-
ctandi methodus, quæſtiones, ipſi opponendas, in medium
affert, & ad eas ſolide atque eleganter reſpondet. Sic conce-
dit, in itinerariis ſemper deſignari numeros rotundos, nun-
quam eorum dimidias, aut tertias, aut quartas partes, quas 10.
in ſcholis Mathematicorum fractiones appellamus; nec ne-
gat, minus probabile eſſe, ubivis rem ita ſe habere; ſed mo-
net, fidei itinerariorum hac de cauſa nihil poſſe derogari,
propterea quod ſæpenumero id alteri numero addatur, quod
alteri deeſt, ſicque numerus accurate ſit definitus, ubi uterque
conjungatur. Quodſi quis ſibi perſuadeat, cognitos quidem
eſſe lapidum, qui ab urbibus diſtabant, numeros, latere vero,
ubi computandi veteres initium fecerint, num in medio ur-
bis, an in alterutro finium; obſervat exemplo milliaris, quod
Auguſtus Romæ in foro collocavit, ac lapidis primi, A. 1584
inventi, poſſe comprobari, a medio oppidorum computi du- 20.
ctum eſſe principium. Præterea neceſſe eſt, ut, ſi locorum
intervalla ex numeris lapidum & milliarium metiri velimus,
a veris eorum diſtantiis geographicis diſcrepent, ſiquidem
itinera per ambages, per montes, valleſque, longiora ſæpe
ſint, quam eſſe debent, ſi recta omnia eſſent ac plana. Sa-
tis tamen expeditum eſt, certis Geometrarum legibus hujus-
modi difficultates facile poſſe devitari. Quæ cum ita ſint, haud
inepte milliaria, tanquam fideles duces, ſecutus eſt Clariſſ. Autor,

nec negari poteſt, cum hæc cum principiis aſtronomicis, quæ maximam partem lineæ meridionali Pariſienſi innituntur, arctiori vinculo conjungit, firmiſſima ita Geographiæ Italiæ jacta eſſe fundamenta. Nobis ſatis eſt, operis, ad cujus recenſionem tandem accedimus, brevem exhibere ſummam; deinde uno alterove exemplo, quam egregie partibus ſuis ſatisfecerit, comprobare, animus eſt. *Tres* libri ſui conſtituit *Partes* doctiſſimus *Anvillius*. *Prima* agit de provinciis Lon-
Pag. 29. gobardicis, quæ *octo Capitibus* abſolvitur. Orationis initium fit ab itinere, Lutetia per Delphinatum in provincias Pedemontanam & Mediolanenſem, duce linea Pariſienſi meridionali, ſuſcipiendo. Deinde diſſeritur de Mediolano, ejusque
49. conjunctione cum Genua; de relatione Genuæ ad urbem Pariſi-
57. enſem & Corſicam; de itinere per provincias Longobardicas us-
67. que ad Ravennam; de terris Venetorum, usque ad Mediolanenſes
76. protractis; de regionibus tranſalpinis usque ad Forojulienſes,
90. verſus orientem poſitas; de provinciis, parti Mediolanenſis occidentali finitimis, maxime Sabaudia; de Bononienſi, Ra-
102. vennatenſi, ceterisque tractibus usque ad Riminum, ac itinere, Rimino Romam faciendo; item diſcrepantia longitudinis Romanæ & Pariſienſis urbium. *Secunda Parte* deſcribitur
116. Italia citerior, in ſex minores diviſa ſectiones. His diſputatur de vero ſitu Romæ, ex gradibus longitudinis & latitudinis definiendo; de terris, ipſi ex parte oriente finitimis, &
125. itinere, quo Roma in Hetruriam itur; de civitate veteri, hinc-
136. que per varias vias ſuſcipiendo itinere usque ad Vadam Vo-
147. laterranam; de Hetruria interiori; de tribus Romanorum
162. viis, quæ ad mare Adriaticum ducebant, quippe Flaminia, Sa-
170. laria, & Valeriana, hisque enarratis, accurate latitudo Italiæ
185. determinatur, & nonnulla de Tiberi adduntur. *Tertia* denique totidem ſectiones complectitur, & in exponenda Italiæ ulterioris geographia verſatur. Diſſeritur ergo de via Appia,
200. quæ usque ad Capuam pertingebat; de via Latina, ejusque
213. cum Appia nexu; de urbe Neapolitana, Oſtienſi, aliisque;
217. de Capua, unde pergit via Appia ad Brunduſium; de pro-

mon-

Digitized by Google

montorio Japygiano, Tarento, Benevento, ac amni Auſido prope Aternum, ubi via Appia finitur; de itinere, Capua Regium faciendo; denique de Meſſina, Panormo, Syracuſis, & Malta. Pag. 244. 262. Speciminis loco brevem nunc exhibebimus ſummam Diſſertationis de ſitu urbis Romæ. 116. Longitudo ejus parum eſt controverſa, quæ nullo modo inveniri poteſt, niſi per lineam meridionalem, verſus Riminum ductam, teſte *Blanchinio*. Linea meridionalis Romana Pariſienſi diſtat 9 grad. 52 minut. ac vera longitudo Romæ computatur 30 grad. 7 minut. Latitudinem urbis idem Celeberrimus Vir definivit 41 grad. 54 min. 27 ſecund. 117. minus tamen recta eſt hæc computandi ratio, propterea quod thermæ *Diocletiani*, ex quo loco *Blanchinus* obſervationes ſuas fecit, nimis remotæ ſunt a medio urbis, ac certius numerantur 41″ 53′ 45. *Milliarium aureum*, 118. in angulo fori Romani in radicibus montis Capitolii poſitum, tanquam centrum urbis, conſtituendum eſt lineæ meridionalis fundamentum, quæ ſimul mirifico conſenſu Romam in duas partes tantum non æquales dividit, ſive a meridie ad ſeptentrionem, ſive ab occidente ad orientem, te contuleris, hincque in finitimis ejus regionibus, immo in ipſo Capitolio, commode collocatur punctum longitudinis æque ac latitudinis, ex quo cetera omnia nos oportet metiri. His ita conſtitutis, facile intervalla locorum, urbi Romæ finitimorum, definiri queunt: qua in re Noſter tabulas geometricas *Cingolani* & *Ametii* ſequitur. Neque negari poteſt, 122. ſatis exactam eſſe tabulam *Cingolani*. Ut exemplo rem declaremus, viæ Aurelianæ tribuit circiter 17 mill. huicque computo conſentanea ſunt itineraria vetera, quæ inter Romam & Lorium XII, & inter Lorium & Alſium, ubi *Antoninus Pius* ex hac vita migravit, VI milliaria collocant.

ARISTÆNETI EPISTOLÆ, CUM EMENDAtionibus ac conjecturis JOS. MERCERI, JO. CORNEL. DE PAUW, &c. nec non ineditis antehac JAC. TOLLII, JAC. PHIL. DORVILLII, LUD. CASP. VALCKENA-

Digitized by Google

NARII, aliorumque, curante FRIDERICO LUDOVICO ABRESCH, qui ſuas Lectiones addidit.

Zwollæ, apud Jo. Car. Royards, 1749, 8. Alph. 1 plag. 9.

Cum per hoſce annos multi Viri docti, in Batavis inprimis, per occaſionem editi Florentiæ *Xenophontis Ephesii*, aliquid operæ in Scriptoribus Eroticis vel emendandis, vel illuſtrandis, poſuerint; hanc operam etiam *Ariſtaeneti* Epiſtolis navare inſtituit *Frid. Lud. Abreſchius*, Vir Græce doctiſſimus, & multis jam in hoc genere documentis cognitus atque ſpectatus. Complexus erat, quicquid in promtu habebat obſervationis, peculiari *Lectionum Ariſtaenetearum* libro: in quo typis deſcribendo dum nimis cunctantur conductoris operæ, rei fama ad viros doctos in Batavis interea divulgata, admonetur Autor, ut iis jungat ipſum Græcum Epiſtolarum textum, emendatum atque perpurgatum a vitiis, quæ e Codice unico Bibliothecæ Vindobonenſis, eoque mendoſiſſimo, ducta, etiamnum, poſt plures *Merceri* & *J. C. de Pauw* editiones, librum illum obſiderent. Ei doctorum Virorum voluntati ſic paruit, ut, certis atque neceſſariis cum aliorum, tum ſuis, emendationibus in textum receptis, vitioſas & loco motas lectiones, cum omni omnium reliquarum conjecturarum apparatu, in notas, contexto ſubjectas, rejecerit, admonito etiam de mutationibus inductis lectore. In quo eum recte ac diligenter verſatum fuiſſe, facile idonei Lectores intelligent. Conjecturæ *Tolliana* ſunt e margine libri, qui eſt apud *Dorvillium*, V. C. cujus ille jam mentionem fecerat in *Vanno Critica*. Ex illa ipſa *Vanno* maxima pars *Dorvillianarum* conjecturarum ducta eſt, reliqua, ut & *Valkenariana*, ex Epiſtolis, privatim ad *Abreſchium* ſcriptis.

In recenſendis editionum ſuperiorum ſubſidiis recte primum emendat V. C. *Fabricium*, qui in *Bibl. Gr. Tom. I pag. 432* primam *Ariſtaeneti* editionem Antverpienſem aſſignat anno 1561, cum prodierit A. 1566; deinde errorem *Maittairii*

tairii in libro *de Dial. pag. 84* ed. nov. caſtigat poſt *Dorvillium*, quartæ *Mercerianæ* editionis, quæ prodiit Pariſiis A. 1639, 8, ſumtibus *Simeonis Pigetii*, notas *Mercerianas Pigetio* tribuentis. Docet etiam, exſtare Latinam *Merceri* verſionem, Pariſiis apud *Mich. Orry* ſeparatim editam forma minima, ſine anni nota. Utramque & Græcam & Latinam ἔκδοσιν ignoravit *Fabricius*. In Lectionibus hoc ſe egiſſe prædicat *Abreſchius*, ut locis affectis quam leniſſima medicina opem ferret, alia, temere pro corruptis habita, ex interiori linguæ Græcæ proprietate illuſtraret, & ſuſpicione corruptelæ liberaret. In quo genere poſteriori inprimis nobis operam ſuam probavit, omnibusque intelligentibus probabit haud dubie, Vir Doctiſſ. in exemplis Criſeos diligentis & legitimæ ſuo ponendus merito. *Ariſtænetus* eſt ex eo genere ſcriptorum, a quo etſi non regula & exemplum Atticæ dictionis atque eloquentiæ ipſius, imitationis tamen ſtudioſæ, peti poteſt. Si *Libanii* æqualis fuit, uſus eſt ratione illorum, atque adeo ſuperiorum his, temporum, ut apis more ex omni genere Atticorum ſcriptorum, inprimis antiquorum, atticiſmos, exquiſitiora & floridiora verba & genera loquendi, etiam ſententias venuſtiores, & ſuo conſilio accommodatas, congereret, & in ſua ſcripta conſtiparet. Itaque bene atque ordine fecit Noſter, cum & verba & formulas dicendi rariores & elegantiores, ſententias ſubinde etiam, illuſtravit, & loca ſuperiorum ſcriptorum, vel repetita ad verbum, vel commutata verbis, contulit, ſuggerente vel aliorum, vel ſua, obſervatione: quorum locorum etiam indiculus adjectus ad calcem eſt. Quæ res interdum etiam integritati *Ariſtæneti* prodeſt *pag. 45*. Sed, dum in *Ariſtæneto* vel emendando, vel illuſtrando, occupatur Vir doctiſſ. parem operam navat ſubinde aliis antiquis ſcriptoribus, *Luciano* inprimis, *Æliano*, *Heſychio*, *Xenophonti Ephesio*, univerſas item quasdam obſervationes interioris grammaticæ diſciplinæ proponit & illuſtrat, quarum quidem uſus patentior videatur in interpretatione veterum. Ad hoc autem Lectionum corpus duplex acceſſit appendicula, diverſis temporibus exor-

exorta. Nam primum, in ipſis Lectionibus cum ita tarde procederent prela, ut integrum triennium eximeretur, nata eſt appendicula prima, ipſis Lectionibus ſubjecta, in qua vel emendantur quædam Lectionum loca, vel nova acceſſione amplificantur. Suſcepto deinde textus adjungendi conſilio, cum dimiſiſſet circa viros doctos Lectionum exempla, ut eorum judicia experiretur, accipit varias a variis, inprimisque *Valkenario*, exquiſitæ in Græcis doctrinæ Viro, obſervatiunculas & admonitiones, vel ad emendandum, vel ad illuſtrandum, *Ariſtænetum* pertinentes: quæ in alteram appendiculam conjectæ ſunt. Illud quoque non alienum fuerit commemorare, ad ſexaginta verba notata eſſe in iſtis Lectionibus, quibus Theſaurus *Stephani* locupletari poſſit. Cui generi
Pag. 9. obſervationis bene aliquo loco addit hæc: *Nec forſan dabitur facile Lexicon, quod omnia exhibeat compoſita: nullum certe opes, quæ ſub iis occultantur, unquam capiet: cum in iis ipſis, quæ Lexicographorum diligentiam non effugerunt, ſæpiſſime eorum deſideres peritiam. Quo minus mirum, ſi, e Lexicis unice in his literis qui ſapiunt, quoties conſulti illi vates reſponſa reddere negant, toties ferme futilia ſcribant, & intempeſtivis correctionibus ſincera quæque incruſtent.*

His commemorandis cupiditatem arbitramur eſſe injectam Lectoribus Græcarum literarum ſtudioſis, paulo propius inſpiciendarum Lectionum. Quare, age, delibemus inde nonnulla, adſperſis ſubinde qualibuscunque obſervatiunculis noſtris. *Lib. I Epiſt.* 3 cum occurrat καιρὸς ῥόδων, comparat etiam καιρὸν καρπῶν *Matth. XXI*, 34: non καιρὸν σύκων, *Marc. XI*, 13, quam aliter capit, quam ſuperiores h. l. interpretes: nempe, non de *temporis*, ſed *loci, opportunitate, & tractus*: ut ſenſus ſit: *neque enim locus tractusve ille erat ferax ficuum*: οὐ γὰρ ἦν καιρὸς εὔκαιρος, ſive εὔφορος σύκων: idque vel ſoli, vel aeris, illo quidem anno, vitio. Docet deinde, καιροῦ eſſe hanc vim, ut non ſolum temporis, ſed etiam rei cujusque, opportunitatem ſignificet. *Thucyd. IV*, 54: ἐπαυλιζόμενοι τῶν χωρίων οὗ καιρὸς ἦν: ubi *Schol.* explicat τὸ ἐπικαιρότατον τῶν χωρίων. *Ibid. Cap.* 90: πύργους ξυλίνους καθί-

Digitized by Google

καθέστηκαν. ἢ καιρὸς ἦν. *Libanius Or. VI pag* 204 habet λιμένα καιρόν. & *Or. XI pag.* 376, ὁ καιρὸς, συγκαθίζομεν. &c. Atque ſic putat Vir Doctiſſ. ſublatam difficultatem, quæ *Hammondo* mota eſt de interpretatione: *non erat tempeſtas illa ferax ficorum*, veluti a *Clerico*, quod ea ſignificatione verba illa Græce dici non poſſent. Ex ratione autem *Abreſchiana* perinde erit, utrum in tractu iſto raras arbores tales ſtatuamus, neque illas fertiles, an illo tantum anno ſteriles ficus fuiſſe putemus. *Epiſt.* X in deſcriptione pulchræ fœminæ hæc verba ſunt: τὴν μὲν ἅπασι τῆς ἑαυτῆς φιλοτίμοις κεκόσμηκεν Ἀφροδίτη, μόνου τοῦ κεστοῦ φεισαμένη καὶ τοῦτον πρὸς τὴν παρθένον ἔχειν ἐξαίρετον ἡ θεός. Vir quidam doctus in *Miſc. Obſ. Vol. I pag.* 392. & *Douza ibid.* legi volunt φιλοτίμως, quod ipſi verbo κοσμεῖν junxit *Sozomenus H. E. II, 3*, leniſſima & ſimplici medicina. *Abreſchio* placet ſervari vulgatum, idque ſic explicat: ταῖς δωρεαῖς, δι' ὧν φιλεῖ τιμᾶν τε καὶ τιμᾶσθαι. Sed, iſta verbi illius analyſis, veremur, ut probetur omnibus. Neque enim ex analogia linguæ φιλότιμος eſt, qui φιλεῖ τιμᾶν, ſed qui φιλεῖ τιμὴν, atque adeo facit ea, unde τιμὴ ad ſe redundet. Si φιλοτίμοις defendendum, duceremus defenſionem potius hinc, ut τὰ φιλότιμα pro φιλοτιμίαις dicta diceremus, (quippe τὸ φιλότιμον pro φιλοτιμία ſæpe ponitur,) quas de liberalitate, atque ipſis adeo muneribus, a liberalitate profectis, dici, facile demonſtrari poteſt. Verbum φιλοτιμεῖσθαι ſic dici, late demonſtrat *Perizonius ad Ælian. V. H. III, 1*, & ſic dixit v. c. *Joſephus A. J. VI, 14, 4*, φιλοτιμεῖσθαι πρός τινα, *liberalem ſe alicui præbere*, eodemque loco φιλοτιμία de liberalitate & hoſpitalitate dicitur. *Lucianus* adeo *Aſin.* 53 *ludos* clare vocat φιλοτιμίας: ἡμέρα ἐν ᾗ τὰς φιλοτιμίας ἦγεν. Eaque ſignificatio non ducitur ab iſta etymologia, quaſi φιλότιμος eſſet, qui φιλεῖ τιμᾶν, ſed quod, qui honoris ſunt cupidi, ſolent eſſe liberales, ſi facultas ſuppetat; eaque re honorem & laudem captant. Eſſet ergo ſenſus: *eam omnibus muneribus ſuis ornavit Venus*; ſed tamen vel ſic magis nobis placet φιλοτίμως, ſimplicitatis & facilitatis nomine. In ultimis, πρὸς τὴν παρθένον, bene

Digitized by Google

ne explicantur *præ virgine:* ſed proprie tamen πρὸς hic habet vim comparationis, ut aliis locis: comparata cum virgine Venus ſolam zonam præcipuam habebat. Sæpe Vir doctiſſimus in explicandis, aut vindicandis, locis utitur analyſi verborum, & præpoſitionum in compoſitis: eaque ratione, quod negari non poteſt, interdum feliciter ſuccurrit locis difficilibus, aut tentatis, & rationem reddit conſtructionum, &c. Sed interdum tamen nobis iſta ratio argutior viſa eſt, quam verior. Sed hoc omnibus accidit, qui aliquod genus artificii, vel obſervationis, utile cognoverunt, eoque nomine adamarunt, ut profectus blanditiis alliciantur in fraudem: neque ab tali errore cuiquam ſatis cautum eſt. Exempla, ut in oculos incurrent, proferemus utriusque generis. In *eadem Epiſt.* eſt συνεβάλετό σοι τοῦ γάμου, pro quo *Hemſterhuſius*, Vir ſummus, volebat συνελάβετο σ. τ. γ. Noſter non videt, quare non ſtare poſſit συνεβάλετο, dictum per ellipſin τοῦ μέρος, quæ & in συλλαμβάνεσθαι ſtatuenda. Priori modo ſic verba reſolvit: σύν σοι (καὶ ἄλλοις) ἐβάλετο τὸ ἑαυτοῦ μέρος τοῦ γάμου: altero: σ. σ. (κ. ἄ) ἐλάβετο μέρος τοῦ γάμου. Plene μέρος συμβάλλεσθαι habet *Ariſtides Tom. I pag. 205.* Itaque, utrumque eodem redire, putat: nec in talibus locis aliquid tentandum. Si unum addidiſſet Vir eruditiſſimus, ut, quemadmodum loco *Longi pag. 95* docuit, atque etiam antiquorum locis patet, dici etiam συλλαμβάνεσθαι τινὶ εἴς τι, ſic etiam exemplo aliquo docuiſſet, dictum ab ullo συμβάλλεσθαι cum genitivo, nihil deeſſet huic demonſtrationi. Nam, etiamſi iſta ellipſis & analyſis locutionis plane reſpondet analogiæ, tamen uſus loquendi etiam requiritur, ſine quo analogia non ſatis valet; id quod Viro doctiſſimo ſatis notum eſſe ſcimus. Niſi enim uſus loquendi cum analogia comparetur, exiſtat, neceſſe eſt, Philoſophia potius de verbis, quam grammatica verborum explicatio, cujus neceſſitatem in Præfatione Vir Doctiſſ. verbis, & ubivis factis, agnoſcit. Bene porro ei ſucceſſit hæc ratio *pag. 52* in vocibus, ex præpoſitione ὑπὸ compoſitis, ut ὑπονοστεῖν, ὑποσύρειν, ὑφίστασθαι: atque hinc defendit vulgatam lectionem ἐγὼ δὲ ὑμῖν ὑποστήσομαι in *Luciani*

Tim.

Tim. Cap. 40, (pro qua *Juntina* habet ἀποςήσομαι, probante magno *Hemſterhuſio*,) ut ſit ςήσω ἐμαυτὸν ὑφ' ὑμῶν, *deſcendam hinc, atque infernam ſedem meam petam*: quanquam mollius ſit, in hac etiam ſententia, ὑμῶν non referre ad præpoſitionem, ſed otioſe, ut ſæpe, poſitum putare. Ad *Epiſt. XIII pag.* 85 late agit de verbo προσφθέγγεσθαι, ad verba: Πολυκλῆς ἑαυτῷ προσεφθέγγετο. Dicunt Græci προσφθέγγεσθαι τινὰ, quod eſt *compellare, ſalutare, laudare*, &c. ſed reperitur etiam προσφθέγγεσθαι τινὶ, quod eſt, *loqui cum aliquo*, nominatim apud *Baſilium* in *Epiſt.* 277, 305, 326, ut προσερεῖν & προσειπεῖν τινι apud *Xenophontem, Epictetum*, & alios, eodem ſenſu. Atque hujus poſterioris generis plura exempla eſſe dicit, quam prioris, quanquam contra pronuntiet *Suidas*. Rationem affert hanc, quod per omnia verba compoſita ſtructura, vi compoſitionis ſubſiſtens, multo ſit uſitatior altera, quæ a præpoſitione pendet, usque adeo utplurimum rara, ut in plerisque non niſi ſemel fere apud unum aliquem ſcriptorem obſervetur. Sic v. g. in uno *Sophocle* ſibi hactenus lectum ἐπιχαίρειν τινά, ἐπιμαίνεσθαι τι apud *Philonem pag.* 416, ex lect. marg. & cum genitivo ἐπὶ γυναίων ἀρχιςαῖν, cum contra frequentiſſima ſint cum τινὶ & ἐπί τινι. Neque hic ratio obſcura eſt. Nam verba, e præpoſitionibus compoſita, omne admittunt regimen, quod præpoſitio, ex qua componitur, niſi peculiaris quæpiam obſtet verbi ſignificatio. Eaque regula aut nunquam, aut raro, fallit: quam ſi ignores, fieri non poterit, quin, ſi in ſingularia incidas, tuam inſcitiam pro ſcribarum errore arguas, & temere loca Autorum ſolicites. Ad *Epiſt. XXVII pag.* 164 digreditur ad locum *Luciani* in *Bis accuſ. Cap.* 11: ὁπόσοις μηδὲν τῶν ἀναγκαιοτέρων περιαχολεῖ. In verbo περιαχολεῖν hæſit *Gravius* ita, ut negaret, probum eſſe, legique vellet ἀναγκαιοτέρων πέρι: quod nollet *Abreſchius* ei excidiſſe. *Reizio* idem venit in mentem, idque cum jam ſcripſiſſet, *Gravii* notam inſpexit diligens *Luciani* interpres atque editor, & idem *Grævio* refert potius viſum, quam totam notam delet. *Geſnerus*, V. C. comparat hoc verbum cum διαχολέω, quo *Herodotum* uti, Lexica

Digitized by Google

doceant. (Quod *Abreſchius* negat Lexica laudare *Herodotum* autorem, *Scapulæ* editio, quam nos inſpeximus, hunc Autorem, ſed vitio operarum, pro *Herodiano* laudat.) Id non placet Noſtro, ſed diverſiſſimam eſſe horum verborum indolem pro diverſa natura præpoſitionum περὶ & διὰ. Nam περιασχολεῖν eſſe ἀσχολεῖν περί τι, ſed διασχολεῖν eſſe ἀσχολεῖν διά τι, ἐνασχολεῖν, ἀσχολεῖν ἔν τινι. Nobis vero præpoſitiones nihil videntur definire diſcriminis, quippe utraque in compoſitione intendendi vim habere poteſt: neque videmus, quare non, ut *Lucianus* dixit ὅπως μηδὲν περιασχολῇ, ſic *Herodianus* dicere potuiſſet, διασχολοῦσης αὐτὸν τῆς τῶν σφραγίδων διαγνώσεως, & contra *Lucianus* εἰ πρὸς μηδὲν τῶν ἀναγκαιοτέρων περιασχολούμενοι. Ad *Lib. II Epiſt. XVIII pag.* 291 explicat vim verbi ἀποθαυμάζειν, quo ibi utitur *Ariſtænetus*, primum, comparando cum ἐκθαυμάζειν, quod verbum, Lexicis ignotum, habet *Philo pag.* 884, & *Sozomenus H. E. VII*, 27: deinde vim præpoſitionis ἀπὸ ſic explicando, ut ἀποθαυμάζειν ſit ἄρχεσθαι ἀφ' ἑνὸς μέρους καὶ ἔρχεσθαι ἐπὶ τὸ τὰ λοιπὰ θαυμάζειν, id eſt, *ſingula cum admiratione intueri*. Fatendum ſane, ἀπὸ in compoſitione augendi ſignificationem interdum habere videri, inprimis in hanc partem, ut ad extremum, aut ad diuturnum usque tempus, aliquid fieri, factum, intelligamus. Tale eſt ἀποκάμνειν, & alia. Apud *Xenophontem Mem. Socr. I*, 1, ἀπεμνημονεύσε, ſic capere licet: ſed tamen non neceſſario ſic capiendum. Nam etiam ſine tali vi dicitur ſimile verbum apud *Joſephum A. J. XV*, 2, 2: τῆς χάριτος ἀπομνησθήσεσθαι προσδοκῶν, *ſperans, ſibi gratiam ab eo relatum iri*. Atque ſimilis eſt ratio ceterorum fere verborum, quæ plerumque aut pro ſimplicibus poſita intelligi poſſunt, ut ἀπομιμεῖσθαι, ἀποκινδυνεύειν, ἀποδειλιᾶν apud eundem *Xenophontem*; aut ſaltem, ut ſignificent, valde aliquid facere, atque id magis arbitramur e contextu, quam ex ſola præpoſitione, judicari. Verbum propoſitum v. c. feremus capi pro *valde mirari*, ſed quia contextus patitur: vim quidem eam, quam V. C. explicat, vix concedemus eſſe in præpoſitione. Nam quorſum adderetur in Græco παρ' ἕκαστον? Deinde non dicitur ille impoſtor res mira-

miratus, ſed ſemet ipſum: Παρ' ἕκαςον ἑαυ]ὸν ἀπεθαύμαζεν. Tota iſta ratio valde lubrica eſt, ut ipſe uſus loquendi inconſtans: adeoque haud facile univerſe quid definiri poteſt. Illud autem certum eſſe debet, quia uſus loquendi non eſt a Grammaticis, & accurate, & circumſcripte, cogitantibus, in verborum ſignificatione eruenda ſimplicitatem ſequendam eſſe, &, ut ſimplicius quidque ſit, & captui populariter loquentium convenientius, ita magis probandum. Sic vix credemus, *Lib. I Epiſt. 6* in verbis ἤδη σοι συνεπινένευκασιν οἱ θεοὶ γάμον, præpoſitionem σὺν hanc vim habere, ut comprehendantur puellæ parentes, quaſi ſit ἤδη σοι γάμον σὺν τοῖς τεκοῦσιν ἐπιν. οἱ θ. ſed τὸ σὺν abundat, ut in permultis aliis, in quibus interpretes etiam alii nonnunquam vim aliquam quærunt: uti, quod mox eſt in eadem Epiſtola, ἐξαμαρτάνειν nihilo plus eſt, quam ἁμαρτάνειν: unde valde veremur, ut ſatis firma ſint, quæ valde ſpecioſe de hac præpoſitione ἐκ in compoſitis diſputat V. C. in *Miſc. Obſ. Vol. VI pag. 283*; & *Animadv. ad Æſchyl. I, 10*. Sed ſatis de hoc genere. Utitur V. C. etiam interdum ὑπερβιβασμῷ ad lucem affundendam *Ariſtæneto* & aliis. *Pag. 55* verba καὶ τοιαῦτα ἄπορα ἐρωτᾷν διδάσκουσι τὸν νοῦν, ſic ordinat: καὶ διδάσκουσι ἐρωτᾷν τοιαῦτα ἄπορα τὸν νοῦν, conjecturis Virorum doctorum rejectis. Recte. Plura habet *pag. 263 ſeq.* & *pag. 275*, ubi docet, in verbis ἐμαυ]ὴν ἐμπεδῶσαι καὶ περὶ τῶν δοκούντων βεβαίαν ἀποδεῖξαι, τὸ ἐμαυτὴν referendum ad ἀποδ. β. non ad ἐμπεδῶσαι, quod dativo jungitur. Talibus in locis facilius aliquid videat, qui tritus ſit in *Thucydide*, ut Noſter. Sed & in hoc fortaſſe genere interdum durior eſt Vir doctiſſimus: quod nobis quidem videtur de ordine, quem ſtatuit concipiendum eſſe in loco *Æliani V. H. XIV, 15*, propter verbum ἀκούσαντα, quod illo in loco ſenſum commodum non habet, cum ἐκλαβόντα, aut ſimile quid, potius deſideretur.

Lib. I Epiſt. 15 in verbis, οὐχ ὅρμος, οὐχ ἑλικ]ῆρες, οὐ πόλεων τὸ πολύτιμον, οὐ περιδέξιον, pro οὐ πόλεων eleganter judicat legendum οὐκ ἐπωλένιον. Etiam *Epiſt. 25* ſunt ἀμφωλένια, quæ vox non eſt apud *Stephanum* notata. *Pag. 125*

 porro

porro apud *Xenoph. Cyrop. V pag. 342*, pro ἐκ πολλῶν καὶ πονηρῶν χρημάτων rectiſſime reponit σχημάτων. *Epiſt. XXII* verba τί δὲ τί πρὸς Θεῶν νεώτερόν τι συμβέβηκεν, ſic putat diſtinguendum: τί δέ; τί πρ. Θεῶν; νεωτ. τ. σ.; non male. Nobis tamen potius placebat: τί δὲ δή, πρ. Θεῶν νεωτ. τ. σ. Ceterum idem remedium adhibet *Luciano D. D. V* extr. pro τί τοῦτο δακρύεις, legens τί τοῦτο; δακρύεις; aliisque locis. *Lib. II Epiſt. 10* in verbis, ὁ δὲ κυνηγέτης ἐν τῇ πηγῇ προσῆψε τὴν χεῖρα, reſcribi vult προσῆξε. Optime. Mox in eadem Epiſtola eſt χεῖρα προσάξω. Librarius forte dubitavit de aoriſto illo in προσάγειν. Sed eſt bonæ notæ. In illo verbo dicendum erat ἐκ τῆς πηγῆς προσῆψατο τῇ χειρί. *Epiſt. 16* in verbis, ἐμὲ λοιπὸν τὴν ἐξ ἀπορίας ἐπιζητεῖς recte vidit delendam τὴν, quæ hic locum habere nullo modo poteſt. *Pag. 281* obiter, dum verbum ἐξέχεσθαι illuſtrat, attingit locum *Dionyſii Halic. Lib. I pag. 65*, ubi paſtores dicuntur vidiſſe lupam, pueros *Romulum* & *Remum* ὥσπερ τέκνα περισπῶσαν, τὰ δ᾽ ὡς μητρὸς ἐξεχόμενα. Περισπῶσαν in mendo cubare, cum *Sylburgio* agnoſcit, conjicitque, legendum περιεστῶσαν, ut idem ſit, quod περιβαίνειν, ἀμφιβαίνειν; quod probaremus, ſi *defendendi* ſignificatio hic requireretur, & non potius *lactandi*; quippe verbum ἐξεχόμενα ὡς μητρὸς, *velut in matre hærentes*, de ſugentibus infantibus optime cepimus, aut *mulcendi*, *amplectendi*.

Addamus duo exempla de verborum ſignificatione & uſu. *Pag. 299* monet, nullum adhuc locum, præter unicum *Jamblichi*, apud *Elſnerum* & *Albertum*, V. V. C. C. prolatum, ad tuendum adverſus barbariſmi notam locum *Matth. I, 20*, κατ᾽ ὄναρ ἐφάνη, cum ſcriptores elegantes conſtanter dicant ὄναρ ſine præpoſitione κατὰ diſerte addita. Hic merito reprehendit Grammaticos veteres, quod, omiſſa cogitatione, quare ſcriptores ὄναρ, & tamen καθ᾽ ὕπνον, dixerint, univerſe reprehenderint, quod non intelligerent. Ipſe, perinde eſſe, judicat, utrum κατ᾽ ὄναρ, an ὄναρ, dicas, modo addita præpoſitio non afferat ambiguitatem; quod cum ita ſit in loco *Matthæi* laudato, non eſſe culpandum. Ambiguitas autem naſci

poteſt

poteſt ex addito κατὰ, propterea, quod uſus dicendi obtinuit, ut κατ' ὄναρ eſſet *ſomnii monitu, ex viſu*, ut ſolet eſſe in inſcriptionibus antiquis; quod ὄναρ, intellecto κατὰ, ſignificare non poteſt. Sic certe dixit *Ariſtides* τὸ κατ' ὄναρ *Tom. I pag. 488.* Sic *Polemon* in inſcriptione, qua *Demoſthenis* imaginem dedicavit, male reprehenſus *Phrynicho. Pag. 148* agitur de diſcrimine verborum ἐγείρεσθαι, & ἀναστῆναι, cum de dormientibus ſermo. Statuit ergo cum *Ammonio* aliisque, ἐγείρεσθαι eſſe *expergiſci, evigilare*, ἀναστῆναι *ſurgere e lecto;* unde illi ἐξ ὕπνου, huic ἀπὸ τῆς κλίνης, jungi debeat. Hinc parum accurate omnes verſiones *Matth. VIII, 26*, τὸ ἐγερθεὶς vertere *ſurgens*, cum eſſe debeat *expergefactus*. Sed iſta nobis non omnino certa videntur. Primum iſta regula fallit in compoſitis ex ἀναστῆναι, quibus ipſe Noſter docet jungi ἐξ ὕπνου. Deinde in verbo ἐγείρεσθαι quoque dubitatio relinquitur. Nam, præterquam quod proprie ſignificat motum tollentis ſe ac levantis, quid impedit, quo minus apud *Xenoph. Oecon. Cap. 6* verba de agricultura, τοὺς δὲ τῇ ἐπιμελείᾳ γεωργοῦντας ἀνδρίζει, πρῳῒ ἐγείρουσα, καὶ πορεύεσθαι σφοδρῶς αναγκάζουσα, capiamus: *mane ſurgere faciens:* quod certe eſt convenientius contextui, quam *mane expergefaciens*. Denique in loco *Matthæi* neceſſario vertendum eſt *ſurgens*. Etenim quomodo expergefactus demum eſſe poteſt, qui jam locutus erat cùm diſcipulis?

DEL' USO DEL MERCURIO SEMPRE TEMERARIO in Medicina, &c.

hoc eſt,

DE USU MERCURII IN MEDICINA SEMPER temerario, deque fundatione & methodo medendi Archinoſocomii incurabilium civitatis Florentinæ, tractatio, ad Illuſtriſſimum Equitem, UCUCCIONEM DE' RICCI, Priorem & illuſtriſſimum Magiſtratum, qui huic Noſocomio praeeſt, per LAURENTIUM CAJETANUM FAB-

Digitized by Google

FABBRI, Medicinæ Practicæ Lectorem in magno, quod ad S. Mariam novam dicitur, Noſocomio.

Coloniæ, per Fridericum Tirbien, 1749. 8.
Plag. 10.

Medicamenta ſuis volvuntur periodis, & pro illis, quæ humanis ingeniis inſunt, ſentiendi varietatibus nunc magno in pretio ſunt, nunc vilipenduntur, uti quilibet, vel præjudicata opinione, vel convictione, adductus, ſpreverit hoc, aliud magni fecerit. Neque vero eſt, quod quis miretur, illa medicamenta de ſuæ opinionis, quam penes plurimos habebant, gradu decidere, quæ lubrica ſunt & talia, in quorum adminiſtratione facilis error eſt, & noxa irreparabilis. Tale eſt Hydrargyrus ille, quem dira lues venerea generi humano neceſſarium fecit, cum ſatius eſſet, ancipiti, quam debili, ad tam ferocem morbum debellandum medicina uti. Ab eo tempore, qui antiquis venenum viſus erat, hydrargyrus, magno in honore haberi cœpit, quandoquidem illius uſu virus illud venereum deſtructum fuit penes quamplurimos, nec obfuit, quo minus magno in honore haberetur fallax ceteroquin remedium, quod eſſent ex multis pauci, qui illo convaleſcerent, reliquis male multatis, & ad orcum deductis ſæpiſſime. Neque vero *Laurentius Cajetanus Fabbri* primus eſt ex recentioribus, qui in ſuſpicionem adduxit uſum medicamentorum, quæ mercurium habent, ſed ipſi, qui de lue venerea commentati ſunt, principes in arte viri, *Fallopius* quondam, nuper *Boerhaavius*, laudes hujus medicamenti ubique haud canunt. Hos paſſim excitat *Fabbri*. Licet enim ſecuræ utilitatis in exſtinguendis inteſtinorum vermibus eſſe poſſit, quandoquidem ille cum ſtimulo laxante datus ſanguinem vix attingit, attamen, ſi ad ſanguinem, quacunque demum via, ivit, ibidem diras ludere poteſt tragœdias. Facultas nocendi in eo ponitur, quod oporteat, ex legibus chymicis, Mercurium, ubi acidum offendit, fieri nocentiſſimum, quodque pro ſuo pondere ſpecifico non poſſit non ſanguinem terere, ſolvere, omnem habitum

cor-

corporis extenuare, ipſaque viſcera, eorumque vaſa, frangere ac pertundere, tum maxime, quando, quod *Dioſcoridis* tempore jam effectum eſt, mercurius per cutim ad interiora ducitur, quandoquidem hac via, nullo, quale chyli eſt, pingui velo inductus, ſtatim intra venas in magnos concreſcit glomeres, non facile iterum disjiciendos ac diſpergendos, uti tamen ſit, ſi medicamentum hoc chyliferis vaſis aliquandiu ducitur, &, veluti ſolet, a pingui re in minima ſolvitur. Neque vero in ſolius Mercurii uſu unquam fiducia curandæ luis Gallicæ poſita fuit, ſed hoc medicamento & antiquius & ſecurius alterum omni tempore fuit *Guajacum*, quod gentibus illis, a quibus Europæi diram hanc luem acceperunt, jam longe ante Mercurii uſum familiare fuit, ſimulque cum ipſo morbo ad Europæos transvectum eſt. Ita *Bœrhaavius* ſentit. *An igitur*, ait, *in malis venereis, ubi æger conditione loci ab argento vivo curari nequit, deſperatus relinquendus? Neutiquam. Quid ergo juvare poterit, ubi deficit Mercurius? Dicam: lege Huttenii inſertum hic Tractatum, ſed relege cum cura, videbis, ablui poſſe acri lixivio Guajaci intricatiſſimum contagium. Conſiſtit artificium in eo, ut rurſum omnia pinguia reſolvantur, corpusque ita emacietur, nihil ut olei retineat.* Et hoc quidem eſt illud, ſecretum huc usque habitum, Noſocomii Florentini, luem Gallicam ſine mercurii uſu curandi, artificium, quod ab Eruditiſſimo *Fabbri* nunc liberaliter communicatur. Deſcribitur utendi modus. Solius decocti Guajaci uſus acrior eſt, quam qui in cura unicus eſſe poſſit; metuendum enim valde eſt, ne vel febris accendatur, vel pinguedo omnis deliqueſcat, ipſique ægrotantes emacientur, ut vigori reſtituere illos difficile ſit. Quapropter collega illi dandus eſt, radix ſalſaparillæ, cujus decoctum acredinem medicamenti lenit atque temperat. Satius etiam eſt, vere, quam hyeme, curam ægrotantium hac medicina ſuſcipi, quandoquidem perſpirabilia tunc magis ſunt corpora, nihilque obeſt, quo minus *lignum* hoc vere *ſanctum* diſſipare ac disjicere omnem humorum ſaburram penitus poſſit. Fuerunt, qui nimia erga Mercurium fiducia ejus uſum in curanda hy-

Digitized by Google

drophobia, aliisque phrenitidis ſpeciebus, experiri voluerunt, cujus experimenti infelicem ſucceſſum libelli, quod ad calcem ejus eſt, Caput docet. Non invidenda ſunt temporibus noſtris mitiora illis, quæ ante a crudelibus Medicis per mortes ſtabilita fuerunt, medicamina.

DISSERTATION SUR LA GLACE, &c.

hoc eſt,

DISSERTATIO DE GLACIE, SEU EXPLIcatio phyſica formationis Glaciei, & variorum ejus phænomenorum; Autore DORTOUS DE MAIRAN, e quadraginta Sociis Academiæ Gallicæ, Academiæ Regiæ Scientiarum Socio, &c.

Pariſiis, e typographia Regia, 1749, 12 maj.
Plag. 17, Tabb. æn. 5.

Haud penitus novum eſt elegantiſſimum, quod hic Lectoribus noſtris exhibemus, Opuſculum. Cum enim A. 1716 præmium obtinuiſſet, prodiit ibidem eodemque anno prima vice; recuſum dein Biterræ A. 1717, iterumque Pariſiis A. 1730 in Sylloges variorum ſcriptorum, ſub titulo: *Les vertus medicinales de l'eau commune*, editæ, *Volumine II.* Verum enim vero multis poſtea modis idem locupletavit Cel. Autor, additis inprimis plurimis experimentis & obſervationibus, ita ut jam duplo auctius in lucem prodeat.

Nova præterea ſeſe commendat Præfatio, de qua, non poſſumus non, quin verba ſeparatim faciamus, cum ſingularem in ea materiam tractare, ſyſtematum nempe, noſtris diebus paulo plus merito proſcriptorum, cauſam orare, Cel. Autor inſtituerit. Cum enim, exploſis Scholaſticorum nugis, rejectisque ingenioſioribus, quam verioribus, *Carteſianæ* Philoſophiæ figmentis, naturam per experimenta indagandam aggreſſi ſint recentiores Phyſici, inprimis Angli; in alterum extremum abierunt permulti, & inter hos haud infimi ſubſellii viri, ut,

omnes

omnes hypotheſes & ſyſtemata e Philoſophia naturali penitus eliminanda, ſolaque experimenta ad ejus cognitionem in uſum vocanda eſſe, arbitrati ſint. Haud inſulſe notat Autor, opinionem hanc ſpeciem quandam ſoliditatis, maturitatisque ingenii, præ ſe ferre, quæ haud parum imponere valeat. Sed adeone omni exceptione majus eſt, ſyſtemata in Phyſica prorſus eſſe inutilia, imo promovendæ huic ſcientiæ obicem ponere? Quod maxime contra ea proferri ſolet argumentum, ab imbecillitate intellectus humani deſumitur, qui, effectus naturæ ſolos intuendi capax, in cognoſcendis eorum cauſis fruſtra laboret. Huic confirmando allegatur ingens exemplorum numerus, quæ, quantos in errores inciderint Philoſophi, ſyſtematum artifices, commonſtrant. Regerit Noſter: Undenam conſtet, nexum inter effectus, eorumque cauſas, adeo eſſe abditum, ut de ejus indagine prorſus deſperare debeamus? Ad hoc certe affirmandum longe pleniorem de limitibus intellectus humani cognitionem deſiderari. Abuſum ſyſtematum non magis eorum uſum tollere, quam experimentorum, quibus abutitur, quicunque eadem absque certa methodo, certisque ratiocinandi principiis, adhibet. His enim ducibus opus eſſe, ſi debitum quis ab experimentis uſum exſpectare velit. Provocat hic ad ipſiſſimum *Newtoni* exemplum, cum (longe ante editum de Lumine & coloribus opus, ſynthetice conſcriptum,) experimenta primum in *Tranſactionibus philoſ.* eo ordine, quo ſeſe ipſi in hac materia indaganda offerebant, proponeret; ſatis enim patet, eorum unum conſequi ex alio ope Analyſeos exactæ, & fere ſemper vi cujusdam ideæ ſyſtematicæ. Simili modo varia inventa longe inſignia hypotheſium & ſyſtematum ſtructuræ deberi. Ita *Keplerum* dubio procul non perventurum fuiſſe ad famoſiſſimam illam regulam, nomine ejus inſignitam, niſi ſyſtemate cœlorum harmonico eo deductus fuiſſet. Maximi momenti veritates, hodie extra omnem dubitationem poſitas, initio non fuiſſe niſi hypotheſes, quarum ad confirmationem experimenta inſtituebantur, & argumenta e rebus facti petebantur; tales eſſe circulationem ſanguinis, ſyſtema *Copernica-*

Digitized by Google

num, ſyſtema gravitationis univerſalis, &c. Hiſce omnibus veroſimiliter nunc etiam careremus, ſi nunquam in hypotheſibus ac ſyſtematibus effingendis verſati fuiſſent Philoſophi. Tacemus alia, quæ, ad evincendam horum utilitatem, peringenioſe affert Cel. Autor. Addimus ſaltem, monere eum adhuc quædam circa materiam ſubtilem, quæ, cum inter hypotheſes ſit celeberrimas, earum quoque ſortem ſæpiſſime ſubiit. Sub ea non intelligit ſtricte materiam illam primi elementi *Carteſianam*, ſeu globulos ejus duros & inflexiles; ſed generatim materiam fluidam ſubtiliſſimam, corpora penetrantem, actuoſiſſimam; qualem quidem experimenta multa, e. g. electrica, extra omne dubium videntur ponere; quamque ipſe *Newtonus* in fine *Opticæ* in ſubſidium vocare non eſt veritus.

Sed tempus eſt, ut ad ipſum Tractatum paulo propius accedamus. In *duas Partes* totus diſpeſcitur. *Prima* de *formatione glaciei* inſcribitur, & principia continet generalia, quibus totum de natura glaciei ſyſtema ſuperſtruitur. Prius nimirum natura fluidorum & liquidorum indaganda eſt, ſi eam ſtatus ipſorum mutationem, qua in glaciem vertuntur, cognoſcere quis cupiat. Et, cum hæc ipſa mutatio in liquidis absque cauſa externa contingere nequeat, hinc de ea materia diſquirendum eſt, quæ huic effectui producendo ſit idonea. Ante omnia itaque fluidorum & liquidorum idea diſtinctius evolvitur. *Fluidum* generatim eſt corpus omne, cujus partes ſibi invicem non uniuntur, quod tactui facile cedit, diviſioni parum reſiſtit, ac velut ſponte diffluit. Eorum quædam ſe repandunt elatere & pondere ſuo, ut aer; vel pondere ſolo, ut acervus arenæ; ſed ſuperficie earum ideo non ſitum horizontalem exacte affectante; eaque ſunt *fluida ſtricte dicta*. Alia contra, ut aqua, oleum, hydrargyrum, ſe repandunt & ſuo pondere, & motu, quem partes eorum componentes habent quaquaverſum inter ſe invicem, ita ut, ſi in debita quantitate exiſtant, diffluant, donec ſuperficies earum ſuprema facta ſit horizontalis; talia dicuntur *liquida*. Eſt adeo vera liquiditatis nota ſitus ſuperficiei horizontalis. Motum, quem diximus, partium liquidi inteſtinum actu exiſtere, probat inprimis ſoli-

ſolidorum in iis ſolutio & corruptio; niſi enim liquidi partes inter ſe moverentur, ſane nulla in corpore, cujus partes inter ſe quieſcunt, oriretur mutatio; ac, etiamſi ea tribueretur attractioni, hoc tamen valeret ſaltem de particulis corpori ſolvendo contiguis, non vero de reliquis omnibus, ſolidum aggredientibus, ac uniformiter per totam liquidi maſſam diſtribuentibus. Aliud adhuc argumentum præbet ipſorum evaporatio, variis experimentis ab Autore indagata; unde elicit, duorum liquidorum diverſorum, poſitis ipſorum ſuperficiebus æqualibus, evaporationem diverſam non deduci poſſe a ſola eorum ponderis & liquiditatis differentia, ſed maxime a motu partium inteſtino diverſo; ſimulque legem hanc generalem conſtituit: Evaporationem liquidi eſſe in ratione compoſita inverſa gravitatis ſpecificæ, & directa gradus fluiditatis, & motus inteſtini. Jam ipſam partium liquidi naturam curatius rimatur. Motum earum a materia ſubtili, ipſas continuo agitante, derivare, haud dubitat. Cum vero difficultas haud contemnenda hic oriri videatur, quod exinde non poſſit perſpici, cur non diſſipentur in inſtanti partes illæ a materia actuoſiſſima; unde oriatur vis illa, qua diviſioni quodammodo reſiſtunt; quomodo denique conſervari poſſit æquilibrium inter partes ipſas, materiam ſubtilem, eas permeantem, atque inter ambientem (quippe quarum illa, partibus liquidi occurrens, velocitate ſua haud parum multari debeat). Hunc nodum item reſolvit Noſter, quod primo, ipſum pondus vimque inertiæ partium eas paulo retinere, oſtendat; dein, non ita eas permeare materiam ſubtilem, ut nunquam ſeſe contingant, nec ſuper ſe invicem moveantur, ſed potius pro vario ſuperficierum ipſarum contactu, variaque adeo harum ad ipſam materiam expoſitione, ab ea diverſimode agitari; denique materiam iſtam concipiendam eſſe infinities fere ſubtiliorem particulis, hinc ejus motum non ſolum parum ſaltem ab harum reſiſtentia minui, ſed & ipſum hujus decrementum compenſari majori tenſione molecularum, ipſis elaſticarum, pro ratione vis comprimentis creſcente, unde conſequatur inter materiam internam externamque æquili-

brium. Hinc jam ad ipſam glaciei formationem explicandam accedit Autor; quæ quidem e præcedentibus facillime conſequitur. Nulla alia enim re opus eſt, ad liquidum in ſolidum mutandum, quam ut eliminetur pars aliqua materiæ ſubtilis, poros ejus interlabentis, diminuatur motus, vel elater ipſius, adeo ut amplius reſiſtentiæ partium liquidi ſuperandæ par non ſit. En effectum frigoris, en ipſam glaciem! Ut vero naturæ proceſſus in formanda glacie melius pateat, hinc ideas caloris & frigoris, & mutationem, quam in cauſa liquiditatis, materia ſubtili, producere queant, examini ſubjicit. Satis nimirum liquet, calorem & frigus, inſtar aliarum qualitatum ſenſibilium, eſſe non niſi relativas, & in ſola configuratione motuque vario partium corporis conſiſtere; hinc frigus generatim nil aliud eſſe, quam calorem minorem, hoc eſt, minorem materiæ ſubtilis, calorem & ignem generantis, motum. Ad cauſas caloris quod jam attinet, earum primaria procul dubio eſt ſol; ejusque radiorum effectus poteſt varius eſſe, indeque varii gradus caloris produci, triplici modo: vel majori ab ipſo elongatione, vel poſitione obliqua ſuperficiei, in quam incidunt radii, vel interpoſitione vaporum & atmoſphæræ ſpiſſæ & profundæ, radios ex parte intercipientis. Sed, qualiscunque ſit caloris, vel frigoris, cauſa, ipſam liquidorum congelationem ita concipit: Sit primo liquidum in loco ſatis calido ad conſervandam ejus liquiditatem, hoc eſt, partium motum inteſtinum; utque adeo ſit (ut antea dictum) inter materiam ſubtilem interlabentem & ambientem æquilibrium. Ponatur jam locus iſte paulatim refrigerari usque ad gradum congelationi neceſſarium. Diminuetur itaque ſucceſſive motus materiæ ſubtilis externæ; unde non amplius eſſe poterit æquilibrium ipſam inter, aliamque, in poris liquidi hoſpitantem. Hinc interna hæc materia minus compreſſa, & fortior, exire debet ibi, ubi minimam offendit reſiſtentiam, hoc eſt, verſus extrema liquidi, idque donec reſtitutum ſit æquilibrium. Sed, cum particulæ liquidi motum non niſi materiæ ſubtili debeant, ſatis patet, hujus motu minuto & illum debere minui. Unde major ſuperficierum ipſarum frictio, voluminis dimi-

diminutio, minorque totius liquiditas. Aucto vero adhuc magis frigore, particulæ tandem ſibimet invicem manebunt applicatæ, adeo ut motu exiguo materiæ amplius ſeparari nequeant; ſicque in maſſas ſolidas coeant; id quod fiet primo circa extrema liquidi, & durante certo gradu frigoris per totam ipſius maſſam. En brevibus totum congelationis proceſſum! Inquirit hic Autor in legem, ſecundum quam fieri debeat diminutio actionis materiæ ſubtilis in liquido congelante, eamque ſtatuit eſſe in ratione compoſita ex ipſa diminutione velocitatis materiæ externæ; ex augmento ſuperficierum partium liquidi, hoc eſt, majori numero ſuperficierum, ſemet contingentium; & e majori denſitate, ſeu preſſione, a debiliori velocitate & elatere materiæ ſubtilis interioris oriunda, dum partes liquidi ſibi invicem magis adunantur. Explicata ſic congelationis cauſa immediata & principali, jam quoque alias medias & accidentales ejusdem cauſas ſub examen vocat. Earum vicem ſubire poteſt, quicquid actionem iſtam materiæ ſubtilis valet minuere. Præter tres cauſas, radiorum ſolis effectum minuentes, paulo ante allatas, pertinet huc nitrum ſubtile, in aere quandoque repanſum, & interdum in ipſa media æſtate frigus adeo validum, quo fluvii lacusque congelantur, producens; hoc enim phænomenon iis in locis, ubi magna exiſtit nitri copia, ſæpiſſime contingere, ut in China & Tartaria Chinenſi, & in caverna prope Veſontionem in Comitatu Burgundiæ, variis teſtimoniis probat. Alia congelationis cauſa ventus exiſtit. Is nimirum eandem promovet, auferendo continuo aerem calidum, ſeu minus frigidum, ſuperficiem liquidi ambientem. Tertia eſt diminutio vaporum calidorum, e gremio terræ exſurgentium. Ad hanc diſtincte evolvendam, rem paulo altius repetit, ab ignis centralis, ſeu in interioribus terræ exiſtentis, conſideratione; quem etſi permulti aſſeruerint, & ad explicationem phænomenorum uſurparint; nemo tamen ejusdem exiſtentiam & effectus adeo luculenter, ac Noſter, demonſtravit. Oſtendit nimirum in *Comment. Acad. Pariſ. A. 1719*, rationem caloris æſtivi & hiberni eſſe eam, ut nequaquam a diverſa ſolis actio-

actione oriri queat, ſed potius a fonte quodam caloris permanente in ipſis terræ viſceribus repetenda ſit. Ejusmodi gradus caloris conſtantis quoque deprehenditur, quoties paulo profundius in interiora terræ pervenitur: qua de re variæ obſervationes, in fodinis inſtitutæ, notatu dignæ, hic afferuntur. Porro hujus effectum in maris fundo obſervari, teſtimoniis *Marſiglii* probat. Nec quoque dubitat, ab ejusdem ignis centralis emanatione phænomena alia, ut elevationem plantarum, horizonti ſemper perpendicularem, variationes barometri a communibus diverſas, derivare. Hæc vero emanatio varie modificari poteſt a cauſis externis & localibus, ut a montibus altioribus, terris, nitroſarum aliarumque ſalinarum partium fœcundis; quæ omnia multis obſervationibus Autorum curioſis confirmantur. Hinc itaque, pro varia hac emanatione congelationem quoque paſſim mutari, in promtu eſt. Aliam jam differentiam congelationum, ex ipſa liquidorum diverſitate oriundam, conſiderat Autor. Facile patet, quam varia eſſe poſſit illa pro varia particularum liquidi magnitudine, figura, denſitate. Ita inter congelationem olei & aquæ maxima intercedit differentia. Hic quoque examinantur liquida, aut vix, aut plane non, congelanda, ut liquores ſpirituoſi, olea varia, ſpiritus nitri, argentum vivum. Denique de coagulatione, hoc eſt, ea inſpiſſatione, quæ in certis corporibus absque ſenſibili partium, liquiditatem eorum efficientium, jactura, oritur, quædam addit; quam, etſi congelationi primo intuitu contrariam, non minus tamen ex iisdem principiis explicandam eſſe, oſtendit.

Expoſitis ſic congelationis liquidorum, & formationis glaciei, principiis generalibus, jam in *altera Parte* phænomena glaciei ſtricte dictæ, hoc eſt, aquæ congelatæ, varia, quæ variis ſub circumſtantiis nobis offert, ſigillatim ſibi conſideranda ſumit; ſimulque principiorum illorum applicationem ubique tradit. *Sectio I glaciem initio, totoque proceſſu, formationis ſuæ* examinat. Dum conglaciatur aqua, initium fit a pravis filamentis, in ſuperficie ejus paſſim orientibus, altera plerumque extremitate parietibus vaſis applicatis, idque variis ſub angulis,

gulis. His ſeſe jungunt ſucceſſive alia, ad ipſa iterum diverſimode inclinata, ſicque continuo, donec fiat prima quaſi textura glaciei, quæ, manente, vel aucto, frigore, continuo magis magisque evadit craſſior. Filamentorum iſtorum formationem ita explicat Autor: Fluidum nullum in rigore cum ſit homogeneum; facile patet, quasdam ejus particulas ad congelandum præ reliquis fore idoneas. Formato ſemel exiguo tali glaciei fruſtulo, ei non poſſunt non ſeſe jungere partes contiguæ, quibuscum frigoris aliquid ab eo communicatur. Sed, dum materia ſubtilis e partibus his contiguis expellitur, eam ſibi viam eliget, qua minimam offendit reſiſtentiam, adeoque per canales glaciei jam formatæ egredietur. Itaque, ſimul ac novum ei jungitur fruſtulum, hoc ſpeciem quandam canalis præbebit, quo facilius, quam alibi, tranſitum ſuum continuare poteſt materia ſubtilis; unde eidem jungentur nova ſubinde fruſtula, & orietur ſeries integra particularum, ſeu filamenta illa glacialia. Cum vero aſſociatio illa fruſtulorum non fiat quaquaverſum, ſed in longitudinem; exinde conjicit, ipſas particulas aquæ minimas non eſſe rotundas, aut polyhedras, ſed oblongas. Aliud phænomenon, in congelatione aquæ obvium, eſt maxima copia bullularum aerearum, ex ea exſurgentium; id quod e præcedentibus facile explicatur. Porro notatu dignum eſt auctum aquæ, prope congelationem, & durante ea, volumen. Tres potiſſimum cauſæ ad hunc effectum producendum poſſunt concurrere. Primo bullulæ aereæ, in aqua inter congelandum collectæ. Cauſam hanc protulerunt plures, ſed ad vera principia reduxit nemo. Cum enim eædem illæ particulæ aeris jam antea inter poros aquæ exſtiterint; quæſtio eſt, unde majorem ſeſe expandendi vim nanciſcantur adunatæ, quam ante diſſipatæ. Demonſtrat hic Cel. Autor e principiis geometricis, bullulam aeream eo majori præditam eſſe vi expanſionis, quo minor eſt ſuperficiei ejus curvatura, hoc eſt, quo major eſt ipſa bullula. Ipſum quoque aerem aquæ in ſtatu naturali longe aliter intermiſceri, quam in ſtatu congelationis. experimentis luculenter demonſtrat. Secunda aucti voluminis cauſa eſt, poſitio alia

partium aquæ, quæ ipſis egreſſu aeris e poris ipſorum inducitur: poſitis enim his particulis (ut diximus) oblongis, mutato earum ſitu, ſimulque ſublato motu, non poteſt non majus volumen conſequi. Tertia (duabus enim iſtis nondum omnia explicari poſſunt phænomena,) eſt mutata earundem partium poſitio, ex ipſa illarum adunatione varia, ſeu vi quadam ſeſe invicem certis ſub angulis applicandi, oriunda. Singularem nimirum, eamque valde curioſam, hic proponit Autor disquiſitionem de angulo conſtanti, ſub quo ſeſe adunare tendunt particulæ aqueæ. Eſt nimirum is 60°, vel complementum hujus ad duos rectos, 180°. Eum primo ipſo facto ita deprehendi, variis experimentis probat. Eundem in aliis naturæ phænomenis conſtanter occurrere, oſtendit. Nullum igitur eſt dubium, eum non fortuito, ſed vi certæ cujusdam naturæ legis, ubique talem exiſtere. Inprimis vero ſeſe manifeſtat in figura nivis regulari hexagona; quam e principio ſex globulorum, ſeptimo ſe perfecte jungentium, neutiquam explicari poſſe, palam facit. Hinc itaque derivat, particulas aquæ oblongas ita ſibi invicem jungi, ut extremitatibus in angulum 60° coeant; unde neceſſario augeri debet volumen priſtinum. Aucti hujus voluminis effectus eſt ruptura vaſium, glaciem includentium, quam experimentis variis demonſtrat. Denique tendentiam iſtam particularum aquæ ſeſe adunandi, hincque prodeuntem vim expanſionis, præter congelationem, in aliis quoque phænomenis, ut in augendo volumine terræ, eam imbibentis, in rumpendis ſaxis vi iſtius expanſionis, in ingenti vi, a vaporibus aquæ ebullientis producta, ſeſe exerere oſtendit, unde præcedens theoria mire confirmatur.

Sectio II phænomena congelationis, reſpectu ſtatus & circumſtantiarum, in quibus verſatur aqua, dum congelatur, pertractat. Variæ nimirum hic proponuntur quæſtiones elegantes circa congelationem aquæ. Quæritur primo: an aqua, eo redacta, ut ebulliat, ad conglaciationem reddatur magis idonea. Jam a *Plinio* id aſſeritur; & videtur certe a priori ita, ob expulſum ebullitione aerem: quo itaque minor inter congelandum

dum agitatio, eo facilior quies, deberet conſequi. At reclamant exprimenta, ab Autore inſtituta, quibus nulla ſenſibilis inter tempus conglaciationis aquæ, quæ ebulliit, & quæ non, deprehenſa eſt differentia. Dein quæritur: An flumina majora conglaciari incipiant in ſuperficie, an in fundo. Prius videtur Phyſica a priori affirmare; poſterius præjudicium vulgi aſſerit, imo aſſerit eximius *Haleſius* in *Stat. Veget.* Oſtendit vero Cl. *Nolletus* in *Comment. Acad. Pariſ. A. 1743*, (unde palmaria hic ſummatim exhibentur,) ſemper circa ripas fluminum ſaltem generari glaciem iſtam, iis ſupernatantem, etſi ſpeciem quandam glaciei, e fundo emerſæ, præ ſe ferat. Porro ſingulare quoddam phænomenon, de aqua in vaſe bene clauſo non congelata, etſi multo majorem gradum frigoris, quam qui ad congelationem ordinariam requiritur, nacta, curatius rimatur. Primus id detexit *Fahrenheitius* in *Tranſ. Philoſ. A. 1724 num. 382.* Idem dein reperit *Triewaldus*, Mechanicæ Director Suecus. Vid. *Tranſact. num. 418.* Experimenta etiam ſimilia inſtituerunt *Muſſchenbroeckius*, *Michelius*, & *Jallabertus*. Plurima vero inprimis, eaque variis ſub conditionibus, fecit Noſter. Cauſam ejus primariam a quiete totius maſſæ aqueæ, ſecundariam a quiete aeris, eam ambientis, derivat. Aliam jam quæſtionem proponit: An in tota quadam regione aqua congelari poſſit, aere minus, quam in congelatione ſolita, frigido. Duo hic maximopere a ſe invicem diſtinguenda eſſe, monet: alterum, an aqua caſu fortuito congeletur in eadem regione & loco, in quo alias manet liquida eodem gradu frigoris; alterum, an conſtanter congeletur in certa regione & loco eo gradu frigoris, quo in aliis plerisque regionibus liquiditatem ſervat. Prioris generis variationes in congelatione aquæ variis a circumſtantiis oriri poſſunt. Poſterius contra majorem attentionem meretur, cum id, in ſe ſatis paradoxum, a *Cyrillo*, Medico Neapolitano, fidenter aſſeratur. Verum enim vero, multas hic irrepere poſſe circumſtantias, quæ obſervationem illam reddant dubiam, Noſter oſtendit; &, quomodo effectus ejusmodi a cauſis externis produci queat, experimentis variis tentatum, ante oculos ponit.

Dolemus ſane, inſtituti noſtri rationem haud permittere, ut pluribus hæc explicemus, & tam experimentorum, quam ratiociniorum, Autoris uberiorem Lectoribus exhibeamus notitiam. Cum itaque indicare ſaltem poſſimus, quid in elegantiſſimo Tractatu quærere debeant, vel, ſalivam ipſis nos moviſſe, ſatis erit, ut eo majori cum voluptate ipſum guſtare queant.

Sectio III circa *phænomena glaciei penitus formatæ* verſatur. Primo hic ſeſe offert ejus volumen. Hoc circiter $\frac{1}{12}$ ſui parte excedere volumen aquæ, experimenta Autorem edocuerunt. Volumen glaciei jam formatæ paulatim creſcit, bullulis aereis, intra ipſam concluſis, continuo ad ſenſum auctis. Porro conſideranda venit glaciei reſiſtentia, quam vi, partes ipſius ſeparare conanti, opponit. Hæc generatim eo eſt major, quo glacies eſt magis compacta, ſeu quo minus continet aeris, unde ad permagnam interdum pertingere poteſt conſiſtentiam. Notatu quoque digna eſt ea vis, qua ferre poteſt corpora, ei impoſita, dum ipſa aquæ ſupernatat; conſtat enim, tenuem ejus cruſtam magnis oneribus ferendis eſſe parem. De ſapore, transparentia, colore, refractione, glaciei varia afferuntur. Color non ubique idem, ſed glacies Groenlandicæ, & plerorumque marium ſeptentrionalium, pulchro inſignitæ ſunt colore, e cœruleo virideſcente inſtar vitrioli Cyprici, & minus noſtris transparentes; præterea tempore pluvioſo cœruleum partis ſuperioris, aeri expoſitæ, pallidius evadit; ipſæ autem, infra aquam ſpectatæ, apparent virides. Refractio glaciei paulo minor eſt, quam aquæ, id quod penitus conſpirat cum ea naturæ lege, qua refractio deprehenditur proportionalis gravitati ſpecificæ. Glacies figuras interdum repræſentat ſatis regulares; imo nonnulli neſcio quam palingeneſiam plantæ in glacie, e lixivio ejus facta, ſibi videre viſi ſunt, ab Autore hic merito exploſam. Evaporatio glaciei eſt admodum ſenſibilis, imo major, quam ipſius aquæ. Tandem hic adhuc conſideranda venit nix, quæ reapſe nil aliud eſt, quam copia minutiſſimorum glaciei fruſtulorum, figuræ maxime oblongæ, ſeu filamentorum vaporum congelatorum.

Digitized by Google

torum in regione aeris media, ramoſorum, & ſæpe forma ſtellularum ſexangularum apparentium. Ad figuram hanc conſtantem quod attinet, rationem ejus colligere eſt ex iis, quæ ſupra de phænomenis, ubi particulæ aquæ angulum 60° affectare videntur, attulimus.

Sectio IV glaciem in ſtatu ſuæ deſtructionis, ſeu liquefactionis, conſiderat. Liquefactio glaciei vi principiorum præcedentium, facile explicatur per reditum materiæ ſubtilis intra poros, quos antea deſeruerat. Si hæc per corpora ſolida, externe applicata, producitur, fit eo facilius, quo iſta ſunt denſiora; ita ut prius liquefiat glacies, orbi argenteo impoſita, quam vola manus, etſi ille ſit hac frigidior. Facilius quoque ſolvitur aquæ tepidæ immiſſa, quam ad ignem, in ea diſtantia, ubi vix manus tolerari poterit, detenta. In aere vero ipſo tardius, quam in vacuo, eandem liquefieri, experimentis *Hombergii* compertum eſt. Generatim autem longe plus temporis ad liquefactionem, quam ad congelationem, requiritur. Ordo in illa obſervatur is, ut primum fundantur eæ partes, quæ poſtremo ſunt conglaciatæ. Varia tum obſervantur phænomena, ſed ad conſtantis quidpiam vix reducenda. Si gelu hyberno ſuccedit tempeſtas mitior, in tota quadam regione, qua nives glaciesque ubique funduntur, hoc regelatio ſingulari nomine dicitur. Notatur tunc, frigus ſentiri paulo majus tunc, cum decremento eſt propius, quod vero non niſi illuſionem eſſe, a ſenſibus factam, thermometra declarant, inde oriundam, quod aer humidior nobis appareat frigidior. Præterea tunc temporis glacies tenuiſſima, ſive nix quædam, adhærere ſolet muris ædium, cujus cauſa ſita eſt in aere, vapores aquoſos multos tunc ſecum vehente, eosque ad muros, majorem frigoris gradum adhuc retinentes, apponente; neutiquam vero in humiditate quadam, ex ipſo muro egreſſa. Simile enim phænomenon obſervatur in parte exteriore vaſis metallici, vel fictilis, glacie repleti, ad refrigerandos liquores. In feneſtris vitreis tunc conſpiciendæ figuræ, mire variantes, apud nos maxime vulgares, miramur, in Gallia eſſe adeo raras, ut Autor, nullam, niſi rariſſime, occaſionem eas

Digitized by Google

obſervandi nactum ſe fuiſſe, fateatur, ideoque nec definire audeat, quales ſint, an durante gelu, an facta regelatione, appareant. Duas, quas ipſe obſervavit, ſedulo delineare non dubitavit, in cauſam earundem inquiſiturus; quam non in ipſa glacie, ſed in ſuperficie vitri, vel quoque in manipulatione, qua vitra a ſordibus purgari ſoleat, poſitam eſſe arbitratur.

Satis perpenſa ſic glacie in ſtatu naturali, tandem quoque *Sectio V glaciem artificialem, ope ſalium productam*, contemplatur. Poſſet hæc materia Tractatum chymicum efficere ſatis magnum, ſi, eundo per omnes ſalium ſpecies, earumque producta, quæ omnes, aquæ mixtæ, eam plus minuſve refrigerant, enumerarentur phænomena, in ſingulis conſpicua. At non in tanto ambitu eam hic tractare inſtituit Cel. Autor, principia congelationis artificialis tradidiſſe, & præcipua ſalia examinaſſe, contentus. Ante omnia notandum eſt, congelationem aquæ a ſalibus non fieri, niſi quatenus ea liquefaciant glaciem circumdatam; per ſe enim gradum frigoris majorem, quam ipſa glacies, non aſſumunt; nec igitur absque liquefactione iſta mutua alium effectum, quam glacies ſola, producerent. Qualia eo in proceſſu obſerventur phænomena, Autor hic variis experimentis deſcribit. Differt autem artificialis hæcce glacies a naturali non niſi in eo, quod bullulæ aereæ, in ea obviæ, gaudeant pleræque figura oblonga conica; quodque prima ipſius filamenta ſoleant eſſe breviora, uniformia, denſiora, & ſemper fere parietibus vaſis perpendiculariter applicata. Phænomenon, congelationi artificiali ſimile, ſeu ejus quodammodo converſum, occurrit in regelatione artificiali, ſeu praxi ſatis vulgari, fructus & membra, frigore correpta, reſtituendi, immittendo eas aquæ gelidæ, vel nivi. Ad variam ſalium ad congelandum efficaciam quod attinet, eum effectum promtiſſime producit ſal marinum, poſtea ammoniacum, denique nitrum. Spiritus quidem acidi multo adhuc magis efficaces ſunt ipſis ſalibus, ſed hos non moratur Autor. Examinat potius quæſtionem: an ſalia non agant in glaciem, niſi ſoluta; putatque, fieri poſſe, ut in ſalibus exiſtant particulæ quædam

vola-

volatiles, penetrantes, inciſivæ, quæ glaciei ſe inſinuando commoveant ejus moleculas, easque liquefaciant, unde producta quadam humiditate ſolvatur ſalis aliquid, hocque porro ipſa glacies. Porro eam ſalium proprietatem conſiderat, qua aquam, in qua ſolvuntur, frigidiorem reddunt, infra ipſum congelationis gradum, ſi ei eſſet propinqua; ubi ſingulare occurrit, ſal ammoniacum hic eſſe multo efficacius marino, cui antea cedebat. Tandem congelationem artificialem proponit producendam, atque glacie, ope ſalium, aquæ nimirum, per ſal ammoniacum jam refrigeratæ, immittendo vas aqua plenum, hocque ita adhuc magis refrigerando, & ita porro; quin imo abſque glacie & ſalibus, ope aquæ glacie frigidioris, ſed adhuc liquidæ, (ſi talis habeatur vi dictorum ſupra *Sect. II,*) eodem modo procedendo.

JO. FRIDERICI GRONOVII NOTÆ IN TErentium.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1750, 8.

Plag. 15.

Liber non magnæ molis, ſed nec nullius pretii, patrem non mentitur. Quem qui norit omnium, quotquot a renatis literis fuerunt, Latine doctorum magiſtrum & principem, neque id immerito, haberi; non poterit illi Commentarius ejus in *Terentium*, Autorem, quem caſtigata & haud vulgariter lepida Latinitas nulli non ætati approbavit, diſplicere, neque non prodeſſe. Eſt quidem opella poſthuma, neque videtur ab Autore ideo confecta fuiſſe, ut in publicum exponeretur. Forte, quæ his in chartis exhibentur, non ſunt niſi acroaſes, ab auditore, *Gronovio*, *Terentium* publice interpretanti, operam navante, calamo exceptæ. Forte quoque multa eorum, quæ hic reddita fuere, jam alibi ſparſa jacent, & dudum lectitantur, in ceteris ſummi Viri ſcriptis, & in ipſis, quas appellant, Variorum ad *Terentium* Notis. Credibile tamen eſt, & hic nova quædam proferri; ſcita profecto ſunt, & eximia, quæ prolata fuere, & patrem referunt. Qui prelo commiſit, ignotus nobis, (neque enim prodere nomen voluit,) in

in breviſſima præfatiuncula tribus verbis monuit, opellam e Codice manuſcripto *Eduardi Bernardi* quondam, quem nunc *Bodlejana* Bibliotheca ſervat, in typos derivatam eſſe; id unum ſe egiſſe, ut citationes ſingulas ad Autorum fidem exigeret, (ipſius verbis utimur,) in integritatem reſtitueret, & certis numeris ſignaret. Vix opus eſſe putamus, guſtum hujus operis ut demus, cum, quale ſit, facile queat æſtimari, ſi conſtet, potiſſimum id circa Latinitatem verſari, & in eo eſſe, ut obſcuris dictionibus lucem, rarioribus, & apud imperitiores facile in ſiniſtras opiniones incurſuris, fidem & autoritatem ab idoneis teſtimoniis aliorum, faciat. Conſequens quoque erat, ut in antiquos Romanorum ritus, ad quos comicarum dictionum permultæ reſpiciunt, inquireretur. Inſignis præ ceteris illa eſt in rem numariam & pondera menſuraſque veterum excurſio, quam illa in *Phormione I, 1, 9,* dictio, *unciatim comparcere,* peperit, octo ferme paginas implens. Plura non addimus, id unum ſufficere putantes a nobis indicatum, atque aſſeveratum, non fore Latinæ linguæ ſtudioſum, quem, horas aliquot huic opellæ indulſiſſe, pœniteat.

CONJECTURÆ, PRO ASSERENDO EPISCOPATU Sabionenſi S. Caſſiani, Martyris Imolenſis, id eſt, Foro-Cornelienſis, quas literatorum judicio & criſi ſubjicit ANTONIUS ROSCHMANNUS, J. U. Lic. S. C. ac R. M. Bibliothecarius, & Pro-Archivarius aulicus, Illuſtriſſ. Prov. Ordinum Hiſtoricus.

Brixinæ, apud Joannem Caſſianum Krapf, Aulico-Epiſcopalem typographum, 1748, 8.
Plag. 21.

Ignobile & obſcurum iſtius *Caſſiani* nomen eſt, unde optandum utique eſſet, ut Cl. hujus libri Autor uberiorem de vita ejus notitiam ſub initium diſquiſitionis ſuæ cum Lectoribus communicaſſet. Juſto etenim breviora ſunt, quæ ex voluminoſo illo & ſplendidiſſimo Opere, quod *Acta Sanctorum* in-

Digitized by Google

inſcribitur, ejusque *Tomo tertio Menſis Auguſti*, afferuntur, unde, Sanctum hunc Seculo quarto vixiſſe, inſolito antehac martyrii genere e medio ſublatum eſſe, (a diſcipulis enim ſtilis confoſſus, periit,) ejusque reliquias Piſauri & Comacli in Italia, bracchium vero ſigillatim Brixinæ, aſſervari, & religioſe coli, diſcimus. Ipſa interim quæſtio, de qua præſens ſcriptio agit, in eo vertitur, an Præſul Sabionenſis, qui Epiſcopatus poſtea Brixinam translatus eſt, *Caſſianus* noſter fuerit. Pro vero illud ſumſit turba ineptiſſimorum hominum, qui olim vitas Sanctorum ſine omni delectu ex inquinatis fontibus congerere ſolebant, quos inter *Petrus de Natalibus*, nec non ipſe *Baronius*, mendaciorum notus ille venditor, agmen ducunt. Cum autem poſtea Antwerpienſes Patres, ſocietati Jeſu adſcripti, in opere, ſupra laudato, maturiori cogitatione, & majori dexteritate, illas narrationes examinarent; in alia omnia his concedere, & Epiſcopatum Sabionenſem *Caſſiani*, de quo quippe nullus antiquorum, v. c. *Prudentius*, *Gregorius Turonenſis*, alii, de *Caſſiano* alioqui multa proferentes, tacent, in dubium vocare, imo negare, viſum eſt. Clariſſ. *Roſchmannus* vero, cujus inſigne ingenium, eruditionem, & in antiquitatibus patriæ ſuæ illuſtrandis diligentiam, jam alio tempore laudavimus, non committendum eſſe cenſuit, ut ejusmodi decus eccleſiæ Sabionenſi, adeoque & Brixinenſi, adimatur; unde in ſtabilienda hac de S. *Caſſiani* præſulatu narratione, & diſcutiendis Antwerpienſium, aliorumque Criticorum, dubiis, ſummopere laboravit. Quibus igitur argumentis ille hanc in rem fuerit uſus, nobis jam indicandum eſt. Ad dubia nimirum diſſentientium primo loco reſpondet, poſteaque, *Caſſianum* Sabionenſem fuiſſe Epiſcopum, novis argumentis comprobare ſtudet. *Petrum de Natalibus*, qui Seculo decimo quarto ſatis adulto floruit, neutiquam primum de *Caſſiani* præſulatu quædam in literas retuliſſe, ſed antiquiora adeſſe hanc in rem documenta, urget. Provocat nempe ad Codicem MStum, in Cœnobii *Georgiani* ſcriniis latentem, qui *Paſſionale S. S.* inſcribitur. Eundem a *Bartholomæo Tridentino*, cive Tirolenſi, qui Seculo decimo tertio floruit, conſcriptum fuiſſe, multis argu-

Pag. 8. mentis comprobare ſtudet, in eoque verba illa legi: *Caſſia-*
nus, primus Sabionenſis Eccleſiæ, quæ nunc Brixina dicitur, Epi-
ſcopus, nos docet. Quanti pretii hoc ſit teſtimonium, aliorum
ſit judicium. Nos profecto vix perſuaderi nobis patiemur, homi-
nem, Seculo decimo tertio, barbaro illo, ſuperſtitioſo, & obſcuro,
viventem, rei, quæ Seculo quarto accidiſſe fertur, teſtem claſſi-
cam dici poſſe. *Prudentium* in hymno, quem in laudes iſtius
Martyris confecit, nil de ejus Epiſcopatu Sabionenſi dicere,
concedit quidem, ſed, cum iſte vates nil niſi martyrii ge-
nus inſolens, & antehac inauditum, ſibi decantandum ſumſe-
rit, exinde nihil pro neganda hujus præſulatus veritate exſcul-
13. pi poſſe, contendit. In *Martyrologio Uſuardi*, a ſodalibus Ant-
werpienſibus A. 1714 edito, hæc verba legi: *Caſſiani, Epiſcopi*
& Martyris, obſervat. Nihil interim de ætate hujus marty-
rologii attulit, neque, lectionem horum verborum dubiam eſ-
15. ſe, diffitetur. Reliquos ſcriptores, de *Caſſiano* verba facientes,
ſua ex *Prudentio* hauſiſſe, & inde non mirum eſſe debere,
18. hos omnes de ejus Epiſcopatu tacere, urget. Imolenſem
Epiſcopum *Caſſianum* fuiſſe, negat, & contradicentium argu-
19. menta refellit. Corpus *Caſſiani* Brixinæ ſepultum eſſe, id quod
Adamus Walaſſerus in *Martyrologio Germanico* perhibet, negat,
20. nullis eam narrationem teſtimoniis niti, contendens. Imolæ
23. potius exuvias Sancti hujus terræ mandatas eſſe, judicat. In
multis Diplomatibus S. *Caſſiani* tanquam Martyris, non vero
24. tanquam Epiſcopi, mentionem injici, haud quidem negat, at,
quamplurimos etiam Præſules alios, martyrium perpeſſos, ſi-
ne dignitatis Epiſcopalis mentione, ſimpliciter *Martyres* dici,
27. obſervat, plurimisque exemplis comprobat. *Caſſianum* anti-
28. quiſſimis jam temporibus Sabionæ cultum eſſe, eadem docu-
menta loquuntur. Templum in iſtius Sancti honorem a *Theo-*
done Bavaro Sabionæ exſtructum fuiſſe, oſtendere ſtudet.
29. *Burgklechnerus*, Hiſtoricorum Tyrolenſium princeps, in de-
ſcriptione rerum Tyrolenſium, quam *Aquilam* inſcripſit, Epi-
ſcopatum *Caſſiani* itidem vocavit in dubium. Ejus igitur ar-
31. gumenta Cl. Autor affert, ad ea reſpondens, Sabionam ve-
teribus non ignotam fuiſſe, ſed ſub nomine *Sublavionis* in iti-

nera-

nerariis, & tabula *Peutingeriana*, comprehendi, urget. Ante tempora S. *Ingenuini*, qui duobus Seculis poſt *Caſſianum* vixit,& Sabionæ ſedit, Epiſcopos iſtius loci præter *Caſſianum* alios adhuc fuiſſe, contendit, ſed, ſi vera fateri licet, argumentis ſane ficulneis ad ſententiam ſuam ſtabiliendam utens. Si *Caſſianus* Pag. 33.
primus fuiſſet Sabionenſis eccleſiæ paſtor,plura in ejus honorem templa exſtructa fore,diſſentientes urgent.Verum, hoc ad evertendam de Epiſcopatu noſtri opinionem nihil facere, Autor contendit, cum celebratiſſimi deprehendantur Epiſcopi, quorum nomina vix unum, aut alterum, templum præ ſe ferat, id quod variis docet exemplis. Imo, ſatis multa templa, aras, 34.
& picturas, honori Martyris hujus ſacras, hic & illic deprehendi, a diſſentientibus nondum obſervatas, nos docet. Diſcuſſis, 35.
ut ipſi videtur, adverſariorum dubiis, ad ſtabiliendam de *Caſſiani* præſulatu ſententiam ſemet accingit Cl. Autor. Cum Sanctus ille ſub *Diocletiani* imperio martyrium ſubiiſſe dicatur; neceſſario probandum erat Autori, illis jam temporibus Chriſtianam religionem per ea loca, quæ ſanctitatis fama *Caſſianus* illuſtravit, fuiſſe diſſeminatam. Hodiernam igitur Tyrolin ſub nomine Galliæ a Geographis Græcis comprehendi, obſervat. Eandem provinciam Italiæ fuiſſe accenſitam, ex *Notitia dignitatum Imperii* docet, hisque præſtructis, *Lucam Evangeliſtam* in illa loca doctrinam Chriſtianam intuliſſe, ex loco *Epiphanii* (dummodo is pro teſte claſſico habendus) probare ſtudet. Reliqua certe, quæ ex *Lactantio & Hieronymo* 42.
hanc in rem afferuntur, nullius ſunt ponderis, & *Conringius* jamjam,in Diſſertatione *de Conſtitutione Epiſcoporum Germaniæ*, talium argumentorum nervos incidit. Plures dein, ſat ingenioſas, affert conjecturas, unde, Chriſtianam religionem antiquiſſimis jam temporibus per ea loca floruiſſe, veri ſit ſimile. Anti- 46.
quam Rhætiam a Romanis valde frequentatam fuiſſe, egregio eruditionis apparatu docet, & exinde, Chriſtianos, quorum quippe inſignis numerus inter legiones Romanas deprehendebatur, primis jam P. C. N. Seculis ibi commoratos eſſe, conjicit. Nos duntaxat miramur, Cl. Autorem Romam Apoſtolorum principis ſedem dicere non vereri, cum tamen hodie 50.
omnia, quæ de præſulatu *Petri* Romano dicuntur, ad fabu-

las ab eruditis merito relegentur. Nullos Rhætiæ Epiſcopos
Conciliis Italiæ antiquiſſimis ſubſcripſiſſe, concedit quidem,
verum, cum generatim paucos admodum Epiſcopos, qui pri-
mis Conciliis ſubſcripſerint, reperiri, conſtet, nihil exinde ad
Pag. 56. infringendam ſententiam ſuam deſumi poſſe, urget. Varia
monumenta, in quibus Epiſcopos Sabionenſes, qui ante *Inge-*
61. *nuini* tempora floruerunt, memorari credit, affert. In vicinis
Rhætiæ eccleſiis circa medium Seculi tertii Epiſcopos jam
fuiſſe, *Hanſitzii* autoritatem ſecutus, affirmat, &, inde veriſi-
70. mile fieri, neque Rhætiam, Romanis quippe vicinam, & plu-
rimis urbibus nobilitatam, præſulibus caruiſſe, concludit. Ca-
talogum Epiſcoporum Sabionæ quondam exſtitiſſe, conjicit,
quem ad noſtra tempora non perveniſſe, dolet, cum ex ejus-
modi indicibus, non vero ex *Martyrologio Romano*, notitia præ-
75. ſulum debeat hauriri. Sabionam ſub inſpectione Mediolanenſis
primatis fuiſſe, pro certo ponit. S. *Ambroſium* ſumma cura la-
boraſſe, ut Epiſcopi probi, & orthodoxi, eccleſiis, ſibi ſubje-
78. ctis, præficerentur, docet. Eandem igitur curam ſucceſſo-
res *Ambroſii* Mediolanenſes occupaſſe, veriſimile ipſi videtur.
Inde ergo, *Caſſianum*, Imolæ quippe natum, ſedi Sabionenſi
conſilio & opera præſulis cujusdam Mediolanenſis præfici fa-
80. cile potuiſſe, concludit. Proba eſſent, quæ hic affert Cl. Au-
tor, dummodo demonſtraſſet, *Diocletiani* jam temporibus Me-
diolano ſubfuiſſe Sabionam, qua de re vehementer dubita-
mus, cum Exarchi, ſeu primates, qualis Mediolanenſis præſul
fuit, in Concilio Conſtantinopolitano I, A. C. 381 celebrato,
demum introducti fuerint. Sed pergimus. Ex regiſtro quodam
antiquo, quod in ſcriniis Capituli Brixinenſis aſſervatur, nec
non ex quodam Breviario MSto, patet, S. *Caſſianum* Sabionam,
Evangelii prædicandi cauſa, miſſum eſſe. Utrumque interim
MStum Seculo XV non eſſe antiquius, ipſemet Cl. Autor
non diffitetur. Et, quamvis ille, Codices illos ex antiquioribus
deſcriptos eſſe, omni opera comprobare nitatur, nos tamen
exiſtimamus, locos, ex eo citatos, Autori potius contrarios eſſe.
Non ſolum enim de præſulatu noſtri altum ibi ſilentium, ve-
rum etiam in Breviario citato diſertis verbis *Apoſtolus* vocatur
84. *Caſſianus*. Jam vero differentia eſt inter *Apoſtolum* atque *Epiſco-*

pum

Digitized by Google

pum, cum ille per plurimas terras doctrinæ cauſa ambulet, hic contra certæ cuidam ſedi adſcriptus ſit. Idem dicendum de Breviariis & Miſſalibus reliquis, ex quibus multa, ad celebrationem officii hujus Martyris pertinentia, Cl. Autor apponit. Frequentiſſime in illis *Martyr*, ſæpius *Apoſtolus*, rariſſime Pag. 90. *Pontifex*, & *Epiſcopus*, dicitur. Omnes inſuper hoſce Codices trecentorum annorum antiquitatem non ſuperare, ipſemet Autor fatetur. In alio quodam hymno dicitur quidem *Caſ-* 94. *ſianus* Brixinam, ut nobilis paſtor rexiſſe, ſed, recentioris 99. Poetæ opus eſſe hunc hymnum, vel nomen Brixinæ indicat. Alios præterea Codices liturgicos, quos ante quingentos circiter annos fuiſſe conſcriptos veriſimile eſt, pro ſententia ſua ſtabilienda Cl. Autor affert, inque illis S. *Caſſianum* Epi- 102. ſcopum Sabionenſem dici, allatis quibusdam eorum locis, nos docet, quæ omnia, ſi tempus, quo vixit, *Caſſianus*, conſideres, recentiora, neutiquam vero coæva ſunt. Coronidis loco, hymnum *Prudentii* de S. *Caſſiano* integrum apponit, notasque 117. eidem ſubjicit, in quibus quamplurima, eruditis affatim jam nota, ne dicamus vulgaria, ad antiquitates librarias maximam partem pertinentia, Autorem congeſſiſſe, deprehendimus. Varias denique obſervationes, ad inſtitutum ſuum pertinentes, adſtruit. Brixinam, in Diplomate Eccleſiæ Friſingenſis, Seculo nono confecto, jam occurrere, notat. Seculo decimo Epi- 134. ſcopatum Sabionenſem Brixinam eſſe translatum, ex Diplomate *Ottonis II* apparere, dictitat. Cum, ſententiæ ſuæ ſtabiliendæ 136. cauſa, varios hymnos, verſibus leoninis concinnatos, Cl. Autor adduxerit, quales verſus Seculo decimo & undecimo antiquiores non eſſe, viri literati adhuc crediderunt, eorum quidem opinionem is confutat, &, Seculo nono tales verſus conſici jam ſueviſſe, allatis quibusdam ſpeciminibus oſtendit. Per 140. Beconenſem eccleſiam, cujus in libello, a ſchiſmaticis ad *Mauritium* Imperatorem ſcripto, mentio injicitur, Sabionenſem 159. intelligi eccleſiam, exiſtimat, & exinde, ante S. *Ingenuinum* Epiſcopos Sabionenſes jamjam exſtitiſſe, concludit. Supple- 162. menti denique loco, pauculas quasdam obſervationes, in ipſo libro omiſſas, ad calcem ejus Cl. Autor rejecit. Quodſi de univerſo ejus ſcripto libere nobis judicare licet, neutiquam exiſti-

Digitized by Google

mamus, Antwerpienſes Sodales, qui *Acta Sanctorum* tanto acumine, & dexteritate tanta, collegerunt, poſt hujus libri lectionem ſententiam ſuam de S. *Caſſiano* mutaturos eſſe. Omnia certe, quæ Cl. Autor de præſulatu ejus Sabionenſi attulit, recentiora ſunt, & conjecturis, admodum longe petitis, innituntur. Cum vero in rebus hiſtoricis haud liceat quidquam ſine certo coævi ſcriptoris teſtimonio pro vero ſumere; nos quidem, *Caſſianum* Epiſcopum Sabionenſem fuiſſe, tamdiu negamus, donec certiora afferentur hanc in rem documenta. Certe, cum Cl. Autor ipſemet concedat, Martyrem hunc, Imolæ conſtitutum, Notarii vices obiiſſe, ibique a diſcipulis obtruncatum eſſe, ea ipſa res argumento eſt, *Caſſianum* non fuiſſe Epiſcopum, cujus profecto vitæ genus cum certo loco alligat, neque extra locum præſulatus evagari, & pueros alibi inſtituere, permittit. Dubio procul igitur Sanctus hic, ſæpe laudatus, Apoſtolum agens, verbum Dei Sabionæ prædicavit quidem, ſed nunquam ejus loci antiſtes fuit.

JACOBI BURCKHARDI HISTORIÆ BIBLIOTHECæ Auguſtæ, quæ Wolffenbutteli eſt, Pars II, qua analecta ad Partis I Librum I continentur. Accedunt HERMANNI CONRINGII & ATHANASII KIRCHERI, aliorumque Clariſſ. Virorum, ad ipſum munificentiſſimum Bibliothecæ conditorem maximam partem ſcriptæ, eæque nondum editæ, Epiſtolæ, uberiora ſaltem ex iis excerpta, quibus & ipſius Bibliothecæ, & Reipublicæ literariæ, hiſtoria illuſtratur.

Lipſiæ, typis Breitkopfianis, ſumptibus Jo. Chriſtophori Meiſneri, Bibliopolæ Wolffenbutteli, 1746, 4.

Alph. 1.

Ipſe Cel. Autor profitetur, hanc *Partem* æque Miſcellanea literaria potiſſimum ex Auguſta Bibliotheca nominari poſſe. Juverunt eum in illa conſcribenda *Conringii Boineburgii*que Bi-

Bibliothecæ, præſertim ad memorias *Leibnitii* & *Jul. Henr. Blumii* renovandas. Adhæc potiorem occupant locum vel ex Epiſtolis excerpta, vel totæ literatiſſimorum & illuſtrium Virorum Epiſtolæ. Objicit hic ſibi *Burmanni* querimoniam ex Præfatione *Sylloges Epiſtolarum, a Viris illuſtribus ſcriptarum, Tomi II* depromtam; at ejusdem verbis ex Præfatione, *Petri Cunæi*,& doctorum virorum ad eundem,Epiſtolis,ab ipſo editis, præmiſſa, illud judicium utique ſapienter convellit. Novam etiam objectionem, de ſtilo Latino ſumtam, optime diluit. Genius ſeculi denique linguarum etiam vult arbiter evadere, coercere literatam, patrias, & inprimis Gallicam,amplificare, laborans. Accedit ignorantia, pigritia, cupiditas aliud quidquam gignendi. Quam ſpecioſa ſunt argumenta, quam fuſus iſte comitatus, non tabernis,ſed palatiis, aſſuetus; tam valde timenda eſt literarum elegantiorum indidem ortura pernicies. Nolumus indulgere vaticiniis; aſſentimur autem Ill. *Burckbardo*, quibus unius oloris judicium pluris eſt, quam ſexcentorum anſerum ſtrepitus. Hinc potius progredimur ad excerptorum ex Epiſtolis etiam pragmaticis defenſionem. Fit eadem *Boineburgii* verbis, *Conringio* ſcribentis: *Grotiana ad Ludovicum Camerarium Epiſtolæ lectæ mihi jam pridem; profecto merentur edi: neque quidquam inde periculi. Tempora enim mutantur, & nos mutamur in illis.* Tandem is defendit, quas exteri Germanorum in ſcriptis ſugillant, largiores obſervationes. Noſtra ſi quid valet opinio, peccatur hic intra muros Iliacos & extra.Parum agunt,qui res etiam hiſtoricas & antiquarias ſua ſaltem fide credi volunt, aut contextum evagationibus ac diſceptationibus turbant; nimium vero, qui philoſophicas meditationes non neceſſario ſcriptorum onerant cumulo. Sed, his minus impediti, ad luſtrationem ipſius *Partis* progredimur. Eadem complectitur *tria Capita*, quorum *primum* analecta continet, ſcilicet ſcriptorum, quibus Autores varii Sereniſſimi Ducis *Auguſti* vitam atque laudes perſecuti ſunt, enumerationem ſuppletam; Sereniſſimi Ducis elogiorum continuationem; monumentorum, quæ ab Auguſtiſſimi Ducis ingenio divino profecta ſunt, & argumenti varii ſcriptorum, auſpiciis illius editorum,

rum, deſignationem illuſtratam. Uberius inprimis explicatur, quam prolixam voluntatem Sereniſſimus Dux in *Jo. Andr. Boſii, Fl. Joſephi* Opera accuratius edendi, conatu adjuvando declararit; quanta cura & ſolicitudine novam ſacri Codicis interpretationem, a *Jo. Sauberto* adornandam, optimus Princeps promovere contenderit; & quid *H. Conringius* Epiſtola ſua apologetica profecerit. *Caput ſecundum* exhibet epiſtolica *Conringiana* prima, vel obſervationes variæ eruditionis, ex *H. Conringii* Epiſtolis, ad munificentiſſimum Auguſtæ Bibliothecæ conditorem ſcriptis, iisque nondum editis, collectas. *Ultimum* habet *Athanaſii Kircheri*, Soc. Jeſu, varias, & multiplici doctrina refertas, Epiſtolas, ad munificentiſſimum Auguſtæ Bibliothecæ conditorem ſcriptas. Accedunt excerpta ex ejusdem Epiſtolis, ad *Jo. Ge. Anckel*, Sereniſſ. Ducis *Auguſti* negotiorum, Auguſtæ Vindelicorum curandorum,
Pag. 57. adminiſtrum, exaratis. Nos demum adhuc ex iisdem vel perpauca ſpecimina ſubjungimus. *Auguſti* labores a *Calovii* petitionibus defendendi, felices *Conringii* conatus percenſet *Burckhardus*, aliorumque laudat conſenſionem, e. g. *H. Dieterici* Epiſtolam ad *Conringium*, Brunſuiga ſcriptam,
58. ut & *Friſchmuthi*, *Dillherrii*, atque aliorum, Epiſtolam *Conringii* apologeticam collaudantium. Laudatur & excerpitur eadem occaſione *J. H. Hottingeri* ad *Conringium* Epiſtola,
89. d. 9 Jul. A. 1665 ſcripta, neque minus Ducis ipſius ad *Hottingerum*. Porro memorantur operis *Reuſneriani*, quod *Epiſtolarum Turcicarum variorum & diverſorum Autorum Libri XIV* inſcribitur, Francofurti A. 1598, 1599, & 1600, in 4, editum, maxima raritas, ut & ejusdem *Nic. Reuſneri* opus Orationum &
90. conſiliorum contra Turcas, a viris prudentibus conſcriptorum, vel, ut titulus habet, ſelectiſſimarum Orationum & conſultationum de bello Turcico variorum & diverſorum Autorum *Volumina IV*, Lipſiæ, 1596. At quem inveniremus exitum, ſi vel æque, vel magis, notabilia quælibet obſervaremus? Ipſam potius totius libri lectionem cuilibet, rei literariæ amanti, &, quæ huc maxime pertinent, ſciendi cupido, ſtudioſiſſime commendamus.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLI.

Pars I.

THE HISTORY OF POPES, &c.

id eſt,

HISTORIA PAPARUM A PRIMA SEDIS ROMANæ origine usque ad noſtram ætatem Autore ARCHIBALDO BOWERO, primum Profeſſore Publico Rhetorices, Hiſtoriarum, Philoſophiæ, in Academiis Romana, Firmienſi, Maceratenſi, deinde Conſiliario Inquiſitionis. Editio altera.

Volumen I.

Londini, apud A. Millar, & W. Sandby, 1749, 4 maj. Alph. 2 plag. 10.

Romæ adhuc degens Autor, hoc opus aggreſſus erat, & jam ad finem Seculi II perduxerat, eo quidem fine, ut *ſupremàtum*, quem vocat, Papæ aſſereret, & extra omnem dubitationis aleam poneret. Oſtenſurus erat, eccleſiam omni omnino tempore illum agnoviſſe. Mox autem, veritatis lumine convictus, animum mutavit, & illam, quam confutare voluerat, ſententiam fuit amplexus. In Anglia igitur, quod inceperat, opus denuo fuit aggreſſus, longe alio, quam antea, conſilio. Soli veritati litaturus, Hiſtoriam

Paparum ad veritatis normam contexere ſtuduit, videns, integra & omnibus numeris abſoluta carere adhuc orbem eruditum. Nec enim, quod *Anaſtaſius*, *Platina*, alii, ſcripſerunt, perfectæ & exactæ Hiſtoriæ nomen meretur. Ille, cognomine Bibliothecarius, e fontibus minime puris hauſit, fictis nempe, aut corruptis, martyrologiis, legendis, &c.; unde evenit, ut coævis ſcriptoribus non raro contradiceret. Autor, qui tam ſæpe halucinatur, merito ſuſpectus eſſe debet; magis tamen in Seculis ab ipſo remotioribus, in quorum hiſtoria plurimos decepit, antea deceptus ipſe. *Platina*, conciſam *Anaſtaſii* dicendi rationem ſecutus, transſcripſiſſe verius ex aliis, quam ſcripſiſſe, hiſtoriam Paparum dicitur. Et *Anaſtaſius* & *Platina*, vi diſcernendi non adeo pollentes multa, quæ dici debuiſſent, omiſerunt; multa, quæ omitti fas erat, protulerunt. *Onuphrius Panvinius* ob doctrinæ copiam magis, quam ob veri amorem, videtur commendandus. Qui poſt illos ſcripſerunt, veritati tam parum ſtuduere, ut vel levis operum, quæ in lucem ediderunt, adſpectus abunde id doceat. Alii laudibus ubique cumulantur, vituperiis alii. Partium ſtudium ad illud Guelphos impulit, ad hoc Gibellinos. Aut hos, aut illos, ſecuti ſunt recentiores. Inde nec vera omnino, nec omnibus numeris abſoluta, gaudemus Epiſcoporum Romanorum hiſtoria. Autor defectibus hiſce mederi, & nunc optimam, ut antea peſſimam, cauſam, pro viribus, quibus pollet, defendere, apud ſe conſtituit. Hinc non Paparum modo, ſed Papatus etiam, ſeu Romanæ eccleſiæ doctrinarum, hiſtoriam opus ipſius continebit. Harum originem evolvet, &, quam lubrico nitantur fundamento, monſtrabit. Quod ad illas inprimis attinet aſſertiones, Papam eſſe Chriſti in terris Vicarium, ſupremum eccleſiæ caput, & ducem fallere neſcium ad ſalutem clariſſime oſtendet, prima Chriſtianæ fidei ætate inauditas omnino fuiſſe; cum autem introductæ fuerint non uno tempore, ſed ſenſim ſenſimque, ſine armis, contra communem hominum veri ſenſum, inſignem Paparum prudentiam, & fertile ingenium, ſatis inde elucere. Duæ tamen fuerunt cauſæ adjutrices ad hoc conamen, ignorantia homi-

hominum, & aſtutia eorum, quibus Papæ tanquam emiſſariis uſi ſunt. *Phocas*, ſceleſtus ille homo, primus Epiſcopum Romanum Conſtantinopolitano antetulit. Sed ſic Papa primus tantum inter æquales factus fuit, non novam potentiam accepit. Succeſſores *Gregorii M.*, nolentes *ſupremat̄um* ſedis ſuæ Imperatori in acceptis ferre, negarunt hoc beneficium, a *Petro* ſuam derivarunt dignitatem, & divini juris eſſe voluerunt. Ut hoc eo facilius impetrarent, diſſidia Principum effecerunt, qui amicitiam Papæ omni conatu conciliare ſibi ſtudebant. Tantam vero, quantam poſtea ſibi arrogarunt, potentiam ab illo ſtatim initio quæſiviſſe, aut ſperaſſe, Papas, credi vix poteſt. Hiſtoria id docet, & in ſuo id opere docebit Noſter. Hic omnem operam navavit, ut, quod aſſerit, talium autoritate teſtium fulciret, qui idonei, coævi, fide digni, eſſent. Nec partium ſtudio ſe abripi paſſus eſt. Chronologiam ſedulo evolvit, *Euſebium* in primis Seculis ſecutus. In *Baronium* tantum non ubique, & omni data occaſione, animadvertit. Notas textui adjecit, nonnunquam longiores, quibus hunc aut illuſtrat, aut vindicat.

De *Petro* primo loco agit Autor, ut traditioni aliquo modo cederet. Nec enim Romæ unquam fuiſſe *Petrum*, ex ſi- Pag. 1.
lentio Autorum coævorum, *Pauli* inprimis, & *Petri* ipſius, 2.
fuſe, poſt alios, probat Noſter. Sola traditio docet, *Petrum* Romæ fuiſſe. Sed eadem traditio docet, *Paulum* in Hiſpa- 3.
niam fuiſſe profectum; quam tamen ſententiam Papa *Innocentius I* rejecit. Quare illud, non hoc ſimul, articulus fidei cenſetur, cum utrumque æquali autoritate nitatur? *Paulus* 5.
iisdem, quibus *Petrus*, teſtibus Epiſcopus Romanus vocatur; ſed neuter illo, quo Papæ aſſeclæ volunt, ſenſu, fuit aut Epiſcopus, aut Papa. Inſtituiſſe *Paulum* & *Petrum* Epiſco- 6.
pos, volunt Autores, qui allegantur. Nec enim ipſi *Petrus* & *Paulus* Epiſcopi eſſe potuerunt, cum hoc munus cum Apoſtoli officiis conſiſtere nequiverit, qui non uno in loco permanere, ſed per varias terras ſemen verbi divini ſpargere, debebant. *Jacobus* quidem Epiſcopus Hieroſolymitanus vocatur, & Apoſtolus fuiſſe dicitur; ſed poſterius, Apoſtolum

Digitized by Google

nempe ipſum fuiſſe, omni caret autoritate. Et, quamvis fuiſſet, eo jure, quo Hieroſolyma gaudebat, mater fidelium, centrum fidei, ubi plurimi converſi erant, non ſtatim alia civitas gaudere poterat. *Petrus* eo minus Epiſcopus unius loci eſſe poterat, quod, tanquam *Apoſtolus circumciſionis*, omnes variis in locis diſperſos Judæos ad veram fidem per-
Pag. 7. ducere deberet. Nomen ſedis Apoſtolicæ non Romæ ſolum datum fuit, ſed aliis etiam civitatibus, quas Apoſtoli Epiſcopis ornarunt. Hac data occaſione de cathedra *Petri*, a *Lucheſinio* defenſa, quæ olim oſtendebatur, ea profert Noſter,
8. quæ apud nos ſatis jam nota ſunt. Tandem concludit, in urbe Roma fortaſſe *Petrum* fuiſſe Epiſcopum, non Romæ, ſenſu eodem, quo Papa diſtinxit inter Regem in Hetruria, & Hetruriæ. Epiſcopi ſcilicet munus Romæ potuit exercere:
9. non proprie, & ſolius Romæ, fuit Epiſcopus. *Linum* primum fuiſſe Romanæ eccleſiæ Epiſcopum, contra *Tertullianum*, & Latinos in univerſum omnes, *Hieronymus* aſſeruit. Hujus aſſertio noſtris etiam temporibus prævaluit, & a graviſſimis poſt Seculum IV Autoribus accepta fuit, quorum teſtimonium Autor etiam Apoſtolicarum Conſtitutionum con-
10. firmat. *Hammondi* ſententiæ, *Clementem*, quod ad Judæos attinet, Apoſtolorum, reſpectu autem gentilium *Anacleti*, fuiſſe ſucceſſorem, nec *Pearſonius*, nec, omni ex parte, Noſter, ſubſcribere voluerunt. Veteres de *Lino* commemorant, eundem ipſum fuiſſe, cujus *Paulus* 2 *Tim. IV*, 21, facit mentionem; matrem fuiſſe *Claudiam*, eodem loco commemoratam; vitam ejus, & mores, magno apud populum applauſu fuiſſe exceptos. Martyrium paſſum fuiſſe, autoritate caret.
11. Mortuum fuiſſe, cenſet Noſter, A. P. C. 78. *Cletus* idem eſt,
12. qui alias *Anacletus*, aut *Anencletus*, vocatur. Cauſa erroris, quod ex una duæ perſonæ factæ ſint, hæc Autori videtur fuiſſe, quod a Græcis, & *Hieronymo*, ante *Clementem*, ab *Auguſtino* autem, & *Optato Milevitano* poſt eum, collocetur hic Papa, & ab aliis *Cletus*, *Anacletus* ab aliis, nominetur. Hinc, cum nomina, & loca, differrent, differre etiam perſonas, Au-
13. tores judicarunt. De martyrio ejus nihil certi conſtat; & decre-

decretales, ipſi ſuppoſitæ, nullam fidem merentur. Hac data occaſione de decretalibus Pontificum Noſter quædam monet. Illas, quæ ante *Syricium* ſcriptæ dicuntur, cum noſtri ævi Autoribus rejicit; fulcrum tamen præcipuum papalis *ſupre-*
matus fuiſſe monſtrat. Primum in lucem edidiſſe decreta- Pag. 14.
les non *Riculphum*, Moguntiæ Epiſcopum, quod vult *Hinc-*
marus, nec ignotum quendam Germanum, aut Francum,
quæ *Eliæ Pinii* fuit ſententia, ſtatuit Noſter; ſed *Benedictum* 15.
quendam, eccleſiæ Moguntinæ Diaconum, easdem finxiſſe
cenſet. *Clemens*, quem nonnulli cum *Flavio* quodam *Cle-*
mente confundunt, plurimi diſcipulum Apoſtolorum fuiſſe
contendunt, ob Epiſtolam ſuam ad Corinthios præcipue no-
tari meretur. *Photium*, qui errores in illa inveniſſe ſibi vi- 16.
ſus eſt, jure Noſter taxat, &, genuinam hanc Epiſtolam eſſe,
cum noſtratibus contendit. De miraculis, *Clementi* afflictis, 17.
cum ſileat *Irenæus*, Autor coævus, qui alia multa de eo com-
memorat; ſatis patet, quid de iis tenendum ſit. Alia ſcripta, 18.
quæ *Clementi* tribuuntur, eſſe ſuppoſititia, fuſe a pluribus, &
ab Autore ſolide, demonſtratur. Canones Apoſtolorum, ipſi 20.
adſcriptos, ante Concilium Conſtantinopolitanum, A. C. 394
habitum, nullibi allegatos invenit Noſter. Poſt *Evariſtum*, 21.
Alexandrum, & *Sixtum*, de quorum martyrio, & ſcriptis, pau- 22.
ca monet Autor, *Teleſphorus* ſequitur, primus martyr, ſecun- 23.
dum *Irenæum*. In vita *Pii*, qui *Hygini* fuit ſucceſſor, ubi 24.
de *Marcione* loquitur, occaſionem arripit *Bowerus*, oſtenden- 25.
di, nec hunc Papam tanquam fallere neſcium aut ſe ipſum
geſſiſſe, aut ab aliis habitum fuiſſe. Idem de *Aniceto* docet, 27.
ubi de *Quartodecimanis* ſermonem inſtituit. Non *Eleuthe-*
rium, qui *Soterem* ſecutus eſt, ſed *Victorem*, *Eleutherii* ſuc-
ceſſorem, prophetias *Montani* approbaſſe, ex temporum ratio- 31.
ne, contra *Caveum*, & *Pearſonium*, monſtratur. In *Bedam*, 32.
& illos, qui ipſum ſecuti ſunt, *Lucii*, Britanniæ Regis, conver- 33.
ſionem narrantes, animadvertit Noſter, ſilentio coævorum, 34.
aut *Beda* antiquiorum, fultus. In vita *Victoris*, ubi de *Monta-* 36.
niſtis agitur, *Baronius* & *Bellarminus* taxantur. Diſſidia, ob 37.
celebrationem paſchatos exorta, enarrantur, & Papæ tentamen 40.

Pag. 41. primum Papalis uſurpationis ſpecimen appellatur. De *Ze-*
phyrino agens Autor, locum quendam in libro *Tertulliani de*
42. *Pudicitia* expendit, ubi hic Epiſcopum quendam, quem *Baro-*
nius, & alii, Romanum fuiſſe contendunt, Epiſcopi Epiſco-
porum, & aliis, titulis ornat, e quibus, licet, ut videtur, iro-
nice prolatis, primatum Papæ exſculpere volunt ejus aſſeclæ.
43. *Calliſti*, qui illum excepit, tempore, tot Martyres, quot Ro-
mani volunt, in cœlum intraſſe, Noſter ſibi nunquam per-
44. ſuadebit. De *Pontiano* agens, ſucceſſore *Urbani*, ſimul de
45. Pontificali, ſeu catalogo Pontificum, a *Bucherio* edito, expo-
nit accurate. Traditio, *Fabianum*, *Anteri* ſucceſſorem, mira-
culo quodam electum fuiſſe, columba humeris ejus inſidente,
locum fecit aſſertioni, Papam ſemper per Spiritum Sanctum
48. eligi. *Bonum* fuiſſe Epiſcopum, Noſter affirmat, *Cyprianum*
49. ſecutus. Quæ *Baronius* & *Bollandus* de eo narrant, breviter
expenduntur. Diſſidium, occaſione lapſorum, ut appellan-
tur, exortum, docet, nec tunc erroribus Papam immunem
50. fuiſſe judicatum. In vita *Cornelii*, quæ de lapſis, & eorum
51. receptione, de *Novatiano*, de *Novato*, & ejus doctrinis, de
Feliciſſimo & *Fortunato*, de perſecutionibus, inveniuntur apud
Autores fide dignos, diſerte Noſter enarrat & accurate. Quæ
59. fata *Cornelium*, poſtquam captus fuerat, manſerint, ignoratur,
cum fabulis plena ſint, quæ de ea re in Actis ipſius, apud *Be-*
dam, *Adonem*, *Anaſtaſium*, inveniuntur. De martyrio, reli-
quiis, & ſcriptis *Cornelii*, Autor in fine loquitur, expungens ex
his Epiſtolam ad *Lupicinum*, Viennenſem Epiſcopum. Hoc
60. jam *Launojus* & *Pearſonius* fecerant. *Lucii* nunc vita &
62. martyrium breviter enarrantur. Hunc *Stephanus* excepit, in
63. cujus vita de *Marciani* degradatione agitur, inſigni contra ſu-
64. prematum & infallibilitatem Papæ Romani argumento, cui
fini etiam Hiſpanorum Epiſcoporum, in cauſa *Baſilidis &*
Martialis, ad *Cyprianum* confugium inſervire poteſt. Fuſe
exponit Autor de rixis & diſſidiis, eam ob cauſam exortis,
num hæretici, aut ab hæreticis baptizati, in ſinum eccleſiæ re-
72. verſi, denuo ſacro lavacro tingi debeant. Quod, ea in re, fer-
vore ſuo peccaverat *Stephanus*, emendavit *Sixtus II*, paſſus

ſine

Digitized by Google

ſine dubio, unumquemque ſuo ſenſu abundare. *Dionyſius*, qui illum excepit, ſua lenitate conſpicuus fuit. In cauſa Pag. 75.
Dionyſii Alexandrini, qui erroris in doctrina de divinitate Chriſti accuſatus fuerat, non ſummi Epiſcopi partes egit; ſed id fecit, quod tum temporis æquales erga æquales facere ſolebant. Eodem fere tempore *Paulus Samoſatenus* damnatus 76.
fuit inſcio & inconſulto Papa Romano. Hac data occaſione, *Baronius* virgam Noſtri cenſoriam patitur. Contra eundem 77.
probatur, *Aurelianum* Papæ Romani ſupremaum non agnoviſſe. De *Felice*, *Eutychiano*, *Cajo*, parum in antiquis ſcri- 79.
ptoribus invenit Noſter. *Marcellinum* a calumnia liberat, 81.
quam Romani cœtus aſſeclæ ipſi adſperſerunt, idolis ipſum thura obtuliſſe, contendentes. Synodum Sinueſſanam nun- 83.
quam fuiſſe habitam, ſolide oſtendit. Martyrium *Marcelli-* 84.
ni in dubium vocat, &, vacuam fuiſſe poſt ejus obitum ſedem Papalem tribus annis, e Catalogo Paparum, quem *Bucherius* edidit, probat. De *Marcello*, quem cum *Marcellino* nonnulli confundunt, & *Euſebio*, parum certi conſtat. Hos ex- 86.
cepit *Melchiades*, cujus ætate *Conſtantinus* Imperator cœtui Chriſtiano ſe aſſociavit. De ſchiſmate illo Carthaginienſi, a Donatiſtis contra *Cæcilianum*, Epiſcopum, excitato, copioſe exponit Autor, & *Baronium* exſibilat, qui *Melchiadem*, ideo, 93.
quod ſynodus, cui præfuit, in Palatio Lateranenſi habita fuit, Principem fecit, & contendit, palatium illud ipſi a *Conſtantino* fuiſſe donatum. De Synodo Arelatenſi in vita *Sylve-* 94.
ſtri copioſe exponitur. Huic Synodo 33, non, ut *Baronius* vult, 200, Epiſcopi interfuere. Canon præcipuus fuit, feſtum paſchatos, in toto orbe, uno eodemque die celebrari debere. Poſtea decretum fuit, diem, quo celebrandum eſſet, 95.
ab Alexandriæ Epiſcopo indicandum eſſe Romanæ eccleſiæ Epiſcopo, ideo fortaſſe, quoniam Ægyptii Aſtronomiæ ſtu- 96.
dioſiores erant. Hunc morem Seculo adhuc quinto invaluiſſe, ex Hiſtoriæ monumentis Noſter evincit. Ex iisdem docet, illum hujus Synodi canonem, hæreticos non denuo eſſe baptizandos, quæ nunc eſt Romanæ eccleſiæ doctrina, Seculo hoc quarto non fuiſſe obſervatum. Alio Canone decernitur,

Digitized by Google

tur, illos, qui ſocietate fidelium excluſi eſſent, nullibi in ean-
dem recipi poſſe, niſi illo in loco, ubi excluſi, aut excommu-
nicati, fuerint. *Marinus*, Arelatenſis Epiſcopus, in ſubſcri-
ptionibus primum, legati *Sylveſtri* ſecundum, locum occu-
Pag. 97. pant. Altera Synodus, tempore hujus Papæ habita, fuit *Ni-
cæna*. *Vitus*, & *Vincentius*, Presbyteri, vices *Sylveſtri* geſſe-
runt. *Oſius*, Cordubenſis Epiſcopus, nec, tanquam legatus
Papæ, interfuit Synodo, nec, hoc titulo, vel potius plane non,
primum locum occupavit. Suo enim, non Papæ, nomine ſub-
ſcripſit, & *Euſtathius*, Antiochiæ Epiſcopus, primus in hac Sy-
nodo vocatur a *Joanne*, itidem Antiocheno Epiſcopo, *Facun-
do*, *Nicephoro*, & *Theodoreto*. Solus *Socrates* primum ei inter
98. ſubſcribentes locum aſſignat. *Euſebium*, Cæſareenſem Epiſco-
pum, longa oratione ſalutaſſe Imperatorem, concedi poteſt:
non autem ſub initium Synodi id factum putat Noſter, ſed
100. poſtea, cum Epiſcopi domum reverſuri eſſent. Hierarchia
eccleſiaſtica, *Sylveſtri* tempore, eam in formam red-
acta fuit, quam adhuc tenet, cum antea, præter Epiſcoporum,
Presbyterorum, Diaconorum, dignitates nulla alia nota fuerit.
De tribus hiſce muneribus copioſe Noſter diſſerit. Sub *Con-
ſtantino* ad normam civilis ſtatus eccleſiaſtica hierarchia fuit
105. accommodata. Hinc Exarchorum & Metropolitanorum ap-
pellationes derivantur. Inde Primatis etiam, Archiepiſcopi,
107. Patriarchæ, nomina originem duxerunt. In Africa non ea-
dem, qua in Italia, ratione ad normam civilis ſtatus accom-
modatus fuit eccleſiaſticus. Senior cujusvis provinciæ Epi-
ſcopus metropolitanus dictus fuit; non ille, qui metropoli
præeſſet. Metropolitanus alias Epiſcopus primariæ cujus-
dam provinciæ civitatis vocatus fuit. Sic & Primas, quæ ta-
men appellatio poſtea ſolis magnæ cujusdam civitatis Epiſco-
pis fuit conceſſa. Archiepiſcopi illi vocabantur metropolita-
108. ni, qui magna præ aliis autoritate pollebant. Seculo autem
VIII aliis etiam hoc nomen conceſſum fuit, immo & Epi-
ſcopis, qui alio titulo gaudebant nullo. Patriarchæ primum
omnes Epiſcopi appellati fuere, poſtea Exarchi, tum ſoli Epi-
ſcopi Romanus, Conſtantinopolitanus, Antiochenus, Alexan-

Digitized by Google

drinus, Hieroſolymitanus. Quæ jura fuerint, quibus Metropolitani, Primates, Patriarchæ, & Exarchi, gaudebant, nunc exponitur. Contendit tamen Noſter, Epiſcopum Romanum Pag. 109.
proprie non fuiſſe Exarchum, aut Patriarcham, cum non integram diœceſin ſibi ſubjectam habuerit, ſed ſuburbicarias tantum provincias; licet in his plus potentiæ exercuerit, quam Exarchi in ſuæ diœceſeos provinciis, quoniam illæ Metropolitanis carebant, & hinc jura eorum in Epiſcopum Romanum devolvebantur. Jus initiandi Metropolitanos ipſis 110.
non competebat, quod tamen eorum aſſeclæ volunt. Patriarchæ nomen honoris tantum titulus tunc fuit. De per- 111.
vulgata *Conſtantini* donatione nunc, ut ſolet, erudite agit Auctor; tum & de more baptizandi imminente morte, & de ſcri- 112.
ptis, *Sylveſtro* affictis. Synodus Romana, in qua confirmati 114.
Canones Synodi Nicænæ dicuntur, ſolide rejicitur. Idem ju- 115.
dicium fertur de eo, quod *Julius*, *Marci* ſucceſſor, Romæ habuiſſe dicitur, Concilio. Tum de turbis, ab *Arianis* contra 120.
Athanaſium excitatis, fuſe exponitur, ut & de Concilio Sardicenſi, in quo mos ad Epiſcopum Romanum provocandi primum introductus dicitur. *Oſius* hic ſuo, non Papæ, nomine 123.
primum locum occupavit. *Liberius*, *Julii* ſucceſſor, nunc in- 126.
trepidum, nunc meticuloſum & puſillanimem, ſe gerens, ſibi 127.
ipſe non conſtitit. Epiſtolam ejus ad *Athanaſium*, quæ fragmentis *Hilarii Pictavienſis* inſerta eſt, genuinam judicat Noſter contra *Baronium*, & editores *Hilarii*, e D. *Benedicti* Societate Monachos. Synodorum Arelatenſis, & Mediolanenſis, 128.
hiſtoria fuſe enarratur, & fata *Athanaſii* exponuntur. In- 136.
conſtantia & defectio *Liberii* vivis coloribus depingitur. *Fe-* 142.
licis res geſtæ enarrantur, &, qua ratione locus ipſi inter Sanctos conceſſus, & poſtea confirmatus, fuerit, oſtenditur. *Oſii*, Cordubenſis Epiſcopi, qui, exemplum *Liberii* ſecutus, a 148.
vera fide deſecerat, breviter, ſed plene, deſcribitur. Ex- 152.
cuſare illum aliquo modo contra *Hilarium Pictavienſem* conatur Noſter. Synodi Ariminenſis, & Seleucienſis, fuſius 153.
enarrantur. In notis de confeſſione ſic dicta Sirmienſi agi- 164.
tur, &, qua ratione a confeſſionibus, Nicææ in Thracia, & 165.
Qqq Ari-

Pag. 166. Arimini, exhibitis, differat, oſtenditur. *Liberium* ſubſcripſiſſe
confeſſioni Ariminenſi, putat Noſter, non ſine rationibus, quas
167. allegat, omni attentione dignis. De *Conſtantii* tentamine,
introducendi ubique doctrinam *Arianam*, quod tamen morte
168. ipſius abruptum fuit, nunc commentatur Autor. *Juliano*
Apoſtata imperante, orthodoxi, maximam partem, in antiquas
ſedes reverſi fuere, & inter hos etiam *Athanaſius*, qui A. C.
362 Synodum Alexandriæ celebravit, cujus hiſtoria diſtincte
169. enarratur. *Luciferum Calaritanum* a ſchiſmate, donec moreretur, non abſtinuiſſe, contra illos, qui in Sanctorum nu-
170. mero ipſum collocant, aſſeritur. Interim Synodus illa Alexandrina eccleſiam ab interitu ſervavit. De aliis pluribus Sy-
171. nodis in notis agit Autor. Anno autem P. C. 363 non Alexandriæ, ſed Antiochiæ, celebratam fuiſſe Synodum, & condemnatam *Macedonii* hæreſin, putat. Ibidem, hoc ipſo anno, alia Synodus habita fuit ſub *Meletio*, hujus civitatis Epi-
172. ſcopo. De ſecta Macedonianorum nunc agit Autor, quos *Li-*
174. *berius* in ſocietatem orthodoxorum ſuſcepit, poſtquam, fidem
175. Nicænam ſe amplecti, callide profeſſi fuerant. *Liberium* hæreſin *Arianam* non exſtinxiſſe, ſed *Hilario Pictavienſi*, & *Euſebio Vercellenſi*, hanc gloriam tribuendam eſſe, ex *Ruffino*
176. *Lib. III Cap. 30, 31*, probatur contra *Baronium*. Fabula de
177. origine & fundatione templi, *Mariæ* majori dicati, allegatur &
178. exploditur. Tandem de ſcriptis, *Liberio* aut vere, aut falſo,
179. attributis, agitur, & in *Baronium* animadvertitur. *Liberium* excepit *Damaſus*, de cujus fatis ante ipſius electionem tantum pauca, quæ fidem merentur, ab Autoribus afferuntur.
180. Varias narrationes Autor de *Damaſi*, & Antipapæ, *Urſini*, vel *Urſicini*, electione, ex Autoribus coævis affert, lectori relinquens judicium, uter legitime fuerit electus. De tumultibus, inde exortis, & de luxu Epiſcoporum Romanorum, diſſerit.
187. *Valentinianus* Imperator Epiſcopo Romano facultatem conceſſit judicium exercendi in alios Epiſcopos; quod ad tempus
188. tantum eſſe intelligendum, cum aliis Noſter etiam exiſtimat. Cau-
189. ſam evolvit, quare *Auxentius*, Arianiſmi reus, in Synodo Roma-
190. na cum aliis non fuerit damnatus. Legem, quam contra Cleri-

corum

corum avaritiam *Valentinianus* rogavit, neceſſariam tunc fuiſ- Pag. 191.
ſe, ex *Hieronymi* verbis allatis oſtenditur. Aliarum etiam 193.
legum, ſequentibus temporibus latarum, mentio fit. Hiſtoria 197.
ſchiſmatis in Oriente, inter Euſtathianos & Meletianos, fuſe
deſcribitur, ubi ſimul de faſtu *Damaſi*, judicis in hac re partes 200.
ſibi arrogantis, diſſeritur. De *Urſini* aſſeclis, & *Luciferia-* 201.
nis, breviter, de *Apollinari* fuſius, exponitur. Millenario- 202.
rum errorem in Synodo, Romæ A. C. 378 habita, fuiſſe da- 210.
mnatum, negatur contra *Baronium*. Quas Donatiſtæ turbas 212.
excitarint, narratur. Paparum *Damaſi* tempore autoritatem 215.
aliquid augmenti cepiſſe, negari non poteſt; at minime tan-
tum, quantum poſterioribus temporibus. Hiſtoria nunc Sy-
nodi Conſtantinopolitanæ enarratur. A Papis nunc accepta 218.
fuit, nunc rejecta. A *Theodoſio* convocata fuit, non a *Dama-* 219.
ſo, quod vult *Baronius*, cui ſcriptores coævi omnes contradi-
cunt. Eo præcipue conſilio celebrata fuit, ut turbæ, in urbe 220.
Antiochia motæ, ſedarentur. Sed contrarium evenit, *Fla-* 221.
viano in locum *Meletii*, qui mortuus erat, evecto. Turbæ, 222.
quibus *Paulinus* Antiochiæ, & *Maximus* Conſtantinopoli, lo-
cum dedere, nunc expenduntur. De *Maximo* pluribus agi- 223.
tur. Poſt Synodum Romæ habitam, de qua parum nobis 224.
conſtat; diſſidia inter Orientem & Occidentem increverunt. 225.
Nec hic autoritas Papæ quidquam valuit; ſuprematum ejus 226.
nemo agnovit. Interim vicarios Papæ *Damaſus* inſtituit, de
quorum dignitate, & juribus, copioſe diſſeritur. *Acholius*, 227.
Theſſalonicæ Epiſcopus, primus hoc nomen geſſit. Poſtea
legati introducti, majore, quam illi, autoritate pollentes. Hac 228.
data occaſione in *Bellarminum* animadvertitur. Ultimo loco
de morte, ſepultura, & ſcriptis, *Damaſi* exponitur. *Hierony-* 230.
mum ſæpius conſuluit. Summis elogiis ab Autoribus orna- 231.
tur; iisdem autem teſtibus luxus ejus nimius taxandus vide- 232.
tur. Nec, ipſius tempore, diſciplina eccleſiaſtica, ut debebat, 233.
fuit obſervata. Ad vitam *Syricii* progreſſus, de cœlibatu Cle- 235.
ricorum pluribus agit Noſter, &, in Synodo Illiberitana pri- 236.
mum motam eſſe hanc controverſiam, docet. Quæ nunc 237.
Pontificii ea de re doceant, partim enarratur, partim expendi- 239.

Digitized by Google

tur, & cum ſimilibus gentilium de eadem re doctrinis com-
Pag. 242. paratur. *Syricius* primus Epiſcoporum Romanorum Pa-
244. pam ſe ipſe appellavit. Priſcillianiſtarum hiſtoria breviter
252. enarratur. Acta Synodi Romanæ, quæ tum temporis cele-
brata fertur, una cum Epiſtola *Syricii* ad Epiſcopos Africa-
nos, nullam fidem mereri, ex ipſis his ſcriptis, poſt *Quesnel-*
253. *lium*, Noſter docet. Tum de *Joviniani* hæreſi diſſeritur, qui
258. in Concilio Romano fuit damnatus. Synodi, quæ, ob tur-
bas in eccleſia Antiochena excitatas, Capuæ habita fuit, hi-
ſtoria enarratur, & diſſidium, in illa eccleſia exortum, ulterius
exponitur. De hæreſi ſic dicta *Bonoſi* æquum judicium fer-
264. tur. Aſſeclæ Romanæ eccleſiæ, occaſione Epiſtolæ *Syricii* ad
265. Epiſcopos Macedoniæ riſu excipiuntur. Finis ſchiſmatis An-
tiocheni percenſetur, & *Flavianus* ab accuſationibus, contra
270. ipſum allatis, liberatur. Quare a *Baronio* e Catalogo Sancto-
272. rum deletus fuerit *Syricius*, monſtratur; contra *Baronium*
273. tamen, &, ex parte, *Hieronymum*, aliquo modo defenditur.
In *Athanaſii* vita de diſceptatione inprimis *Hieronymi* cum
Ruffino agitur, ille perſtringitur, & de fatis doctrinarum *Ori-*
genis ſuccincte exponitur. Pauca præter hæc in veterum mo-
286. numentis Noſter invenit, quæ ad *Anaſtaſium* pertineant, ſi
quasdam ejus cum Africanis Epiſcopis transactiones excipias.
288. Binas, *Anaſtaſio* adſcriptas, literas decretales ſuppoſititias eſſe,
290. breviter, ſed ſolide, probatur. *Innocentii*, qui *Anaſtaſii* ſucceſ-
292. ſor fuit, Epiſtolam ad *Victricium* enarrat *Bowerus*, genuinam
293. eſſe probans, & taxans. Donatiſtæ in Africa, inſtigante *Inno-*
centio, perſecutionibus ad cœtum orthodoxorum adiguntur.
Ejusdem ad Hiſpanos Epiſcopos Epiſtola breviter enarratur.
Tum perſecutio, contra *Chryſoſtomum*, & ejus aſſeclas, excita-
294. ta, depingitur, &, quid *Innocentius* hac in re fecerit, oſten-
303. ditur. *Chryſoſtomum*, hac occaſione, ad Papam non provo-
304. caſſe, tanquam judicem, fuſe probatur. *Innocentii* ad *Exupe-*
305. *rium Toloſanum* Epiſtolam Noſter enarrat, de matrimoniis
306. eorum, quorum conjuges adhuc in vivis ſunt, pluribus agens in
307. notis, & antiquam Pontificiorum doctrinam cum recentiore
comparans. *Innocentii* ad *Anyſium*, Theſſalonicæ Epiſcopum,
lite-

Digitized by Google

literæ nunc allegantur. Illum ſacrificia gentilium permiſiſſe, contra *Baronium* evincitur. Ad *Alarici* oppreſſiones, & *Innocentii* ad varios Epiſcopos, aut horum ad illum, Epiſtolas, nunc fit progreſſio. Tunc Papa Ravennæ erat, & Roma diruebatur. Monſtratur etiam, *Innocentio* totam recentiorem ecclesiam Romanam contradixiſſe, & illum erraſſe. Orientalium Epiſcoporum cum *Innocentio* rixæ poſt obitum *Chryſoſtomi* deſcribuntur, &, qua ratione fundamenta *Innocentius* Papalis potentiæ jecerit, ex Epiſtola ejus ad *Alexandrum*, Antiochiæ Epiſcopum, oſtenditur. In hanc Epiſtolam fuſe inquiritur, ut & in aliam, quam ad *Decentium*, Inginii Epiſcopum, *Innocentius* miſit, ubi ſimul de chriſmate, de jejuniis, & de ungendis ægrotis, acute agitur. Africanorum Epiſcoporum, in cauſa *Pelagii*, & *Cæleſtii*, ad *Innocentium* literæ nunc expenduntur: qua data occaſione Papa ille jus ſibi arrogavit, omnes controverſias, tanquam ſummus judex, decidendi; quale tamen jus ab Africanis Epiſcopis ipſi conceſſum non fuiſſe, Noſter probat, licet *Innocentius* hoc ſimulaverit. Tandem *Innocentii* ad *Hieronymum*, & *Joannem*, Hieroſolymitanum Epiſcopum, literæ recenſentur. Tum temporis moritur *Innocentius*, qui prima monarchiæ Paparum ſpiritualis jecit fundamenta. In vita *Zoſimi* hiſtoria inprimis *Pelagii*, & *Cæleſtini*, fuſius, doctrina brevius, enarratur, ubi *infallibilitas* Papæ, & *Cæleſtium*, & *Pelagium*, abſolventis, cum *Heros*, & *Lazarus*, ab ipſo damnati fuerint, vehementer vacillavit. Poſtea tamen cedit infallibilis Papa, cum infallibilis ejus anteceſſor eandem cum Africanis Epiſcopis ſententiam foverit. *Juliani*, Epiſcopi Eclanæ in Campania, hiſtoria, qui ſemipelagianorum autor fuiſſe creditur, enarratur. Deinde ad diſceptationes *Zoſimi* cum Galliæ Epiſcopis, in cauſa *Patrocli*, Noſter progreditur, Papam illum vivis coloribus depingens, &, quod in numero Sanctorum collocatus fuerit, ex halucinatione *Baronii* proveniſſe, docens. Schiſma, in ecclesia Romana exortum, ob ſimultaneam *Bonifacii* & *Eulalii* electionem, fuſius enarratur. Illum gratia Imperatoris ſuſtinuit. Pacis amans fuit *Bonifacius*; illius tamen juris tenax, quod anteceſ-

Pag. 308. 311. 314. 316. 318. 320. 322. 323. 324. 325. 326. 327. 330. 336. 338. 342. 349. 352. 353. 357. 358. 359. 363.

ceſſores ipſius ſibi arrogarant; id quod ex hiſtoria *Perigenis*
patet. Jura, quæ *Zoſimus* Arelatenſi Epiſcopo conceſſerat,
Pag. 364. revocavit, quo ipſo ſpecimen æquitatis edidit. Sic & *Maxi-*
365. *mum* in ſua provincia judicandum eſſe pronuntiavit, quamvis
366. Romæ accuſatus fuiſſet. *Cœleſtinus* ultimum in hoc *Volu-*
368. *mine* locum occupat. Turbæ, ab *Antonio*, quem Fuſſalæ Epi-
370. ſcopum *Auguſtinus* vocat, in Africa excitatæ, enarrantur, ut
& aliæ turbæ, quibus *Apiarius*, Siccanus Presbyter, ad Roma-
num Pontificem, *Zoſimum*, provocans, & ab hoc in integrum
reſtitutus, occaſionem dederat. Totam enim ſibi Africam
ſubjicere volebat Papa, &, hunc finem ut aſſequeretur, binos
Canones Synodo Nicænæ fraudulenter affinxit, quibus omni-
bus & ſingulis Epiſcopis facultas dabatur, ad ſedem Roma-
375. nam provocandi. Interim ex hoc ipſo apparet, *Zoſimum* ex
autoritate Canonum ea, quæ ſibi arrogabat, jura derivaſſe,
non jure quodam ſuperiori & divino, quod ſucceſſores ejus
fecerunt, poſtulaſſe. *Bonifacius*, pacis amans, Africanos ſuo
jure uti & gaudere paſſus fuerat. *Cœleſtinus* litem denuo mo-
378. vit, cum *Apiarius* ad ipſum provocaret, ſed hic in Synodo,
quam Africani Epiſcopi celebrarunt, ſe ipſe damnavit, &
anſam dedit patribus Synodi, denuo, ſub pœna excommuni-
cationis, prohibendi, ne quisquam ad ſedem Romanam pro-
380. vocaret. Translationes, quas vocant, Epiſcoporum legiti-
381. mas pronuntiavit *Cœleſtinus*, contra receptam tunc ſenten-
tiam, quam tamen erroneam eſſe, & exempla *Methodii*, *Eu-*
ſtathii, *Syderii*, *Euphronii*, contrarium probare, Autor in no-
382. tis oſtendit. Epiſtola *Cœleſtini* ad Illyrici metropolitanos
enarratur, qua ille his injungit, ut ſedi Romanæ perfectam
383. præſtent obedientiam. Aliam Epiſtolam typhi plenam ad
Epiſcopos provinciarum Viennenſis & Narbonenſis exaravit,
384. & de quibusdam abuſibus abolendis præcepit. Ex hac Epi-
ſtola manifeſtum fit, Epiſcopos, aut alios Clericos, tum tem-
poris in veſtitu ſe a laicis nondum diſtinxiſſe, ad minimum,
quando ſacris non fungebantur. Pelagianæ hæreſeos, in Bri-
tannia ſedem figentis, & a S. *Germano* & S. *Lupo* ibidem
385. extinctæ, hiſtoria, miraculis mixta, enarratur. Nunc diſce-

pta-

Digitized by Google

ptatio, inter *Cyrillum* & *Neſtorium* exorta, pluribus exponitur, Pag. 386.
&, *Cyrillum* imprudenter in hac cauſa egiſſe, monſtratur, Patres Synodi Epheſinæ accuſantur, &, ipſam Synodum conventiculi potius ſeditioſorum hominum, quam Concilii œcumenici, nomen mereri, aſſeritur. Hiſtoria damnationis *Neſtorii* 395.
accurate enarratur. *Cyrillum* & *Neſtorium* de verbis tantum 400.
diſceptaſſe, in re conſenſiſſe, Noſter judicat, & hunc excuſare ſtudet. Communicationem ſic dictam idiomatum re ipſa in 402.
figuris rhetoricis ponendam, & *Cyrilli* verba falſa eſſe, & blaſphema, aſſerit. Interim *Neſtorium* crudelibus & ſanguinolentis perſecutoribus eſſe annumerandum, eoque titulo meritas pœnas luiſſe, fatetur. *Cœleſtinum* doctrinam Janſeniſtarum 406.
approbaſſe, oſtendit. De *Palladio*, primo in Hibernia Epiſcopo, exponit. Hac data occaſione, quale tum temporis inter Hibernos & Scotos fuerit diſcrimen, exponit, & putat, utrumque nomen uni eidemque genti proprium fuiſſe; Hibernorum autem nomine vilioris notæ incolas veniſſe. *Uſſerium* etiam taxat, qui, *Palladium* primum in Hibernia Epiſcopum fuiſſe, negat. In Notis de turbis, & cladibus, quibus 407.
408.
409.
Alexandriæ *Cyrillus*, ambitioſus homo, dederat occaſionem, paulo fuſius agitur, & tragica mors *Hypatiæ*, ab aſſeclis *Cyrilli* enectæ, e *Socrate* & *Damaſcio* enarratur. 410.

COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENTIARUM IMperialis Petropolitanæ. Tomus VII. Ad annos 1734 & 1735.

Petropoli, typis Academiæ, 1740, 4 maj.
Alph. 2 plag. 9, Tabb. 21.

Prima *Claſſis* Commentariorum hujus *Tomi* ſedecim mathematicas Diſſertationes complectitur, quarum *prima* eſt *Georg. Wolffg. Krafftii* de *Cauſtica Cycloidis*. Si in Cycloidem vulgarem radii luminis incidunt ad axem paralleli; reflexos formare Cauſticam, quæ iterum ſit curva cycloides vul-

vulgaris, *Hoſpitalius* in Analyſi infinite parvorum demonſtravit. At, ſi radii in eandem cycloidem incidunt ad baſin paralleli, cauſtica naſcitur, quæ nulli cycloidum ſimilis eſſe videtur, & formam habet adeo ſingularem, ut, ad quod genus curvarum reduci poſſit, non facile appareat. Quam cauſticam etſi *Hoſpitalius pag. 115* libri citati conſideravit; tamen nec ipſe, nec Commentatores ejus, nec *Carreus*, qui poſt *Hoſpitalium* idem argumentum in Commentariis Academiæ Scientiarum Pariſienſis Anni 1703 tractavit, in hujus curvæ naturam ſatis inquiſiverunt. Hunc defectum felici conatu ſupplevit Clariſſ. *Krafftius*. Nam in hac Diſſertatione non ſolum demonſtravit, cauſticam, de qua diximus, referri omnino poſſe ad cycloides, & generari ab eodem ſemicirculo generatore, quo cycloides vulgaris, cujus hæc cauſtica eſt; ſed novæ etiam ſpeciei cycloidum inventione theoriam harum curvarum adauxit. Scilicet primo oſtendit, ſi ſemicirculus, cycloidem vulgarem generans, dum ſuper baſi rotatur, ſecum deferat tangentem, per verticem ſuum & cycloidis ductam, & in hac tangente interea punctum continuo ſic moveatur, ut diſtantia ejus a puncto contactus, in omni ſitu verticis ſemicirculi genitoris in cycloide, æqualis ſit ordinatæ ejusdem ſemicirculi, ſed ſuper axe cycloidis deſcripti, relatæ ad illud cycloidis punctum, ad quod vertex ſemicirculi rotati pervenit; punctum hoc ſic mobile deſcripturum eſſe cauſticam, de qua agimus. Quæ cum perpenderet Cel. Autor, intellexit, hanc geneſin ad maiorem univerſalitatem evehi poſſe. Hinc in inventionem novæ cycloidum ſpeciei incidit, quæ generantur per tangentem variabilem, vertici ſemicirculi genitoris, ſuper linea recta rotati, annexam, &, expoſita lege variabilis longitudinis hujus tangentis, per ordinatas curvæ cujusvis circa axem cycloidis deſcriptæ, exhibet æquationem generalem, huic ſpeciei cycloidum competentem. Subſequitur ejusdem *Krafftii* Diſſ. *de Numeris perfectis*. In hac Diſſertatione Cel. Autor cum Geometris communicat ingenioſam methodum, a B. *Maiero*, Academiæ Imperialis olim membro, acceptam, qua *Euclideus* character numerorum perfecto-

ſectorum analytice eruitur. Ex eadem analyſi ſequitur, omnem numerum perfectum eſſe trigonum. In vulgaribus libris arithmeticis multi numeri pro perfectis venditantur, quibus hic titulus minime competit. Quare Clariſſ. *Kraff-tius* ſuſcepit hunc laborem, ut decem primos perfectos numeros per calculum quæreret. Quos inventos comparavit cum illis, qui in *Nicolai Tartagliæ* Arithmetica, Pariſiis A. 1613 edita, leguntur; atque oſtendit, inter viginti numeros perfectos, quos hic Autor recenſuit, non niſi ſeptem vere perfectos eſſe. Manifeſtum etiam eſt ex hac Diſſertatione, inter 1 & 10 000 quadrilliones non plures interpoſitos eſſe numeros perfectos, quam decem. Jam legitur *de motu corporum, ſe invicem percutientium*, Diſſ. *Jo. Bernoulli*, *Jo.* filii. Erunt forte, qui, cum titulum hujus Diſſertationis legerint, mirabuntur, Clariſſ. ejus Autorem ad argumentum, a tot Geometris tam varia via ac ratione jam pertractatum, animum appuliſſe. Sed deſinent mirari, quamprimum intellexerint, quid hic rei ſit. Si enim recte meminimus, omnes, quotquot huc usque de legibus percuſſionis corporum ſcripſerunt, eum ſolum motum conſiderarunt, qui velocitate uniformi continuatur ſuper plano perfecte lævi, & motui progreſſivo corporum nequicquam reſiſtente. Jam, detectis & ſatis ſtabilitis legibus communicationis motus in hac hypotheſi, quam, qui primi theoriam illam excoluerunt, methodi gratia introduxerant, reliquum erat, ut & regulæ percuſſionis corporum, ſuper plano aſpero incedentium, inveſtigarentur. Falleretur, qui ſibi perſuaderet, hac inveſtigatione nihil opus eſſe. Multa contingunt phænomena, quæ per regulas motus, in illa hypotheſi oſtenſas, explicari nequeunt. Unus ille ludus, quem cum Gallis *Billard* vocamus, aliquot iſtiusmodi phænomenorum oſtentat. Eſt inter dictas regulas motus: Si globus elaſticus in elaſticum æqualem quieſcentem directe incurrat, poſt conflictum quieſcet. Atqui, ſi, hujus regulæ memor, in colluſoris tui globum, prope lacunam poſitum, globum tuum directe, non tamen nimis celeriter, impellas: nihil metuens, te ipſum perdes. Pariter, cum inter regulas illas motus ha-

Digitized by Google

beatur, ſi globum elaſticum in obicem, cedere neſcium, oblique impegeris, recta eum reſilire, ſic, ut angulus reflexionis ſit angulo incidentiæ æqualis: miraberis, qui fieri poſſit, quod ſæpe contingit in hoc ludo, ut globus, in globum, lateri tabulæ luſoriæ tanquam adglutinatum (*collé* dicunt), oblique impulſus, primo quidem poſt ictum recta aliquantum reſiliat, ut deinceps per lineam curvam retro moveatur, & in lacunam in angulo tabulæ ſe ipſum volvat. Horum igitur & hujus generis phænomenorum ratio reddi nequit, niſi in theoriam noſtram conflictus corporum nova hypotheſis aſperitatis plani, ſuper quo corpora incedunt, introducatur: id quod Cel. *Bernoullio* in hac Diſſertatione propoſitum eſt. Si globus ſuper plano perfecte lævi incedit; ſingula ejus puncta eadem, qua centrum, velocitate moventur, & lineam rectam deſcribunt; ideoque alium motum hic globus non habet, niſi *progreſſivum*. Si vero ſuper aſpero plano incedit; quoniam motus ejus progreſſivus turbatur, accedit ipſi motus *gyratorius* circa axem; & hinc oritur motus ex progreſſivo & gyratorio mixtus, quem *motum rotatorium* appellare convenit. Similis enim eſt hic motus illi, quem Geometræ in deſcriptione cycloidis intelligunt; & punctum in circulo maximo globi, ad axem rotationis perpendiculari, vere aliquam cycloidem deſcribit, ſcilicet aut vulgarem, aut contractam, aut prolatam, prout motus progreſſivus aut æqualis eſt motui gyrationis, aut minor eodem, aut major. Si vulgarem cycloidem deſcribit; Autor hanc *rotationem perfectam* appellat; ſin contractam, vel prolatam, deſcribit, *imperfectam*. Ex his præmiſſis facile colligitur, ad condendam theoriam conflictus corporum rotatorum, requiri primum hoc, quod & difficillimum eſſe videtur, ut motus ille, ex progreſſivo & gyratorio mixtus, ad ſimplicem aliquem motum reducatur, alterum, ut regulæ hujus ſimplicis motus inveniantur. Atqui difficultatem illam ſuperavit ingenium doctiſſimi Autoris. Animadvertit enim, omnem motum rotatorium ſingulis momentis reduci poſſe ad ſimplicem motum oſcillatorium, ſeu, quod idem eſt, motui momentaneo rotato-

rio

rio globi mente ſubſtitui poſſe motum oſcillatorium, quo idem globus afficeretur, ſi ex certo puncto juxta rectam, per centrum ejus in axem gyrationis normalem, ſuſpenſus oſcillaret. Cujus aſſerti veritas in caſu perfectæ rotationis non difficulter perſpicitur. Nam in tempuſculo illo, quo globus perfecte rotari incipit, facile apparet, motum ejus non eſſe, niſi oſcillationem circa punctum, in quo ſuperficies ejus planum inceſſus tangit. Sed, ut in reliquis etiam caſibus motus rotatorius globi ad motum oſcillatorium reduci queat, ſolutione opus eſt hujus Problematis: Data velocitate centri, una cum velocitate motus gyratorii, determinare diſtantiam puncti ſuſpenſionis a ſuperficie globi, circa quod ſi globus oſcillaret, motus ejus oſcillatorius idem eſſet cum illo rotatorio. Cujus Problematis dum Autor ſolutionem exhibet, docet, diſtantiam puncti ſuſpenſionis a ſuperficie globi quæſitam eſſe ad ſemidiametrum globi, ut differentia velocitatum centri & motus gyratorii ad velocitatem gyrationis. Velocitas autem gyrationis eſt velocitas puncti in circumferentia circuli maximi, qui ad axem gyrationis perpendicularis eſt. Perſpicuum denique eſt, ope hujus analogiæ omnem motum rotatorium ſingulis momentis in oſcillatorium, & hunc vice verſa in illum, converti poſſe. Neque ergo hoc poteſt obſcurum eſſe, theoriam motus corporum, cum rotatione in ſe invicem impactorum, pendere a regulis motus corporum, oſcillando ſe percutientium. Regulas haſce Vir doctiſſimus in *prima Parte* hujus Diſſertationis propoſuit, & formulæ univerſali incluſit, ad quam pervenit ſolutione Problematis hujus: Datis velocitatibus duorum datorum globorum elaſticorum, oſcillando circa data puncta ſe invicem percutientium, determinare velocitatem, quam unusquisque eorum habebit poſt colliſionem. Noſtrum eſt, ut, qua methodo ad hoc Problema ſolvendum uſus ſit, paucis indicemus. Si duo globi elaſtici, circa duo fixa puncta oſcillantes, ſe invicem percuſſerunt; vis oſcillatoria viva, quæ in utrovis poſt colliſionem reſidet, duplici modo exprimi poteſt. Primo enim, ex aſſumta velocitate poſt conflictum quæſita, tanquam jam cogni-

Digitized by Google

gnita, & ex data diſtantia puncti ſuſpenſionis dati globi, vis vivæ oſcillatoriæ, poſt conflictum eidem globo competentis, expreſſio, non tamen ſine profundæ analyſeos auxilio, elicitur: quod Clariſſ. *Bernoullius* in ſingulari Problemate hic docuit. Secundo, ex data etiam velocitate utriusque globi ante conflictum, & dato puncto ſuſpenſionis dati utriusque globi, alia haberi poteſt expreſſio vis vivæ oſcillatoriæ, quæ in utrovis globo poſt impactionem reſidet. Reducto enim motu oſcillatorio globi dati ad motum rotatorium, & in hoc rotatorio motu ſeorſim inventis viribus vivis progreſſionis & gyrationis, aggregatum harum virium vivarum ſemper æquale eſt vi vivæ oſcillatoriæ globi ejusdem. Atqui vis viva progreſſionis poſt colliſionem pro utroque globorum, ſolo motu progreſſivo ſe invicem percutientium, per regulas notas inveniri poteſt. Vis viva vero gyrationis, quæ ante & poſt colliſionem eadem eſt, cum motus gyrationis ad impetum nihil valeat, ex data velocitate centrorum ante impactionem poteſt determinari. Eſt enim gyratio absque progreſſivo motu nihil aliud, niſi oſcillatio globi circa centrum ſuum; ideoque vis viva gyrationis ex univerſali expreſſione vis vivæ globi oſcillantis, quam Clariſſ. Autorem antea inveniſſe diximus, deduci poteſt. Hac ergo vi viva gyratoria inventa, eademque ad vim vivam progreſſivam poſt colliſionem addita, habetur ſecunda expreſſio vis vivæ oſcillatoriæ utriusque globorum poſt conflictum. Ex quibus duabus expreſſionibus ejusdem vis vivæ coaleſcens æquatio prodit valorem velocitatis, qua centrum utriusque globi oſcillantis poſt impactionem fertur. Nunc Autor, theoria conflictus corporum oſcillantium, quantum ad ſcopum ſuum ſufficere intellexit, abſoluta, pergit in altera hujus Diſſertationis parte ad tradendas generales regulas conflictus corporum rotatorum. Et primo quidem ex ſolutione ſuperioris Problematis de vi viva globi oſcillantis invenienda derivat vim vivam globi rotati $= (vv + \frac{2}{5} cc) M$; in qua formula v notat velocitatem progreſſivam in centro globi, c velocitatem gyrationis, M globi maſſam. Hinc autem conſequens eſt, vim vivam globi perfecte

fecte rotati eſſe $\frac{7}{5}$ *vvM*, ponendo nimirum $v = c$; & ſimul patet, vim vivam perfectæ rotationis eſſe ad vim vivam progreſſionis, ut 7 ad 5. Rotatio autem pro perfecta haberi poteſt, quotiescunque planum, ſuper quo globus rotatur, valde aſperum, & motus globi lentus, eſt. Secundo pergit Cl. *Bernoullius* ad determinandum velocitates, quas habebunt poſt impulſum dati duo globi, datis velocitatibus rotati. Videri quidem poterat hujus Problematis ſolutio nullam fere operam requirere: quoniam omnis motus rotatorius ad oſcillatorium poteſt reduci; velocitates autem globorum, ſe invicem oſcillando percutientium, poſt colliſionem in ſuperiori theoria jam determinatæ fuerunt. Verum probe intellexit acutiſſimus Autor, ſolutionem Problematis de globis oſcillantibus ad globos rotatos applicari immediate non poſſe. Nam in globis oſcillantibus punctum ſuſpenſionis utriusque idem manet poſt conflictum, quod ante; in globis vero rotatis punctum ſuſpenſionis, motui rotatorio ſinguli globi reſpondens, cum non ſit fixum, ſed imaginarium tantum, non neceſſario idem manet, ſed infinitis modis mutari poteſt. Quare, ut ad velocitates duorum globorum, in motu rotatorio ſe percutientium, poſt conflictum determinandas præcedens motus oſcillatorii theoria aliquid auxilii afferat, cognitæ ſupponi debent, præter reliqua data, diſtantiæ punctorum ſuſpenſionis, quæ rotatoriis globorum motibus poſt impactionem reſponſura ſint, ſive, quod eodem redit, data ſupponi debet ratio, quæ poſt impulſum futura ſit inter velocitatem progreſſivam gyratoriam utriusque globi. Jam, intrducta hac nova determinatione, ſolutio Problematis ab Autore eadem via ac ratione conficitur, qua Problema de velocitate poſt conflictum corporum oſcillantium ſolutum dederat. Et, ut dicamus tandem, quid Cel. Autor conſecutus ſit, ſi uniuscujusvis duorum globorum, in rotatione ſe percutientium, maſſa vocetur *M*, alterius maſſa *N*, velocitas progreſſiva illius ante conflictum *m*, hujus *n*, velocitas gyratoria illius ante conflictum *c*, & ratio inter velocitatem progreſſivam & velocitatem gyratoriam ejusdem poſt conflictum $f:g$:

invenit velocitatem ejuſdem progreſſivam poſt conflictum

$$= \sqrt{\frac{2ccff + 5ff\left(\frac{mM - mN + 2nN}{M+N}\right)^2}{5ff + 2gg}}.$$

In cujus formulæ univerſalis ad caſus ſpeciales applicatione pro f & g ſubſtituendi erunt termini earum rationum, quæ maxime videbuntur probabiles. Caſuum autem ſpecialium cum frequentiſſimus ſit ille perfectæ rotationis; lubet apponere hic etiam expreſſionem velocitatis uniuscujusvis duorum globorum, ſuper plano aſpero lente motorum poſt conflictum,

$$= \sqrt{\left[\tfrac{2}{7}mm + \tfrac{5}{7}\left(\frac{mM - mN + 2nN}{M+N}\right)^2\right]};$$

ſervatis iisdem valoribus literarum, qui ſupra. Facile autem patebit, hunc eſſe quæſitæ velocitatis valorem, ſi in formula præcedente generali ponatur $c = m$, & $f = g$, prout caſus perfectæ rotationis poſtulat; quanquam Autori hujus caſus ſolutionem eadem methodo, qua ſolutionem Problematis univerſalis, abſolvere viſum ſit. Sed inde porro colligitur, ſi ſuper plano aſpero lente motus globus elaſticus in alium æqualem & tardius rotatum incurrat, fore velocitatem incurrentis poſt colliſionem $= \sqrt{\tfrac{2}{7}mm + \tfrac{5}{7}nn}$, & ſimiliter alterius velocitatem $= \sqrt{(\tfrac{2}{7}nn + \tfrac{5}{7}mm)}$, poſita velocitate incurrentis ante conflictum $= m$, & alterius velocitate ante conflictum $= n$; denique, ſi globus ſuper plano aſpero lente motus celeritate m incurrat in globum æqualem quieſcentem, fore poſt colliſionem velocitatem incurrentis $= m\sqrt{\tfrac{2}{7}}$, velocitatem autem impulſi $= m\sqrt{\tfrac{5}{7}}$; ut proinde globus incurrens retineat poſt impulſum velocitatem, quæ ad velocitatem quieſcenti acquiſitam ſe habeat in ratione $\sqrt{2}$ ad $\sqrt{5}$. Quibus intellectis, mirari deſinemus, cur in ludo, *Billard* dicto, globi, in alium quieſcentem æqualem incurrentis, motus poſt conflictum non exſtinguatur; quod Cl. *Bernoullius*, una cum aliis quibusdam hujus ludi ſingularibus phænomenis, in duobus Scholiis, Diſſertationi huic annexis, explicat. Pergimus ad *Problematis*

Aſtro-

Aſtronomici, a Clar. De Lisle propoſiti, enucleationem, quam dedit *Ge. Wolffg. Kraffius*. Hoc Problema jubet inveniri altitudinem poli ex datis temporis elapſis a culminatione ſtellæ ad tranſitum ejus per tres circulos verticales, quorum medius ſit primarius, a quo reliqui duo æqualiter diſtent. Oſtendit Cl. *Krafftius*, in hoc Problemate quæſitum per data non determinari, & indicat alias datorum conditiones, quibus poſitis, altitudo poli inveniri poſſit. Tum ſequuntur *ejusdem Autoris Obſervationes Arithmeticæ de ſeptenario*. Hic triplex adducitur methodus de dato numero judicandi, utrum ſeptenarius eum metiatur. Habes deinde *Solutionem Problematis arithmetici, de inveniendo numero, qui per datos numeros diviſus relinquat data reſidua*, Autore *Leonardo Eulero*. Quemadmodum quadratorum magicorum conſtructionem, quæ jam pridem ab Arithmeticis, ſed minus recte, tradita fuerat, magni ingenii Viri, *Hireus & Sauveurius*, iterum tractare & perficere non ſunt dedignati; ita nec ſe indignam putavit Cel. *Eulerus* Problematis hujus tractationem, quod in multis Arithmeticorum libellis occurrit, ſed ſufficienti ſolutione deſtitutum. Vulgo proponunt, ut inveniatur numerus, qui per 2, 3, 4, 5, & 6, diviſus relinquat unitatem, per 7 vero ſine reſiduo dividi queat. Solutio, quam adjiciunt, huic ſingulari caſui tantum apta eſt. *Eulerus* autem ſolutionem docet, quæ in omni caſu adhiberi poteſt, in quo Problema ſolutionem admittit, ex qua ſimul pateſcit, num in dato caſu ſolvi poſſit iſtud Problema. Solvit autem hoc Problema primo in caſu unius diviſoris, deinde in caſu duorum, reliquos denique caſus ad ſecundum reducere docet. Elegans eſt hæc hujus Problematis analyſis; ſed illi exponendæ immorari nobis non licet. Sublimioribus occupata eſt ejusdem Viri Celeberrimi induſtria in ſequenti ſcriptione: *De motu Planetarum & orbitarum determinatione*. Duo hic aguntur. Primo traditur methodus directa, data anomalia media planetæ coæquatam in hypotheſi *Kepleri* approximando inveniendi. Quæ methodus, quanquam ad *Caſſinianam* comparata non æque brevis & expedita eſſe videatur, digniſſima tamen eſt, quam Geometriæ amatoribus, ob artificia ana-

analytica, quibus Cl. Autor in ejus inventione uſus eſt, perſpiciendam commendamus. Alterum Caput hujus Diſſertationis ſpectat ad definiendam ſpeciem & poſitionem ellipſis, in qua planeta circumfertur. Quam quæſtionem Autor peculiari ratione approximando hic docet reſolvere, datis obſervationibus trium locorum heliocentricorum planetæ, quæ tamen ad certas conditiones adſtringuntur, adeo ut non quævis obſervationes ad ineundum ex lege hujus methodi computum idoneæ ſint. Suam ipſe methodum deinde applicat ad orbitam terræ determinandam in ſequenti Diſſertatione: *De orbitæ ſolaris determinatione.* Utitur autem ad computationem ſuam tribus obſervationibus *Flamſteedii*, quæ ipſi huic magno Aſtronomo præ ceteris certæ & accuratæ viſæ, & circa æquinoctia inſtitutæ fuerunt. Ex his invenit doctiſſimus Autor, initio anni 1690 fuiſſe Apogeum ſolis in 3ˢ 6° 56′ 44″, & ineunte anno 1701 in 3ˢ 7° 5′ 54″, diſtantiam mediam ſolis eſſe ad excentricitatem ut 100000 ad 1674, & æquationem maximam, quæ reſpondeat anomaliæ mediæ 3ˢ 57′ 34″, eſſe 1° 55′ 7″. His omnibus ab eodem Autore adjuncta eſt brevis ſcheda, inſcripta: *Solutio Problematum quorundam Aſtronomicorum.* Sunt autem hæc Problemata tria: Data planetæ æquatione maxima, invenire orbitæ ejus excentricitatem: Data excentricitate orbitæ planetaris, invenire æquationem maximam: Data excentricitate orbitæ planetaris invenire anomaliam mediam, cui æquatio maxima reſpondet. Exhibetur jam *de minimis oſcillationibus corporum, tam rigidorum, quam flexibilium, methodus nova & facilis, Autore Leon. Eulero.* Poſtquam theoriam motus oſcillatorii corporum rigidorum abſolutam dederant Geometræ; cœperunt etiam illas altioris indaginis quæſtiones attingere, quæ ad oſcillationes corporum flexibilium ſpectant. Cujus generis Problematum primum fuit de vibrationibus chordarum tenſarum, quod *Taylorus, Jo. Bernoullius, & Jac. Hermannus,* diverſis methodis ſolverunt. Deinde *Daniel Bernoullius* cœpit in funis, ſeu catenæ, perfecte flexibilis, verticaliter ſuſpenſæ, motum oſcillatorium inquirere; quo excitatus *Eulerus,* aliam ejusdem Problematis ſolu-

ſolutionem invenit. Poſtea modo laudatus *Dan. Bernoullius* quæſtionem de horizontalibus oſcillationibus laminæ elaſticæ, altero extremo parieti firmo infixæ, aggreſſus eſt, &, pro curva, quam lamina oſcillans facit, æquationem ſe repeiiſſe, ad *Eulerum* ſcripſit, huncque ad ejusdem quæſtionis ſolutionem eo incitavit, quod, ſe de ſuæ ſolutionis veritate adhuc ancipitem eſſe, profeſſus eſt, cum adeo intricata ſit quæſtio, ut, in ea ſolvenda errorem committere, facillimum ſit. Hinc *Eulerus*, ad hoc Problema animum appellens, cum videret, ſe ea methodo, quæ quæſtionem de catena oſcillante antea ſolverat, quamvis ea facilis & late patens eſſet, hac in re parum adjuvari, invenit novam methodum, quæ & ob elegantiam, & ob facilitatem, & quia univerſalis eſt, (ad omnes enim de motu oſcillatorio corporum quæſtiones poteſt adhiberi,) maximopere eſt commendanda. Hæc ea eſt, quam Autor in hac eleganti Diſſertatione perſpicue exponit, quam magna cum animi voluptate a Geometris perlectum iri confidimus. Dabimus autem hic aliquam tantum illius methodi adumbrationem. Primum animadvertendum eſt, rem omnem eo tandem redire, ut penduli ſimplicis compoſito iſochroni longitudo inveniatur, & eo conſilio minimas tantum oſcillationes corporis eſſe conſiderandas, quia hæ in unoquoque corpore inter ſe iſochronæ ſunt, majores autem oſcillationes cum pendulo ſimplici rariſſime poſſunt comparari. Ergo, corpore, quod primum in ſitu naturalis quietis, qui ſitui verticali penduli ſimplicis reſpondet, ſpectandum eſt, ex iſto ſitu parumper deturbato, ut minimas oſcillationes inchoare queat, unaquæque particula corporis in novo hoc ſitu ab eo loco, quem in ſtatu naturalis quietis eadem occupabat, diſtabit aliquo ſpatio, quod erit, via huic particulæ percurrenda, interea dum dimidia oſcillatio peragatur. Jam, quo omnes corporis oſcillantis particulæ ſimul in ſitum quietis naturalis recidant, neceſſe eſt, ut unaquæque earum ſollicitetur ſecundum directionem viæ percurrendæ vi, quæ ſit ut factum ex maſſa illius particulæ & via percurrenda, ſeu æqualis eidem facto per longitudinem penduli, cum corpore oſcillante iſochroni,

diviſo. Ergo hiſce viribus æquipolleant oportet eæ vires, quibus particulæ corporis oſcillantis actu urgentur; ideoque illæ vires, ſi in directionibus contrariis applicatæ intelligantur, cum hiſce viribus corpus in æquilibrio tenebunt. Cujus æquilibrii contemplatio ſemper ſuppeditabit æquationem, ex qua quæſita longitudo penduli ſimplicis iſochroni poterit erui. In rigidis ſcilicet corporibus æqualitas inter momenta utrarumque potentiarum dictam æquationem præbebit; in elaſticis autem, & in perfecte flexibilibus, determinatio figuræ manentis, quam corpus, a potentiis quibusvis ſollicitatum, induit. Hæc fere eſt ſumma perpulchræ illius methodi, qua tota oſcillatoriorum motuum theoria abſolvitur. Autor primum eam methodum in pendulis rigidis utcunque compoſitis quaſi experitur. Deinde applicat eandem ad contemplationem ſingularis motus oſcillatorii corporum etiam rigidorum, de quo, tametſi is ſatis obvius eſt, nemo tamen adhuc egerat. Eſt autem is reciprocus ille motus curvarum, vel corporum quorumcunque, quorum baſis convexa eſt, ſuper tabula horizontali aliquantum aſpera vacillantium, quem propterea *vacillatorium*, ut ab oſcillatorio pendulorum motu diſtinguatur, cum Cl. *Eulero* nominare convenit. Porro illa methodus in oſcillationibus ſuſpenſi funis perfecte flexilis comprobatur; poſtea ad ſolvendum difficile iſtud Problema de oſcillationibus laminæ elaſticæ, non ſolum ſi muro verticali infixa horizontaliter oſcillet, ſed & ſi pavimento verticaliter infixa vibretur, ab Autore applicatur. Non poſſumus hic ſilentio præterire notabile quoddam Corollarium, quod Vir doctiſſimus ex illius Problematis ſolutione duxit. Subminiſtraverat ea ſolutio hoc Theorema: Si duæ æquales laminæ ex materiis diverſæ elaſticitatis fabricentur, eæque parieti firmo infixæ in planis horizontalibus oſcillent, tempora oſcillationum fore in ratione reciproca ſubduplicata elaſticitatum, & propterea numeros oſcillationum, ab utraque lamina dato tempore editarum, in directa ſubduplicata elaſticitatum. Ex quo exiſtit ſequens, in Phyſica utiliſſimum, præceptum, quod Autor his verbis inducit: *Hinc inveſtigari poterit, quanto alia*

cha-

Digitized by Google

chalybis ſpecies ſit alia magis elaſtica, atque etiam elaſticitates diverſorum metallorum inter ſe comparari poterunt. Ad hoc accedit, quod hæc methodus admodum ſit facilis, & ſola oſcillationum numeratione perficiatur. Ne autem oſcillationes nimis fiant celeres, oportet, ut laminæ ſatis ſint magnæ, ſeu longæ; de quo quidem obſervavi, ſufficere poſſe, ſi earum longitudo ſit duorum circiter pedum. Ceterum notandum etiam eſt, laminam ſatis latam adhibendam eſſe, quæ a gravitate deorſum non incurvetur. Ultimus caſus Problematis catholici de minimis corporum oſcillationibus, ad quem Cl. *Eulerus* ſuam methodum applicat, eſt, ſi corpus ſive perfecte, ſive minus perfecte, flexibile, duobus extremis fixum, vibrationibus cietur; quorſum pertinent chordæ æneæ, ſuper inſtrumentis muſicis extenſæ, & bacilli metallici, quorum extremitates ponticulis impoſitæ ſunt, & qui pulſi ſonum edunt. Eſt autem hujus theoriæ magnus in Muſica uſus, cum, quod Autor ipſe monet, ejus ope ſoni fixi poſſint determinari. Invenit per theoriam chordarum vibrantium, in inſtrumentis muſicis, quæ ad tonum choralem attemperata ſunt, chordam imam, quam litera *C* notare ſoleat, minuto ſecundo *118* vibrationes, ſummam autem *c 1888* abſolvere. Pergimus ad Diſſertationem *de ſummis ſerierum reciprocarum, Autore Leonhardo Eulero* ſcriptam. Series iſtæ, de quibus hic agitur, ſunt eæ, quæ conſtant ex fractionibus, quibus numerator communis eſt *1*, denominatores autem ſunt quadrata, vel cubi, vel aliæ poteſtates numerorum naturalium, cujusmodi ſeries eſt $1, \frac{1}{8}, \frac{1}{27}, \frac{1}{64}$, &c. In harum ſerierum ſummas cum multi alii poſt *Jac. Bernoullium* inquiſiverunt, tum & ipſe *Eulerus* earum ſummationem ad quadraturam curvarum reducere olim docuit. Sed, ſicut illæ curvæ maxime tranſcendentes ſunt, ita & approximationes, quas adhuc ad ſummas iſtiusmodi ſerierum habuimus, non ſatis commodæ videbuntur. In hac autem Diſſertatione Vir ſolertiſſimus, relationem inter arcum circuli, ejusque ſinum, conſiderando, & regulam algebraicam ſatis notam ad hanc rem ingenioſe applicando, ſummationem iſtiusmodi ſerierum ad circuli quadraturam

ram reduci poſſe, oſtendit. Sic invenit, ut unum alterumve exemplum afferamus, ſummam ſeriei $1 + \frac{1}{4} + \frac{1}{9} + \frac{1}{16} + \frac{1}{25}$ &c. eſſe ſextam partem quadrati peripheriæ in circulo, cujus diameter ſit 1; & ſummam hujus ſeriei $1 + \frac{1}{2^4} + \frac{1}{3^4} + \frac{1}{4^4} +$ &c., per 90 multiplicatam, exprimere biquadratum peripheriæ circuli, cujus diameter 1 fuerit. Subſequitur alia ejusdem *Euleri Diſſ. de linea celerrimi deſcenſus in medio quocunque reſiſtente*. Hoc Problema Cel. *Eulerus* olim in his *Actis A. 1726* ſolvendum propoſuerat. Paulo poſt *Jac. Hermannus* ſolutionem ejus aggreſſus eſt in Diſſertatione *de motibus variatis*, *Tomo II Commentariorum Academiæ Petropolitanæ* inſerta. Sed humani quid hac in re paſſus perdoctus ille Geometra, curvas ibi aſſignavit, brachyſtochroniſmi proprietate deſtitutas. Quod & ipſe agnovit, monitus ab *Eulero* per literas, & limatam ſolutionem dare pollicitus eſt; quam dudum ſine dubio accepiſſemus, niſi morte nobis fuiſſet ereptus. Nunc ergo *Eulerus*, qui hoc Problema primus propoſuerat, primus quoque veram ejus ſolutionem hac ſcriptione exhibuit. Demonſtravit autem primo, cauſam erroris, in quem *Hermannus* inciderat, eam fuiſſe, quod Theorema, ab *Hugenio* in Tractatu *de Lumine* oſtenſum, ex quo *Hermannus* inventionem brachyſtochronarum cum in vacuo, tum in mediis reſiſtentibus, ducere annifus erat, ad caſum medii reſiſtentis non poteſt extendi. Dein oſtendit aliud Lemma, in locum *Hugeniani* ſubſtituendum, quod univerſale eſt, & ad Problema illud tam in vacui, quam in quantæcunque reſiſtentiæ, hypotheſi ſolvendum poteſt applicari. Tam notabilem brachyſtochronarum proprietatem indicat hoc Lemma, ut illud digniſſimum ſit, quod hic commemoremus. Tenendum autem eſt ante omnia, mobile omne, quod in curvæ alicujus concava parte incedat, & interea a quadam potentia continue ſollicitetur ſecundum directiones, curvam ſecantes, premere iſtam curvam, & qua ſollicitatur ab illa potentia, & qua in recta linea progredi nequit, ideo-

que

que duplici vi, ſcilicet vi in curvam normali, quæ ex potentia ſollicitante derivatur, & vi centrifuga. En tibi nunc ipſum Lemma: Si curva ſive in vacuo, ſive in medio reſiſtente quocunque, ita fuerit comparata, ut corporis, ſuper ea deſcendentis, ambæ vires, quibus curva premitur, ſcilicet normalis & centrifuga, inter ſe fuerint æquales; curva ſemper erit brachyſtochrona, ſeu corpus ſuper ea minori tempore a dato puncto ad datum punctum deſcendet, quam ſuper alia quacunque linea, per duo illa puncta tranſeunte. In hac propoſitione generalem Problematis ſolutionem jamjam comprehenſam eſſe, intelligens Lector facile animadvertet. Sed *Eulerus*, poſtquam hoc Theorema demonſtravit, ducit etiam exinde facilem ſolutionem Problematis in caſu vacui & gravitatis uniformis, item in caſu vacui & potentiarum in ratione quacunque multiplicata diſtantiarum ad datum centrum urgentium, deinde in caſu medii reſiſtentis pro ratione multiplicata quavis celeritatum, & potentiæ conſtantis, ſecundum directiones parallelas ſollicitantis, denique in hypotheſi medii pro duplicata celeritatum ratione reſiſtentis. Qua occaſione magnam commonſtravit affinitatem inter tavtochronam & brachyſtochronam reſiſtentiæ quadratis celeritatum proportionalis: hinc, cum in vacuo ambæ iſtæ curvæ etiam congruant, diſpiciendum adhuc foret, utrum in aliis reſiſtentiæ hypotheſibus talis quoque analogia locum obtineat; quod ſi ita eſſet, tavtochronarum per ſe difficillima inveſtigatio facilis redderetur. Sequuntur ejusdem *Euleri Obſervationes de progreſſionibus harmonicis*. In hac Diſſertatione doctiſſimus Autor contemplatur illarum fractionum ſeries, quarum numeratores inter ſe æquales ſunt, denominatores autem arithmetice progrediuntur. Oſtendit, omnem ejusmodi ſeriem ſummam habere infinitam; idque deducit ex hoc principio evidenti, ſed certe non vulgari, ſcilicet, ſi id, quod ex continuatione ſeriei ultra terminum infiniteſimum oritur, ſit finitæ magnitudinis, ſummam ſeriei neceſſario infinitam eſſe. Docet porro ſingulari ratione invenire in iſtiusmodi ſeriebus ſummam & eorum terminorum, qui ſunt ab initio usque ad

 ter-

terminum infiniteſimum, & eorum, qui ſunt inter terminum infiniteſimum & alium, cujus index ordinis ſit quodvis iſtius numeri infiniti multiplum. Deinde generalem hanc theo- riam applicat ad ſeriem $\frac{1}{1}, \frac{1}{2}, \frac{1}{3}, \frac{1}{4}, \frac{1}{5}$, &c. & ex hujus ſeriei contemplatione deducit ſeries convergentes prō loga- rithmis numerorum naturalium. E, g. logarithmus ternarii exprimitur hac ſerie $1 + \frac{1}{2} - \frac{2}{3} + \frac{1}{4} + \frac{1}{5} - \frac{2}{6} + \frac{1}{7}$ &c. logarithmum quaternarii exprimit ſeries $1 + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} - \frac{3}{4}$ $+ \frac{1}{5} + \frac{1}{6} + \frac{1}{7} - \frac{3}{8} + \frac{1}{9} +$ &c. Alias quoque ſeries una docet invenire, quæ ſint ejusdem formæ, & ſummas tamen habeant rationales. Denique, quæ huc usque peculiari me- thodo tradidit, eadem omnia, immo longe generalius, conſe- qui, oſtendit, ex alia methodo ſeries ſummandi, quam ipſe ali- bi exhibuit. Accedimus ad *Danielis Bernoullii Demonſtrationes Theorematum ſuorum de oſcillationibus corporum, filo flexili con- nexorum, & catenæ, verticaliter ſuſpenſæ.* Theoremata illa Vir Celeberrimus in *Tomo VI* horum *Commentariorum* dederat. Demonſtrationes eorum nunc exhibet, de quibus nos afferre hic nihil poſſumus, præter principium, ex quo illæ ductæ ſunt, & quod ſic ſe habet. Corpora ſingula in aliquo ſyſte- mate intelligantur ad momentum temporis à ſe invicem ſolvi, nulla facta attentione ad motum jam acquiſitum, quia hic de acceleratione, ſeu mutatione, motus elementari tantum agitur. Cum ſic quodque corpus ſitum ſuum mutet; non poteſt ſy- ſtema eam ſervare figuram, quam non ſolutum habuit. Fin- gatur ergo cauſa mechanica quævis, ſyſtema in debitam figu- ram reſtituens, & rurſus inquiratur in mutationem ſitus, ab hac reſtitutione ortam in quolibet corpore. Ex utraque mu- tatione intelligi poterit mutatio ſitus ſyſtematis non ſoluti, & inde acceleratio, vel retardatio, vera cujusvis corporis, ad ſyſtema pertinentis, obtineri. Huius principii magnum uſum cognovit doctiſſimus Autor non ſolum ad ſolvenda Proble- mata de oſcillationibus flexilium corporum, ſed etiam ad alio- rum Problematum ſolutiones, eorum præſertim, in quibus motus partium ad ſe invicem non paralleli ſpectantur; quor-

ſum

ſum pertinet Problema de motu mixto, quo corpus, partes diverſæ gravitatis ſpecificæ habens, in fluido deſcendit, & illa Theorematum ſeries, quam Cel. *Jo. Bernoullius* in *Tomo II* horum *Commentariorum* cum Geometris communicavit. Ad eas etiam quæſtiones ſolvendas, in quibus inter plura corpora lege quadam ex ſe invicem nexa ſitus unius ex alterius ſitu cognito immediate determinari nequit, qualis eſt quæſtio de corpore ſuper hypotenuſa trianguli in horizonte mobilis deſcendente, ab eodem excellenti Geometra in *Tomo V* horum *Commentariorum* tractata, ad ejusmodi ergo quæſtiones expediendas utiliſſimum etiam eſſe principium, ſupra expoſitum, monet Cl. Autor, &, hanc Problematum claſſem novam partem Mechanicæ conſtituere, dicit. Reliquæ ſunt in hujus *Tomi VII Claſſe mathematica* duæ Diſſertationes: *De infinitis curvis ejusdem generis, ſeu Methodus inveniendi æquationes pro infinitis curvis ejusdem generis, Autore Leon. Eulero.* Curvas ejusdem generis *Eulerus* hic eas appellat, quæ a ſe invicem non differunt niſi ratione lineæ cujusdam, quæ conſtans quidem eſt pro ſingulis punctis unius ejusdemque curvæ, ſed varios habet valores in diverſis curvis. Hæc linea cum *Jac. Hermanno* appoſite vocatur *modulus*. Sic, ut hoc utamur, in parabola Apollonia, quæ aliis dicitur parameter, poterit hoc reſpectu modulus appellari. Æquatio, quæ duas variabiles x, z, ad curvam pertinentes, una cum illo modulo a in ſe continet, *æquatio modularis* appellanda erit, & naturæ infinitarum curvarum unius generis exprimendæ inſerviet, ſi a fiat variabilis. Si detur algebraica æquatio inter a, x, & z, pro unica curva, in qua ſpectatur a ut conſtans: ſimul dari æquationem modularem ad totum genus curvarum, manifeſtum eſt. Sed ex data æquatione differentiali inter x & z, in qua occurrat quidem a, ſed tanquam conſtans, difficillimum ſæpe eſt, invenire æquationem modularem, quippe in qua eſt a ut variabilis conſideranda. Hic aliquam methodum exponit Vir Cel. in his caſibus inveniendi æquationem modularem, ſi modo poſſit inveniri. Sed, qui eam cognoſcere cupiunt, illi nobis ad ipſum hoc Volumen ablegandi ſunt.

Claſ-

Claſſem hiſtoricam totam B. *T. S. Bayeri* lucubrationes occupant. Primo loco hic nobis ſiſtitur brevis ſcheda de elementis Calmuccis. Secundum locum tenet Diſſertatio de Venedis & Eridano fluvio, in qua gens illa illeque fluvius prope Balticum mare fuiſſe perhibentur. Tertio comparet longa ſatis de *Confucii* libro *Chun çieu* Commentatio.

In *phyſica Claſſe* novem ſunt Diſſertationes, quarum *prima* novas obſervationes *Jo. Georgii du Vernoi* circa *ſtructuram Thymi* exhibet. Thymum, vulgo Lactes, cavitate media gaudere, *Thomas Bartholinus* & *Petrus Dionyſius* quidem indicarunt, ſed recentiores hoc inventum neglexerunt, ideoque Autor illud denuo in ſcenam producit. Si exteriorem Thymi conformationem contemplamur, trilobata utplurimum eſt glandula, lobi tamen in minores diſtinguuntur, quorum interſtitia vaſa copioſa & alia ſubſtantia alba pinguedini ſimillima perreptant. Cavitas, quæ in medio ſæpius obſervatur, nec in omnibus adeſt, nec æqualis in omnibus magnitudinis deprehenditur. Uti vero in glandulis ſuprarenalibus ſimilis eſt; ſic hæc noſtra cavitas in Thymo ſæpius, ſi abeſſe videtur, nonnulla tamen relinquit veſtigia. Lobuli cavitatem cingentes innumera ſpatiola formant, colore opaco ſubrubro notata, ac interſtitiis, candido corpore repletis, interſtincta, unde corporis maculati, ſeu cancellati, ſpecies obſervatur, undique vero admirabile vaſorum vehiculum circa areas expanditur, quibus nonnulla corpuſcula minutiſſima per tenuia filamenta adhærent. *Diſſertatio ſecunda* ejusdem Autoris eſt, & obſervationes *de adſpectu & conformatione varia vaſorum ſanguineorum in diverſis particulis ventriculi* ſiſtit. Duplicem vaſculoſum contextum in ventriculo dari, *Thomas Williſius* primus eſt autor, Clariſſ. igitur *du Vernoi* diverſam directionem & texturam vaſorum, in diverſis ſtratis ventriculum perreptantium, invenit. In extimæ tunicæ caudices vaſorum a ſumma & ima regione ventriculi antrorſum & retrorſum excurrunt, & tandem in medio in arbuſcula, ſurſum & deorſum expanſa, propagantur, ſub quo contextu minima vaſa in cellulosa tunica diſtribuuntur. In muſculoſa tunica vaſa brevia & rectilinea in longum

gum & latum ad normam directionis fibrarum excurrunt, & ut ſurculi arboris truncati ac decuſſati, & quaſi cruciatim poſiti, apparent. Quarta ſubjacens tunica, per cellulas diſtributa, vaſa ſecundæ ſimillima oſtendit. His detractis, aliud admirabile vaſorum opificium conſpicitur, quod totum ventriculum cingit, ſcilicet ductus breviores valde conſpicui, ampla, eaque conſtanti, diametro inſtructi, hinc arcuati, & utroque extremo cum ejusdem generis ductibus inoſculati, per quam compagem innumera ſpatiola, ſeu foveæ, formantur. In intima tandem ventriculi parte vaſa mirum in modum extenuata, multipliciter diviſa, maximeque implicata, ſunt. Inde *Continuatio Obſervationum anatomicarum* ab eodem Autore additur. Docet 1) oſſis hyoidei cornu dextrum brevius & contractius, ſiniſtrum longius, in plurimis cadaveribus viſum fuiſſe; 2) ductum inſignem appendicis glanduloſæ, ſuper thyroideam glandulam poſitæ, deſcribit; 3) & 4) obſervationes alias de appendice illa addit; 5) 6) 7) 8) & 9) obſervationes varias, quæ ad cartilagines laryngis & glanduloſum opus appoſitum ſpectant, exhibet. Tum *Obſervationes anatomico-practicæ*, a *Jo. Frider. Schreibero* communicatæ, adduntur: 1) os verticis ſiniſtrum, dextro poſteriora verſus magis productum, & ita cranium poſterius obliquum, hemiſphæriaque cerebri ſimili modo conformata, exponit; 2) exhibet hiſtoriam fracturæ cranii a caſu ab alto, cum ſanguinis intra calvam & duram matrem verſus cerebellum extravaſatione. Curatio non trepanatione, cum commode inſtitui non poſſet, ſed venæſectione & purgatione fortiore, ſuſcepta fuit, utramque tamen ſine effectu reſorptionis ſanguinis per venas. Cauſæ, & alia, huc ſpectantia, phænomena, fuſius exponuntur & declarantur. 3) In ſectione cadaveris ſubito defuncti, præter alia diaphragma inter pulmonem dextrum atque jecur totum tangebatur oſſeum; 4) ſectio hydropici, ſubito defuncti, in quo præter alia inſignes polypi reperti fuerunt; 5) jecur, in lobos plurimos diſtinctum, & deſcribitur, & delineatur; 7) ſectio aſthmatici, in qua inprimis ventriculus ab hepate per magnam coli diſtenſionem remotus videbatur. Succedunt Obſervatio-

nes *Joſiæ Weitbrechti de mutatione caloris & frigoris aquæ fluentis.* Animus erat, experiri, quænam incrementa & decrementa caloris patiatur aqua naturalis, intra alveos fluens, cum experimentum non tantum phyſicæ curioſitati ſatisfaceret, ſed & in potu & balneis ordinandis aliquem in Diæteticis uſum promitteret. Elegit Thermometrum Cl. *de l'Isle*, quod mercuriale eſt, cujus altitudo ad ducentos gradus eſt redacta, gradus ultimus denotat contractionem maximam Mercurii, quam paſſus eſt hyeme A. 1733, primus autem calorem, quem accepit Mercurius ex aqua bulliente. Obſervavit vero tribus vicibus quotidie, nimirum ſine ſole, circa meridiem & ſub veſperam, quæ ſit altitudo Mercurii in tubo, ſi thermometrum expoſitum eſt 1) aeri quieto in loco aperto quidem, ſed quo nec ſol, nec ventus, facile penetrat; 2) aeri libero, & vento, & interdum ſoli; 3) ſi immergitur in aquam; qua de cauſa hyemali tempore foramen glaciei inciditur, quantum fieri potuit apertum ſervatum; præterea quoque ventorum & tempeſtatum variationes annotavit. Obſervationes inſtitutæ fuerunt a die 9 Febr. ad 27 Aug. A. 1734, paucis diebus ob alia negotia neglectis. Corollaria, ex obſervationibus deducta, huc potiſſimum redeunt: 1) Aquæ calor, dum ſub glacie tecta fluxit, nec decrementum paſſus eſt, nec incrementum, ſed per totam hyemem idem permanſit; 2) eſt certus aliquis caloris gradus, ultra quem ſi deſcendit aqua, in glaciem vertitur; 3) glacies ſoluta hyeme non conſumitur ſuperne & inferne, cum aqua ſub glacie ſemper æque frigida maneat; 4) qui in regionibus ſeptentrionalibus, rigente bruma, ex balneis calidiſſimis mox in fluminis aquam ſe præcipitare ſolent, tantam mutationem corpori ſuo non inducunt, quantam qui ſtatim ex balneo in aerem liberum ſe conferunt. Recenſentur poſtea varia incommoda, quæ in omnibus his obſervationibus, inprimis tempore æſtivo factis, obvenerunt; quæ tamen Cl. Autor ſumma cura evitare & emendare anniſus fuit. Legitur jam de *duobus lapidibus figuratis* Diſſertatio *Georgii Wolffgangi Krafftii.* Hos A. 1733 menſe Auguſto ad litora ſinus Finnici in Livonia invenit, & cum lapidibus, a

Cl.

Cl. *Gmelino Tomo III Commentariorum* deſcriptis, convenire aſſerit. Delineationem addidit, & 1) Patellas, 2) Alveolos, 3) utrique horum adhærentem materiem teſtaceam, & 4) lapidem communem, toti maſſæ affixum, fuſius & accurate deſcribit, & cum ſententia *Gmelini* etiam in eo convenit, quod ad nautilorum genus pertineant. Oſtendit igitur ex Autorum teſtimoniis, totam ferme Europam hoc lapidum genus in locis ſubterraneis continere, quod eo magis mirandum, cum mare Indicum talia conchylia ſuis incolis adnumeret. Pauca tandem de natura terræ vicinæ addit. Porro idem Vir Cl. *de invenienda diſtantia macularum ſolarium a ſole* exponit. Cognito tempore apparitionis, nec non occultationis, ejusdem maculæ, pro invenienda ejus a centro ſolis diſtantia hanc regulam tradit. Ad tempus integræ periodi maculæ, tempus apparitionis & duos rectos angulos ad baſin trianguli, cujus baſis eſt diſtantia centri ſolis ab oculo obſervatoris in tellure, & alter angulus ad baſin ſemidiameter ſolis apparens; &, cum baſis hujus trianguli una cum duobus iſtis angulis data ſit, inveniri poteſt latus, angulo, cujus vertex in oculo obſervatoris eſt, oppoſitum, quod eſt maculæ a centro ſolis diſtantia. Hac ratione maculæ, quam *Godofredus Kircherus* Lipſiæ A. 1684 aliquoties reducem obſervavit, diſtantiam a ſuperficie ſolis Cl. Autor computavit, eamque invenit 2042$\frac{1}{2}$ milliarium Germanicorum. Nunc *Joſias Weitbrecht Cogitationes phyſiologicas de circulatione ſanguinis*, quas *Tomo VI Commentariorum pag. 276* inceperat, continuat, & *Cap. II examen virium, quæ motum ſanguinis producunt*, addit. Motus omnis dependet vel a gravitatione, vel a vi attractiva, vel a vi alius corporis moti. In *quinque* igitur *Sectionibus* disquirit vim gravativam, motum cordis, arteriarum, auricularum, & attractionem per vaſa capillaria. *Sectio prima* igitur de gravitatione ſanguinis agit, & quæſtionem ſpecialius exponit: an gravitatio ſanguinis motum ſui in vaſis promoveat. Recenſitis igitur *Pecquetti* & *Guilielmini* ſententiis, poſitionem vaſorum duplicem exponit; hæc enim vel ita inter ſe connexa ſunt, ut repræſentari animo poſſint

ceu tubi deſcendentes, quorum crura tubo communicanti inſiſtunt, ſive ceu tubi adſcendentes, qui ſuis ipſi cruribus inſiſtunt: cum his enim æquiparare ſolent arterias & venas, ſuperiora petentes, cum illis arteriam magnam & venam cavam, cum annexis ſuis in partibus inferioribus. Utrumque duplici iterum modo conſideratur, vel in eo caſu, ubi ſiphones vacuos ſtatuimus, ſolo affuſo liquore replendos, vel ſi illos, ut re vera ſunt, jam aſſumimus repletos, ex omnibus vero ponderatis ſequentes educit propoſitiones: 1) Sanguis in arteriis & venis inferioribus deorſum tendit, in ſe viciſſim gravitat & æquiponderat; 2) ſanguis in arteriis ſuperioribus & venis inferioribus gravitate ſua motum ſui impedit; 3) ſanguis in venis ſuperioribus ſuo pondere, conceſſo loco, deſcendit, ſed non poſt ſe trahit ſanguinem arterioſum; 4) gravitatio ſanguinis mutua, æquilibrium producens, eſt minima; 5) gravitatio ſanguinis actionem ſuam exerit potius in latera vaſorum, quam in extremitates capillares; 6) gravitatio ſanguinis non poteſt annumerari viribus, quarum actione ille ipſe in vaſis inferioribus promovetur & transfunditur, ſive vis gravitatis ratione reliquarum potentiarum, motum ſanguinis generantium, eſt nulla. *Sectio ſecunda* de actione & viribus cordis agit. Cor contractione ſuorum laterum ſanguinem quidem expellit, ſed nullus datur motus, qui majorem ſimilitudinem habet, & cum prædicta contractione, & inde producta expulſione, ſanguinis facilius comparari poteſt, quam motus fluidi, intra canalem aliquem contenti, ab urgente embolo, ſuperficiei alterutri applicato, in motum concitati. Actio igitur cordis non in percuſſione, vel ſimplici quodam ictu, conſiſtit, ſed truſione fit, quæ eſt continuata, & temporibus infinite parvis per ſummam ſpatiolorum infinite parvorum repetita, emboli ad fluidum (ſive facta applicatione laterum cordis ad ſanguinem,) movendum applicatio, & quantitas truſionis eſt quantitas & ſumma omnium ictuum, quibus vis cordis per ſpatium datum, tempore dato, ſanguinem oppoſitum in motus egit. Vim cordis in elaſticitate ponit, qua fibræ tenſæ ſe contrahere annituntur. *Primo* igitur disquirit, quanta ſit

ſit vis, ſeu elaſticitas, cordis abſoluta, ſive quanta celeritate latera ventriculorum ad ſe accedant, ſublata omni reſiſtentia. Sed, cum vis cordis ſua patiatur augmenta & decrementa, nec ſemper gaudeat elatere, cujus capax eſt, de vi cordis ſubjectiva & abſoluta quidem dici poteſt, quod conſiſtat in ratione compoſita ex numero fibrarum conſpirantium, quantitate elateris & intenſitate ejus; hæc vero cognitio non attingi, & ad menſuram virium cordis applicari, poteſt. *Secundo* examinat, quanta ſit illa vis, qua ſanguis exprimitur, ſi cor agit tota elateris ſui intenſitate, & ſanguis expreſſus per medium non reſiſtens trajici debet, ſive quanta ſit celeritas, qua ſanguis cordis ventriculos egreditur; qua in re generalia varia de cordis motu proponit, quæ vero naturam non explicant, cum ſanguis non trajiciatur ex corde in vacuum. *Tertio* disquirit, quanta ſit illa vis cordis, quæ ſanguinem in vaſis promovet, ſi ſanguis per medium reſiſtens trajici debet, ſive quanta celeritate ſanguis moveatur in arteriis elaſticis plenis vi cordis. Reſiſtentiis vulgo annumerantur valvulæ ſemilunares, maſſa ſanguinea, in omnibus arteriis contenta, & arteriæ ipſæ. Inprimis vero, poſtquam de poſterioribus nonnulla dubia propoſuit, circa reſiſtentiam valvularum explicandam ſollicitus eſt, & ſimul indicat, non omnem ſanguinem, in ventriculis contentum, una ſyſtole exterminari. Reliqua, huc ſpectantia, in *Sectione tertia* conſiderat, quæ de actione arteriarum agit, & indagaturus, quousque dilatatio arteriarum eodem ſyſtoles ſynchroniſmo ſecundum tractum ramorum terminetur, quæſtiones ſequentes addit: An arteriæ omnes & ſingulæ in toto corpore ſimul dilatentur, vi eadem cordis unica; & quanta in genere dilatatio eſſe ſoleat; oſtenditque, vero ſimile eſſe, pulſum, etſi non eodem temporis momento, tamen eodem unius ſyſtoles ſynchroniſmo, per omnem arteriarum tractum continuari, & ſententiam, quod arteriarum pulſus cum ſyſtole cordis coincidat, pluribus rationibus probabiliorem reddit, ex effectu concludens, vim arteriarum, ſeſe contrahentium, tantam eſſe, ut portio ſanguinis, per ſyſtolen cordis in ipſas intruſa, denuo terminis ſuis ejiciatur. *Sectio quarta*

Digitized by Google

actionem auricularum proponit, & varia, quæ ex ſtructura, nexu, & ſitu, auricularum patent, præſupponit. Sanguis ex utraque cava in auriculam dextram, & ex vena pulmonali in auriculam ſiniſtram, influit, easque dilatat: quo facto, finita actione cordis ſanguis in ventriculos annexos vacuos impellitur. Hinc patet neceſſitas auricularum, ut nimirum niſu ſuo, ſe reſtituendi, motum novum imprimant ſanguini. Vena vero cava lento nimis motu gaudet, & pulmonalis vena vi viva pulmonum ſimul projicit ſanguinem; hinc in dextra auricula vis ſola, in ſiniſtra a pulmonibus adjuta, obſervatur. *Sectio quinta* de attractione vaſorum capillarium agit. Sunt nonnulli, qui ex eo phænomeno, quod fluidum in vaſis capillaribus adſcendat, concludunt, extremitates capillares venarum ſanguinem attrahere, & hac attractione ſanguinis motum facilitari; ſed contrarium oſtenditur, & docetur, 1) vim attractricem non agere niſi ad certum aliquem terminum, quem nunquam transgreditur; 2) vim attractricem non eſſe tantam, ut ſuperincumbentem aliam maſſam ſuſpenſam tenere poſſit; 3) tubum capillarem, ultra debitam altitudinem repletum, & altero orificio fluido cuidam immiſſum, non plus ultra recipere, ſed potius, quæ ſuperflua ſunt & oneroſa, dimittere. Jam idem Autor *Obſervationes anatomicas, ad hiſtoriam & actionem muſculorum frontalium, occipitalium, palpebrarum, faciei pertinentes*, proponit. Deſcribit igitur membranam pellicularem, galeam aponevroticam, & pericranium, tanquam integumenta propria calvæ, &, muſculum occipitalem ipſi galeæ aponevroticæ intextum eſſe, aſſerit. Frontalis vero muſculus galeæ tantum inſtruitur, non vero eidem implicatur, nulli etiam oſſi inhæret, ſed eodem modo, quo membrana pellicularis, in pinguedine & cute terminatur. Hinc igitur jam apparet, hos muſculos in digaſtricorum numerum, mediante galea aponevrotica cohærentium, referri non poſſe. Quodſi vero & hic nexus concederetur; tamen hi bini muſculi potius ut antagoniſtæ, non vero ut digaſtrici, conſiderandi ſunt; nam frontalis cutem frontis tantum corrugat, & occipitalis, cum oſſi adhæreat, punctum fixum nanciſcitur, & cutim

tim verſus occiput ducit. Galea quoque aponevrotica ſtrictius calvæ annexa eſt, quam ut tam laxas cutis molitationes aut producere, aut pati, poſſit. His pertractatis, in ordines fibrarum muſculi orbicularis palpebrarum, & in nonnullos vicinos muſculos, inquirit, quæ vero ob iconum imperfectam explicationem non amplius declarari poſſunt.

MISCELLANEA NOVA, AD INCREMENTUM ſcientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.

Voluminis VII Pars IV.

Lipſiæ, apud B. Lanckiſii hæredes, 1750, 8.

Plag. 12.

In fronte ſe Lectori offert Cel. *Jo. Dieterici Wincklerì Spicilegium obſervationum ſubſecivarum philologico-biblicarum.* Videtur in eo eſſe Autor, ut credat, umbram *Abelis* inſectatam fuiſſe *Cainum* percuſſorem. Angelum fœderis, *Exod. XXIII, 20*, Judæi vocarunt *metatron*. *J. A. Danzii* Exercitatio quædam hoc nominis evolvit & illuſtrat. Vox כפור, *Pſ. CXLVII, 16*, ſpecies eſt grandinis admodum minutæ, ideoque cum figura cineris ſparſi comparatæ. Undenam illud *Maharam mota* in *1 Cor. XVI, 22*, loco formulæ *maran ata* irrepſerit, eſt obſcurum adhuc. *Lutherus* & *Bullengerus* illam lectionem adhibuerunt, licet eam in nullo MSto Græco deprehendamus. Omittimus reliqua, quæ S. R. Autor hinc inde decerpſit. Vocat enim nos *Petri Zornii Diſſertatio poſthuma de Cœnis puris veterum Ebræorum.* B. Autori viſum fuit, Jeſum in eo haud fuiſſe occupatum, ut agnum Paſchalem uno die prius plerisque Judæis comederit. Quo fine ingenium exercet in ſolvendis, qui ex *Jo. XIX, 14*, ac aliunde nectuntur, nodis. Παρασκευὴ τοῦ Πάσχα erat dies Veneris, isque Paſcha-

Pag. 560.

566.

ſchalis, Sabbati proximi apparationem complectens. Id ipſum dilucet perſpiciturque ex *Marc. XV*, 42, *Luc. XXIII*, 54. Fuerunt, qui ſibi perperam perſuaſerant, Jeſum quidem eodem die, nec tamen eodem tempore, ſed orto ſole, agno paſchali comedendo ſe accinxiſſe. Eos refellit
Pag. 572. æque cenſura *Zorniana*. Tum vero *Zornius* comparavit paresceven Ebræorum cum cœna ethnicorum pura. Gloſſarium vetus ſic habet: *cœna pura*, προσάββατον. *Tertullianus adverſus Marcionem V*, 4, ac *Auguſtinus Tr.* 76 *in Joannem*, meminerunt *cœnam puram* pro voce Græca παρασκευή. Jocularis eſt *Joannis Cloppenburgii* error, qui in locum *Tertulliani* conatus fuit *cœnas Purim* legere, ubi recte legitur *cœnas puras*. In his, tanquam præparationis ſanctioris comitibus, ethnici cibos adhibuerunt, quos cenſebant puriores, ac ſanctimoniæ aptiores. Ipſi, durante ea præparatione, dicebantur *eſſe in caſto*. Præparatio ipſa appellata fuit *cœna pura*; ſpeciatim vero cœna pura deſignavit cœnam eorum, qui erant in caſto. Judæis vero peculiares pro paraſcevis cibi haud erant præſcripti. Ad vocem ἁγνείαν, ἁγνεύειν, ὅσιος, ἁγνίζεσθαι, B. *Zornius*
584. haud tralatitia ſuppeditavit. Succedit huic Diſſertationi *Commentatio Jo. Chriſtoph. Harenbergii de Parabolanis veteris eccleſiæ Chriſtianæ, quorum in Codice Theodoſii & Juſtiniani contracta injicitur mentio.* Qui in emporiis, Epheſo & Alexandriæ Ægypti, munus adminiſtrarunt Seculo a C. N. quinto, ægris, eisque ſæpius contagioſis, conveniendis, fovendis, curandis, accommodatum, ii fuerunt appellati parabolani & παραβολανεῖς. Vocis origo propullulavit ex παραβάλλεσθαι, *ſe intrepide morti exponere.* Inde homines, qui cum beſtiis pugnabant, ſeu beſtiarii, dicti fuerunt παράβολοι De hoc nomine copioſius diſſeruit Autor, ſimulque inquiſivit in *Phil. II*, 30, ubi in codicibus quibusdam legitur παραβολευσάμενος, in vulgatis plerumque παραβουλευσάμενος. Mirum ſane, vocem utramque exteris ſcriptoribus fuiſſe inuſitatam. *Parabolani* memorantur *Act. I Concil. Chalced.* ac in duabus *Codicis*

Theo-

Theodoſii Conſtitutionibus *l. 42, 43, Tit. 2 Lib. XVI*, atque in *Codice Juſtiniani Lib. I Tit. 3 l. 17 & 18*. Utramque hanc Conſtitutionem illuſtravit Noſter tum ex arte critica, tum ex hiſtoria Alexandriæ eccleſiaſtica. Parabolani utrum Clerici inferioris ordinis, an Medicorum quoddam genus, fuerint, tandem diſputat, allatis utrinque argumentis lectorem relinquens liberum, libereque judicaturum. Videtur tamen ſententiam alteram cenſuiſſe potiorem. Commentationem hanc excipiunt *Jo. Jacobi Reiske ad Herodotum conjectura*, eis admodum inſervituræ, qui editiones *Herodoti* novas moliuntur. Licet enim *Jacobus Gronovius* ope Codicis Medicæi maculas multas *Herodoti* libris abſterſerit; monet tamen Noſter, eundem, deſertis ſubinde melioribus lectionibus, id Codici illi dediſſe, ut viciſſim editioni ſuæ præſtantiſſimæ adſperſerit haud paucas. Cel. *Reiskio* itaque libuit denuo male affecta *Herodoti* loca reddere incudi, ac editoribus novis poſt *Bergleri* curas ſuppeditare anſam ea reconcinnandi. Editione *Gronoviana* uſus eſt, ac ſuccincte annotationes exhibuit Lectoribus citra fucum & pigmenta; quos quidem ad illas in præſens remittimus, facile agnituros amuſſim *Reiskii* rectam, & acutam, lateque patentem. Nunc *Liber primus* ad limam fuit revocatus. Subſequentur ſpecimina complura. Græcæ Græcis ſuccedunt. *Jo. Chriſtophori Strodtmanni*, Velavia-Boruſſi, Gymnaſii Oſnabrugenſium Directoris, *Sylloge nova, eaque prima, differentiarum Græcarum* conjecturas *Reiskianas* excipit. Traditur in ea diſcrimen inter voces ἀναφαλάντωμα & φαλάκρωμα, ἀρτιγενείους & ἀρτιγεννήτους, δικαίωμα & δικαιοπράγημα, εὐγενὲς & γενναῖον, εὐωχίαν & κῶμον, ζυγομαχεῖν & ἐρίζειν, θύειν & ἐναγίζειν, θυρεὸν & ἀσπίδα, ἱερὰ & ναοὺς, inter καρπὸν φέρειν & καρπὸν ποιεῖν, κείρασθαι & καρῆναι, κέραμον & πλίνθον, κιχλισμὸν & καγχασμὸν, inter κόπτειν & ψοφεῖν de janua dictum, inter κρατῆρα & δέπας, μύστην & ἐπόπτην, νιπτῆρα & ποδονιπτῆρα, ξύλον & ποδοκάκην ficte, inter ὀδύρεσθαι & ὀλολύζειν ficte,

Pag. 607. 645.

inter ὄνον & μύλον, παροίνιον & πάροινον, περίοδον & περίπλουν,
ſeu περίπλον, περόνην & ῥαφὴν, inter ποιμαίνειν & βόσκειν,
σοφίαν & φρόνησιν, inter σπόγγον & σπογγίαν, inter
Pag. 676. συνθήκην & σπονδὴν, τίκτειν & γεννᾷν, ὑπερῶον & δῶμα,
φάλον & λόφον, φυλὴν & ᾠβὴν, φωνὴν & φθόγγον, χῶ-
μα & χάρακα, χρησμὸν & χρηστήριον, ὦπα & πρόσωπον,
μειδίαμα & γέλωτα. Paſſim ſubjecit elaboratiſſimis an-
notationibus illuſtrationes ſuas *J. C. Harenbergius*. Tum
vero offert ſeſe *Frid. Ottonis Menckenii Librorum, haud
ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus
ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairiani, Decas
quinta, ejusque altera Pars.* Habes hic, Lector, *Epiſto-
las Gaſparini*, A. 1486, 4, Argentinæ publicatas, *L. Flo-
ri Annæi Epitomen*, Lipſiæ A. 1480, 4, editam, *Catonem
moraliſſimum cum elegantiſſimo commento*, impreſſum Baſi-
688. leæ A. 1488, 4, *Facetias Poggii*, Baſileæ impreſſas A. 1488,
4, & *Eclogam Theoduli*, Lipſiæ impreſſam A. 1489, 4.
Ad ſingulos libros ex Hiſtoria literaria commentatus
eſt diſſeruitque Autor jucunde & ſolide. Non pœnitue-
rit Lectorem, ex ipſo libro hæc cognoſcere. Tan-
700. dem excellit quoque M. *Jo. Salom. Semleri Specimen E-
mendationum Gloſſarii Iſidoriani*, licet Autor id operæ
poſt viros multos præſtantiſſimos ſuſceperit pæne poſtre-
mus. *Gravianam* Gloſſarii editionem, quæ *Martini* Ety-
mologico adjuncta eſt, recentiores plerumque ſcriptores
fuerunt ſecuti, ne quidem Monachis Benedictinis, eisque
diligentiſſimis, exceptis, qui *Freſnianum* Gloſſarium me-
dii ævi auctum ediderunt. Legitur in *Gloſſario Iſido-
riano: Catamontem, cœli adſpectum.* Legendum judi-
cat Noſter: *Catamitum, coleis abſectum.* Pro *Collianorum,
publicanorum, vel impiorum*, legendum videtur *Collybiano-
717. rum, publicanorum* - -. Pro *cumerus, urbanus*, legendum
cumerus, vannus. Pro *Cucier, Ponticum ſacerdos*, legen-
dum putat *Curio Pontificum, ſacerdos.* Pro *Exibus, pin-
guedo*, legit *Exſebum, pinguedo.* Lectori cetera reſerva-
mus,

Digitized by Google

mus, monentes, Indicem, accurate factum, & *Volumini VII* ſubjectum, occupare locum extremum. Proxime ad *Volumen VIII* indicandum & delibandum progredi libet.

NOVA LITERARIA,

Quam ad *eruditæ antiquitatis Cultores* haud ita pridem Epiſtolam dedit, luce publica donatam, *Antonius Joſephus Barbazza*, Sculptor Romanus, eam, cum novi Operis, ejusque egregii & commemorabilis, indicium faciat, integram hic iis, qui ſacrarum literarum ſtudium cum doctrina elegantiori conjungunt, legendam damus. Eſt igitur hæc:

Tandem aliquando, Eruditæ Antiquitatis Amatores, coronidem poſui Chalcographicæ inciſioni Primi & Secundi Seculi Demonſtrationis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ quadripartitæ, comprobatæ monumentis, pertinentibus ad fidem temporum & geſtorum. *Nondum vidit Chriſtiana Reſpublica ex ſolis nummis, inſcriptionibus, aliisque publicis monumentis Imperatoriæ Majeſtatis, ex fictilibus lucernis, & vitreis vaſculis, ſanctorum Martyrum ſanguine conſecratis, ex fragmentis marmorum, & metallorum, quæ a Chriſtiana pietate inſignita, fidei Catholicæ ſymbolis ac figuris, quotidie proferuntur in lucem, ex cimeliis denique pie perluſtratis in Muſeis Principum Europaeorum, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Demonſtrationem, ut ex ea literati viri perciperent uberrimum fructum ſolidæ eruditionis. Celeberrimus Præſul,* Franciſcus Blanchinus, *Veronenſis, tantæ molis opus primus omnium aggreſſus eſt, ac duo priora Chriſti Secula media fere ex parte confecit; quibus ſupremam manum nuper impoſuit ejus ex fratre doctiſſimus nepos,* P. Joſephus Blanchinus, *Presbyter Congregationis Oratorii Romani. Hujus hiſtoricæ Demonſtrationis utilitas tam aperta eſt omnibus, rerum ſacrarum ſtudio*

dio vel leviter inſtitutis, quam illuſtris eſt ſama Scriptorum, claris voluminibus proſequentium ejusmodi cimelia, nummos, gemmas, anaglypha, ſigna, inſcriptiones, muſiva, reliquam denique ſupellectilem ſacræ ac profanæ antiquitatis. Quas itaque grates non perſolvent omnes eruditi viri ſapientiſſimo Præſuli, ejusque ex fratre nepoti, qui hujusmodi Collectionem præcipuorum monumentorum pertinentium ad Eccleſiæ Catholicæ geſta, dogmata, ritus, mores, ac diſciplinam, ex celebrioribus Cimeliarchiis Italiæ, Galliæ, Germaniæ, Angliæ, &c. decerptam, & juxta ſeriem chronologicam ad Hiſtoriæ fidem & ornamentum productam, hic ex ordine collocarunt; ut omnium oculis reſtitueretur, quicquid ætatum ſuperiorum injuria, aut barbaries, delere tentavit. Geminorum Blanchinorum *ſtudia ac vigiliæ intercesſerunt, egeruntque, ut tam ubere monumentorum ſupellectile literarius iſte theſaurus locupletaretur. Certe, quantum hiſtoricis narrationibus præſtent monumenta ipſa, quæ, ut in voluminibus adumbrata, ita in Muſeo noſtro ſolida perſtant & incorrupta, ſatis noverunt ii, qui veritatem ab imitatione, & prototypi fidem ab exemplorum ſuſpicione, ſecernunt. Confluunt quotidie in hanc Urbem (olim terrarum dominam) a remotiſſimis partibus eruditæ antiquitatis cultores, qui, non ſatis fidentes dictis Hiſtoricorum, ipſa prototypa videre percupiunt, quæ ſuiſmet oculis cum luſtraverint, tum demum adiiſſe Romam, & cum veteribus conſueviſſe, ſibi videntur. Facultas Chalcographica, cognatione quadam ac neceſſitudine priſcis monumentis obſtricta, in illis hodie deſudat; ut vagæ, aut alibi exules, venerandæ antiquitatis reliquiæ huc poſtliminio revertantur: cum non alio fere indicio, quam pictarum, aut ære inciſarum, tabularum, rei nummariæ, antiquariæ, lapidariæ, & ceteræ Hiſtoriæ adminiſtræ facultatis, poſſint addiſci, atque oculis contemplari. Sine chalcographicis exemplis nec Roma ſubterranea topographiam a* Boſio, Severano, *&* Aringhio, *habere-*

beremus, nec veterum Baſilicarum, aliorumque Romani orbis ædificiorum, deſcriptiones, nec ipſos denique Annales Eccleſiæ, tot monumentis originalibus locupletatos. Providenter itaque ſapientiſſimus Præſul, Franciſcus Blanchinus, *ejusque ex fratre nepos,* Joſephus, *conſuluerunt cum ſuperiorum ætatum memoriæ, tum ſubſequentium eruditioni, cum veritatis hiſtoricæ teſtimonia, impreſſa nummis, marmoribus, publicis monumentis, codicibus, & metallis, in unum quaſi corpus compingi, connecti, ſolidari, excogitarunt. Quanto autem bono Chriſtianæ reipublicæ ac literarum ceſſurum hoc ſentiant ii, qui eruditionis eccleſiaſticæ ſtudio tenentur, neceſſe non fuerit argumentis oſtendere, aliunde conquiſitis; cum ipſa mea chalcographica editio demonſtret, quam utile, imo & neceſſarium, Hiſtoriæ futurum ſit hoc Cimeliarchicum auctoramentum. Cum enim ætatis noſtræ frequenti experimento conſtet, eo ſubtilitatis provectam Criticen, ut Codicum vetuſtorum, imo & ipſorum Diplomatum, fidem ſæpe in diſcrimen adducat, niſi genuinis numiſmatum, marmorum ac metallorum, notis & conſenſu ſe tueatur, tam neceſſaria redditur Scriptoribus Eccleſiaſticis acceſſio veterum Inſcriptionum, nummorum, toreumatum, quam hæc* Demonſtratio Hiſtoriæ quadripartitæ. *Ductus literarum, detruncatio dictionum, elegantia, aut barbaries, ſignorum, numeri annorum Imperii, Tribunitiæ poteſtatis, Conſulatuum, & Indictionum, in Codicibus perperam deſcripti, aut corrupti fraude, vel inſcitia, amanuenſium, cenſuram ſubeunt caſtigatæ hujus hiſtoricæ Collectionis monumentorum, lapidum, & numiſmatum, quibus dictatorias, ut ita dicam, leges incidiſſe antiquitas viſa eſt ad præſidium veritatis. Hæc enim omnia ſatis abunde ſuggerit Codicibus & Archivis præſens Hiſtoria, a me nunc primum in æreis maximi moduli Tabulis publici juris fieri cœpta, non ſine ingenti auri vi. Duo priora Chriſti Secula jam inciſa, atque omnino perfecta, ſunt; in quibus licet collegia Conſulum*

Uuu 3 *enu-*

enumerare, Cæſarum imperia metiri, & Chronologiæ fontes inſpicere, unde ad Hiſtoriam Eccleſiæ, in ſacris Novi Teſtamenti paginis, in libris Patrum primitivorum, & in Actis ſanctorum Martyrum ſinceris, conſignatam, per quatuor priora Secula Æræ Chriſtianæ proceditur, non incertis, ut antea, veſtigiis Codicum diſcrepantium, ſed plana Conſularique via, veterum Romanorum lapidibus complanata. Perſecutiones, Eccleſiæ illatas, ibidem addiſcimus, & ejus Martyres invictiſſimos, tum ex frequentibus cimeliis, e Cryptis Martyrum erutis, tum ex ichnographia præcipuorum monumentorum Chriſtianæ religionis, ibidem inſculpta, tum ex Calendariorum originibus, & actibus Martyrum primitivis, ad perennitatem Catholicæ veritatis relatis in Cimeliarchii Blanchiniani *columnas; ut Faſtos triumphales, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in hiſce* Barbatianis *Tabulis dedicatos, exhibeant ſeræ poſteritati. Sub unum oculi conſpectum revocant diſperſa per orbem marmora; quæ propriis e ſedibus removere quidem non licet, admovere tamen præſtat per vicarias imagines, hoc in Muſeo collectas; ut, num ſemel ipſarum uſum ad ſeriem eccleſiaſticæ Hiſtoriæ comprobandam hic perceperimus, (qui finis eſt utrique* Blanchino *conſtitutus,) univerſum Romani Imperii Chriſtianum orbem eſſe Cimeliarchium atque Epitomen ejusdem Hiſtoriæ, intelligamus. Ejusmodi vero ſunt nummi, qui Chriſti natalem annum, & marmora, quæ actum de Judæis triumphum, poſt Hieroſolymorum excidium a Chriſto Domino prænuntiatum, ex Arcu Titi* Blanchinus *refert; tum quæ exprimenda curavit ex Columna* Marci Antonini, *pertinentia ad Chriſtianos milites, pluviis cœleſtibus recreatos. Indicat etiam cum* Tertulliano *in anaglyphis, Circum Romanum exhibentibus, omnium inanium Deorum ſuperſtitiones; ut oſtendat cum* Leone Magno, *hic omnium ſacrilegiorum impietatem fuiſſe deſtructam, ubi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum, quicquid uſpiam fuerat variis erroribus inſtitutum.*

tutum. In Hippolyti *Martyris baſi prima Chriſtianorum ſtudia antiquæ eruditionis cultores agnoſcent, Apoſtolicas ſcilicet traditiones, ordinem & leges Paſchalis computi, Annales Veteris Teſtamenti, de Chriſto prophetica teſtimonia. In hac eadem Autor intendit digitum cum* Lactantio & Arnobio, *quoties oſtendit illa ipſa Prophetarum oracula, quarto Chriſti Seculo inciſa in Sarcophagis Chriſtianorum, in quibus majores noſtri fuerunt tumulati poſt obitum, clari fidei laudibus, & virtutum oſtenſione. Hæc nempe ſtudia percepit ſapientiſſimus doctor* Hieronymus, *qui ſingulis diebus dominicis Martyrum Cryptas Romæ frequentare aſſueverat; ut per naſcentis Eccleſiæ veſtigia, per hæc, inquam, veſtigia geſtorum, a* Blanchino *ex cimeliis prolata, ad Chriſti cunabula graderetur. Hæc marmora, Sanctorum myſteriis, præſentia, conſuetudine, dedicata,* Damaſus *Pontifex proſequi verſibus non eſt dedignatus: ac, dum illuſtres annos ſui Sacerdotii adeo magnificenter expendit, ut alios addicat Oecumenicis Conciliis undique convocandis ad nefarias* Eunomii *ac* Macedonii *hæreſes exſtinguendas, alios deputet reſtitutioni ſacrorum Codicum, ac præſertim Novo Teſtamento Græcæ fidei ubique reddendo, etiam illius temporis pretium conſtare cenſuit, quod in exornanda ſuis carminibus Apoſtolorum platonia impendiſſet. His advolvi marmoribus, Sanctorum ſanguine ac ſudore conſperſis, hæc oculis, fronti, labiis, admovere inſtrumenta martyriorum, gladios, catenas, clavos, ardebat* Chryſoſtomus; *qui Romæ veteris majeſtatem non ex hymettiis columnis, aut porphyreticis, vel ex pretio ſignorum, auro argentoque fulgentium, ſed germanis ex titulis, ac monumentis, diſcipulorum Chriſti memoria, uſu, contactu, depoſitione, ſacratis, metiri conſueverat.* [a] *Hæc demum cura* Franciſcum Blanchinum *Præſulem, ejuſque ex fratre nepotem,* Joſephum, *exercuit, aſſervandorum ſcilicet, opera* Barbatianæ *Chalcographiæ, veterum fragmentorum, quæ genuinos characteres exhibeant temporum & geſtorum Eccleſiæ; ut intueamur iſtas admirabiles reliquias anti-*

antiquitatis, non tam Chriſtianæ pietatis oculos oblectaturas, quam veluti pretioſiſſimas thecas, reconditas in theſauris antiquæ Chriſtianæ originis ac veritatis. Hæc omnia vos omnes antiquitatis cultores, cum abunde perſpexeritis in primis duobus Seculis, quæ jam inciſa ſunt, excitabuntur & aliorum animi obſequentes eruditioni; ut ego reliquis Seculis incidendis quatocius & alacrius manus imponam; ipſi vero eum profectum inde percipiant, qui probare aliquando poſſit, deſidiæ noſtræ culpa irritum haudquaquam fuiſſe conſilium geminorum Blanchinorum *tantæ in literas propenſionis. Itaque conatus ſum in Tabulis, ex ære inciſis, adeo magnificum opus, & hactenus intentatum, ac nondum viſum, publica luce donare, ut in eruditæ antiquitatis cultoribus illico literarii fructus erumpant. Specimen autem Hiſtoriæ* Blanchinianæ *rudi hac Epiſtola exhibui; ex qua, mi Lector, velim accipias, quod, ſi ejusdem argumento vires non comparavi, antequam ſcriberem, malui tamen conatus meos chalcographicos, etiam impares, in reliquis Tabulis a te dirigi, quam ignorari. Duo priora Chriſti Secula veneunt Scutis Romanis decem; ſuntque inſtar Muſei hiſtorici ordine Dorico expreſſa. Primum Seculum conſtat tribus Tabulis maximi moduli, quarum duæ ſunt longitudinis palmorum Romanorum architectonicæ artis numero ſex, & unciarum decem cum ſemiſſe, tertia vero, quæ tamen eſt ordine prima, palmorum trium, & unciarum ſeptem. Altitudo ſingularum Tabularum ad palmos tres, & totidem uncias, protenditur. In reliquis Seculis idem Tabularum numerus, & magnitudo. En ſpecimen dimidii palmi; quem damus, ut ex eo commode fiat totius Operis exacta dimenſio. Compactor librorum, ſi volet, in volumen rediget Tabulas hujus* Demonſtrationis Hiſtoriæ Eccleſiæ quadripartitæ, *una cum earundem perbrevi expoſitione. Vale. Scribebam Romæ ex Chalcographia* Barbatiana *in Circo Flaminio, vulgo* a Santa Lucia de'Ginnaſi, *VII Calendas Aprilis Anno Domini MDCCLI.*

1 2 3 4 5 6

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCLI.

Pars II.

PAGUS NELETICI ET NUDZICI, oder ausführliche diplomatiſche hiſtoriſche Beſchreibung des Saal-Creyſes. ꝛc.

hoc eſt,

PAGUS NELETICI ET NUDZICI, SEU DESCRIPTIO hiſtorico-diplomatica regionis Salanæ, Primatus olim & Archiepiſcopatus, nunc vero Ducatus. Magdeburgici partis, ex Actis publicis aliisque monumentis fide digniſſimis ... pluribus Diplomatibus ineditis corroborata, æneisque Tabulis ornata, & edita, a JOANNE CHRISTOPHORO A DREYHAUPT, Regi Pruſſorum a Conſiliis ſtatus, belli, & rerum domeſticarum, intimis, Ducatus Magdeburgici Advocato Fiſci, Scabinatus Seniore, Prætore, & Comite Salinarum.

Tomus II.

Halæ Magdeburgicæ, 1750, fol. Alph. 13, Tabb. æn. 21.

En tibi, Lector, Operis illuſtris *Tomum alterum*, eumque ultimum, *priori* rerum narratarum copia & gravitate parem,

Digitized by Google

rem, diligentiæ indefeſſæ & prorſus inauditæ teſtem locupletiſſimum, malevolorum calumniis nobis fere ſurreptum, nunc vero ſummi Regis autoritate integrum. Vota, a nobis olim facta, læti lubentesque ſolvimus, Illuſtrique Autori & ſuperatam invidiam, & immortale nomen, diligentia ſumma partum, ex animo gratulamur. In fronte libri apparet Illuſtris Autoris effigies, annis abhinc 52 nati, hoc vero egregio opere de Hala, patria ſua, optime promeriti. Totis ſcilicet *XXIV Libris* fuſe omnia, quæ ad hanc urbem pertinent, enarravit, ita quidem, ut, ſi ſingula percenſere vellemus, novus plane liber conſcribendus foret. Scilicet, ut paucis mentem noſtram explicemus, tria potiſſimum hominum ſunt genera, quibus hujus operis lectio uſui eſſe poterit, cives Halenſes, Hiſtoriæ Germanicæ ſtudioſi, Diplomatum, Sigillorumque antiquorum, interpretes. Civibus Halenſibus, uti dubitari non poteſt, quin omnia, quæ Illuſtris Autor expoſuit, gratiſſima & nunc ſint, & longe adhuc gratiora in poſterum, quando rerum minutarum memoria temporum iniquitate intercidit, futura ſint; ita etiam firmiſſime nobis perſuaſum eſt, fieri non poſſe, ut, niſi Compendium totius Operis ſcribere velimus, exteris, vel ipſis Germanis, ea, quæ ad peculiarem Pruſſorum Regis, ſubditos regendi, rationem, urbis Halenſis vel vetera, vel recentiora, inſtituta, Academiæ, Salinarum, Judæorum, Gallorum, & Palatinorum, advenarum, jura pertinent, ita explicaremus illuſtraremusque, nihil ut intactum prætermitteremus, quod curioſiores ſcire cuperent, nihilve ut afferremus, quod nobis tacendum fuiſſe, alieniores ab his ſtudiis clamitarent. Has ob cauſas eos, quorum intereſt, inſtituta cujusvis civitatis, vel ad cives juvandos, vel ad pauperes nutriendos & ſublevandos, vel ad liberos denique pie prudenterque educandos & erudiendos, noſſe & callere, ad ipſam hujus Operis lectionem ablegamus, illud ſolum addentes, nihil fore, quod ab incredibili Illuſtris Autoris in his rebus explicandis diligentia exſpectare poſſint, quod ille non fuſe expoſuerit, minutatimque enarraverit. In hoc enim *Tomo* non minus, quam in *priori*, omnem ipſe movit lapidem, ut fide digniſſimis, di-

ligen-

Digitized by Google

ligentiſſime exſcriptis, Diplomatibus, Actisve publicis, res hiſtoricas confirmaret, tam felici quidem ſucceſſu, ut CCLII talia monumenta attulerit, quæ, ſi ſecundum Seculorum ordinem enumerare velis, ad Seculum X unum, ad XI etiam unum, ad XII ſex, ad XIII viginti quatuor, ad XIV quinquaginta duo, ad XV nonaginta unum, ad XVI quadraginta ſeptem, ad XVII quatuordecim, denique ad XVIII unum & viginti, pertinere reperies. Quæ ſi trecentis quinquaginta tribus, in *priore Tomo* publicatis, annumeres, ſexcentorum decem documentorum, vel plane ineditorum antehac, vel ſaltem diligentius nunc, & ita, ut nihil deſiderare poſſis, exſcriptorum, theſaurum habebis. Age ergo, ſecundum librorum ordinem hunc theſaurum curioſius attentiusque luſtremus. *Tertio Libro*, qui de Academia Fridericiana *XXXVI Capitibus* exponit, Autor Ill. *Tomum* hunc exorditur. Norunt omnes, celeberrimam hanc ſedem a *Friderico*, tum temporis Electore Brandeburgico, poſt Rege Pruſſorum, primo A. 1694 Calendis Juliis rite inauguratam eſſe. Illud forſan non æque notum, *Albertum*, Martisburgenſem & Moguntinum Archiepiſcopum, jam A. 1531 de condenda Halæ Academia cogitaſſe, Pag. 1. poſteaque etiam annis 1578 & 1657 de inſtituenda ibidem 3. Schola Ducatus Magdeburgici publica, conſilia, irrito tamen effectu, inter proceres hujus regionis agitata fuiſſe. Debet ergo hoc ornamentum Hala munificentiæ *Friderici* Regis, conſi- 5. liis *Danckelmanni*, miniſtri ſtatus intimi, &, ſi dicendum, quod res eſt, *Thomaſii*, Viri Celeberrimi, inimicis, qui eum, Lipſia ejectum, eo adegerunt, ut Halæ, Principis conſenſu, docere juventutem doctrinæ cupidam inſtitueret. Subtilis & acerrimi vir ingenii, dum nova cupidiſſime arripiebat, vetera Philoſophorum ejus temporis placita ſalſe ridebat, omnia denique lingua vulgari proponebat, non poterat non juventutem, ad novas opiniones, easque Theologis infeſtas, pronam, vehementer allicere, ita quidem, ut numerum haud ſpernendum brevi tempore diſcipuli *Thomaſiani* efficerent. Quod cum tranſiens forte Halam *Fridericus*, Elector, non ſine ſumma voluptate animadvertiſſet; facilem ſe *Danckelmanno* præ-

 buit,

Digitized by Google

buit, qui, hac opportunitate utendum, ſcholamque publicam, proximarum æmulam, hic aperiendam eſſe, monebat. Neque, immunitates & privilegia ab Imperatore *Leopoldo* impetrare, Electori erat difficile; cum ille nihil non gratificari Electori, ut tunc erant tempora, ſoleret. Ampliſſimis ergo præmiis undecunque evocabantur, Halamque cogebantur,
Pag. 6. Viri doctrinæ excellentia celeberrimi, *Breitbauptius*, *Franckius*, *Stryckius*, *Bayerus*, *Cellarius*, nihilque intentatum relinquebatur, quod ſplendorem novæ Academiæ, famamque apud exteros, conciliare poſſet. Et reſpondit etiam his prudentiſſimis inſtitutis eventus tam feliciter, ut paucis annis nova Schola antiquiores, ſi non vinceret, certe eadem ſtudioſorum frequentia, doctorumque celebritate, æquiparare,
9. poſſet. Diligenter igitur Illuſtris Autor Fridericianæ Academiæ, quibus inde ab ortu ſuo, ad noſtra usque tempora, uſa eſt, fata recenſet. Singulis *Capitibus* de ſolenni inaugura- tione, Rectoribus, Prorectoribus, Cancellario, Directore, Ordinario, Decanis, Ordinum Theologici, Juridici, Medici, & Philoſophici, membris, reliquisque rebus, quæ ad eam vel
39. ornandam, vel regendam, pertinent, plenius Autor Illuſtris exponit, diſſenſionumque, vel Theologorum, vel Philoſophorum, hiſtoriam ſine omni partium ſtudio deſcribit, ita quidem, ut multa afferat, quæ ad penitius intelligendas contro-
48. verſias, ſuper Pietiſmo & *Wolffianis* opinionibus agitatas, maxime faciunt.

49 - 139. Sequuntur Statuta quatuor, ut dicunt, Facultatum, alia documenta regia, quæ partim ad Univerſitatem, partim ad diſſenſiones, Profeſſores Theologiæ inter & Sacerdotes Halenſes ortas, pertinent.

140. *Liber quartus XXIX Capitibus* continetur, & dividitur in *tres Sectiones*, quarum *prima* Orphanotrophii, quod Glauchæ eſt, rationem, atque ejus originem, ædificia, directores, inſpectores, & præceptores, orphanorum numerum, ſcholas, convictum, ægrotorum curationem, medicamentorum officinam, rem librariam & typographicam, Bibliorum Canſteinenſium rationem, reditus denique & privilegia, complectitur.

Sectio

Sectio altera de Pædagogio regio, ejusque inſtitutis & com- Pag. 167.
modis, exponit; *tertia* autem de rebus quibusdam, ad Orpha- 186.
notrophium pertinentibus, ut de educatione & inſtitutione
virginum genere nobilium, de iis, qui rei Chriſtianæ docen- 187.
dæ cauſa Tranguebariam, quæ eſt colonia illa Indiæ orienta-
lis, autoritate Regis Danorum mittuntur, & aliis. *Liber* 189.
quintus in *Partes III* diviſus eſt, & omnem rei ſcholaſticæ
conditionem, qualis Halæ eſt, complectitur. *Liber ſextus* 217.
Bibliothecas publicas & privatas, Numiſmatophylacia, & alia
loca, in quibus vel metalla, vel rariora alia rerum naturalium
genera, aſſervantur, demonſtrat.

De ſingulis his rebus cum plenius hic commemorari haud
poſſit; tantum e Bibliothecis libros paulo rariores, qui ibi
ſervantur, nominare, non alienum videtur. In Bibliotheca
igitur ad S. *Mariæ* ædem, quamvis vulgo Senatus eſſe putetur,
exſtant D. *Martini Lutheri* Prælectiones in XII Prophetas mi- 218.
nores MSti; ejusdem Biblia ſacra, Germanice verſa, & Wit-
tenbergæ A. 1534 typis *Jo. Lufftii* publicata, quibus locus ille
1 Jo. V, 7, deeſt; Tractatuum, Venetiis A. 1584 editorum, *To-* 219.
mi XXVI; Sermones aurei de Sanctis Fratris *Leonardi de Utino*,
Sacræ Theologiæ Doctoris, Ordinis Prædicatorum, ſine ad-
ſcripto loco & tempore, quibus publicati ſint. Et, quanquam
proxime poſt inventam typographiam typis deſcripti videan-
tur, tamen A. 1446 id factum non eſt, uti nonnulli arbitra-
ti ſunt. Induxerunt eos in errorem verba, quæ in fine libri
leguntur: *Expliciunt Sermones aurei de Sanctis per totum an-
num, quos compilavit Magiſter Leonardus de Utino, Sacre
Theologie Doctor, Ordinis Prædicatorum, ad inſtanciam &
complacentiam magnifice communitatis Utinenſis, & nobilium
virorum ejusdem MCCCCXLVI in vigilia beatiſſimi patris
noſtri Dominici Confeſſoris. Ad laudem & gloriam Dei omni-
potentis & totius curiæ triumphantis.* Scilicet iſte annus
1446 eſt compilationis, non impreſſionis, id quod re-
cte olim in his ipſis *Actis* animadvertit Celeb. *Jo. Erb. Kap-
pius*. Reperitur etiam in his ſcriniis Codex membranaceus

Digitized by Google

Pag. 220. *Terentii* in 4. In Univerſitatis Bibliotheca ſunt Biblia Latina S. *Hieronymi* integra, in palimpſeſto formæ maximæ eleganter manu ſcripta; porro literæ *Jo. Sigismundi*, Electoris, & *Jo. Georgii*, nec non *Georgii Wilhelmi*, Marchionum Brandenburgicorum, Principum item Anhaltinorum, aliorumque, magna ex parte originales; item Coranus Arabice cum Metaphraſi interlineari, in charta dentata in folio
222. ſcriptus, Codex perrarus. In Orphanotrophii Bibliotheca eſt magna Bibliorum SS. copia, in quibus multa ſermone peregrino edita ſunt, ut ſermone Damulico Tranguebariæ; Biblia Americana e verſione *Jo. Elioti*. E manu ſcriptis nos notemus Anonymi Vitam S. *Annonis*, Archiepiſcopi Colonienſis, & Evangelium *Nicodemi*.

227. *Liber VII* de Viri Illuſtris, *Godofredi a Jena*, legato & inſtituto exponit, quo ejus ædibus Halæ novem virgines genere nobiles, & ſacris Evangelico-Reformatis addictæ, cum
246. Abbatiſſa liberaliſſime continentur. *Liber VIII* docet viam ac modum, quo homines pauperiores Halæ vel ſublevantur,
262. vel aluntur; isque in *quatuor Partes* dividitur. Earum *una* Xenodochia S. *Antonii* & S. *Cyriaci* continet; *altera* reliqua &
265. Xenodochia & Ptochotrophia demonſtrat; *tertia* de piſtoribus Senatus Halenſis, & de Collegio, quod Eleemoſynas cu-
275. rat, exponit; *quarta* denique ergaſtuli rationem oſtendit.
276. *Libro IX* civilis ratio, privilegia, Statuta, & jura, Halæ continentur, eamque unquam civitatem imperialem & liberam fuiſſe,
315. Illuſtris Autor contra *Olearium* alioſque negat. *Liber X* eſt de Senatu Halenſi, ejusque ædificiis, Collegiis, & inſtitutis;
393. *Liber XI* de poſſeſſionibus urbis Halæ publicis & reditibus;
449. *Liber XII* de Collegio, quod Halæ de Jure reſpondet, ejusque
461. aſſeſſoribus; *Liber XIII* de judiciis montanis, ſeu Sculteto- rum (*Schultheiſs*), ejusque aſſeſſoribus, in curia de cauſis capitis aliisque jus dicentibus. Ad ea pertinent res civium & eorum, qui ſuburbium habitant. Nominantur judicia montana, quaſi dicas urbana, quoniam urbs, ſi præſertim vallem Salinarum ſpectes, in montis declivitate ſita eſt, vel, quod nobis magis placet, quia judicia ipſa olim in tumulo quodam

paulo

Digitized by Google

paulo editiori ad ſignum *Rolandi* habita ſunt. *Liber XIV* Pag. 530.
de judiciis, quæ in Valle Salinarum exercentur, & de Salinis, inſcribitur; ſed, quoniam de his rebus in *Partis I* additamento pluribus dictum eſt, præter duas Syngraphas, huc pertinentes, nihil continet. *Liber XV* exponit de colonia Fran- 531.
cogallica, ejusque cauſis, adventu, privilegiis, legibus, judiciis, & ædificiis publicis; *Liber XVI* autem de colonia Palatina, 535.
hoc eſt, de exulibus Evangelico-Reformatis, qui, ſub finem Seculi proximi inprimis ob religionis conſtantiam a Francogallis crudeliſſime vexati, & Manhemio aliisque e locis, Rheno adjacentibus, pulſi, Halam confugerunt.

Jam pergit Ill. Autor ad ea enarranda, quæ ad reditus regios, eorumque curam, pertinent. Nam *Libro XVIII* 537.
de Collegio, quod Halæ Regis nomine rei militaris, poſſeſſionum Principi propriarum, Fiſci regii, Salinarum, & fodinarum metallicarum, curam gerit, agitur; *Libro XVIII* de Ve- 542.
ctigalibus regiis, vel Portoriis, eorumque ortu & conditione; *Libro XIX* de Vehiculis publicis, & obiter de eorum ra- 545.
tione apud Perſas veteres & Romanos; *Libro XX* de Tribu- 551.
tis, quæ ædium, agrorum, prædiorum, cauſa Regi ſingulis menſibus ſolvuntur, agitur. Deinde ad ipſos urbis incolas Autor progreditur, a quibus, non dubitamus, quin magnam inierit gratiam, quod cum eorum univerſorum inſtituta, vitæ genera, ſocietates, loca publica, & ſuburbana, illuſtravit, tum viros principes & familias nobiliſſimas poſteritatis memoriæ commendavit. Etenim *Liber XXI* de incolis urbis exponit, & eorum 553.
rei quærendæ generibus, ut de officinis chirothecarum, & tibialium, de pulvere Cyprio, de glutine farinaceo, quarum rerum magna quotannis copia in alia loca exportatur; *Liber XXII* ſecundum literarum ordinem de familiis quibusdam 572.
nobilibus, patriciis, & plebejis, quæ in aliquo loco & numero habentur, earumque origine, ut exinde clarorum virorum propagines facillime poſſint cognoſci. Fecit id Ill. Autor in additamento quodam, litera B notato, & ſeparatim deſcripto, atque præclaro ſane exemplo imitatus eſt conſilium *Pomponii Attici*, quem, *Cornelius Nepos* ait, rem diffi-

Digitized by Google

difficillimam præſtitiſſe, ut familias multas a ſtirpe ad ſuam
Pag. 572. ætatem ordine enumeraret. *Libro XXIII* vitæ virorum, qui
vel doctrina, vel honoribus, Halæ geſtis, nomen aliquod con-
761. ſecuti ſunt, explicantur. *Liber XXIV* in *VII Partes* diviſus
eſt. Harum *prima* eſt de Cœmeterio publico, aliisque ſe-
767. pulcretis, quæ Halæ ſunt; *altera* de Foro novo, oppido,
769. ante pomœrium Halæ urbis verſus ſeptentrionem ſito,
ejusque origine, nomine, magnitudine, incolis, privilegiis,
779. Statutis, judiciis, mercatu anniverſario, & Senatu; *tertia*
porro de Glaucha, oppido ante portam Halæ Mauritiam tam
prope poſito, ut vulgo pro ſuburbio, quanquam minus recte,
786. habeatur, & aliis item rebus, ad illud pertinentibus; *quarta*
810. de Comitatu, arce, & oppido Wettino; *quinta* de Lobegunio,
816. oppido; *ſexta* de Conra, ſeu Conneria, oppido; *ſeptima* de-
831. nique de Comitatu, Canonicatu, præfectura, & oppido, Alslebio.
Atque hæc ſufficiant de *primo* hujus Voluminis *Tomo*. Sequi-
tur, ut de *II* & *III Tomo* breviter dicamus, ne Lectoris patien-
tia abuti videamur, præſertim cum ex iis, quæ jam ſtrictim
dicta ſunt, clariſſime appareat, librum ipſum dignum eſſe,
qui non per epitomen, tanquam per tranſennam, adſpiciatur,
847. ſed totus perlegatur. *Tomi* igitur *ſecundi Liber primus* de
855. præfectura Giebichenſtein exponit; *alter* de præfectura Wet-
ibid. tina; *tertius* de feudo caſtrenſi, ſeu de præfectura caſtellana,
ibid. Wettin; *quartus* de præfectura Rothenburg; *quintus* de præ-
862. fectura Brachwitz; *ſextus* de præfectura Beeſen ad Salam;
863. *ſeptimus* denique de præfectura montis *Petrini*, cujus reditus
864. ad fiſcum Principis pertinent, & de monaſterio S. *Petri*, quod
874 ſeq. olim in monte ſereno ſitum fuit. *Tomus tertius* ex litera-
rum ordine prædia Prælatorum, quos dicunt, Nobilium, & im-
munitates, parochias, pagos, & loca denique, ubi olim pagi fue-
runt, regionis Salanæ, deſcribit. Quanquam facile prævide-
mus, fore, qui vel argumenti in multis locis vilitatem, vel
orationis ſimplicitatem, in hoc Opere reprehendant; nos ta-
men profitemur, magnopere hujus libri lectione delectatos
nos fuiſſe, & ex animi ſententia Illuſtri Autori non ſolum vi-
tam longam & valetudinem ſecundam ex animo comprecamur,
ut

Digitized by Google

ut, quas in hoc Opere concinnando devoravit, nominis & gloriæ fructum diu percipiat, ſed etiam otii a curis gravioribus tantum, quantum ad reliqua documenta, quæ collegit, & digerenda, & publicanda, ſatis ſit.

Hiſtoriſcher Münz-Beluſtigung funfzehnter Theil, ꝛc.

id eſt,

HISTORICARUM E NUMIS DELICIARUM, A. MDCCXLIII per hebdomadum ſeriem editarum, Pars XV, in qua a JO. DAV. KOELERO, Prof. Publ. edisſeruntur varii memorabiles ac rariores Thaleri, Ducati, Metalliones, ac alii ſingulares eximiique aurei argenteique numi ætatum diverſarum; curate in æs inciſi. Accedit Continuatio XII tentatæ Thalerorum collectionis in Præfatione.

Norimbergæ, apud B. Chriſtophori Weigelii, ſenioris, Chalcographi, viduam, 1743, 4.
Alph. 2 plag. 13.

Muſæ *Kœleriana* datum eſt, nec languere, nec defatigari. Indicio eſt *Tomus* hic *XV* Operis, felicibus auſpiciis inchoati, feliciterque & æquo Jove procedentis, isque Illuſtriſſimo Comiti Dominoque *Henrico XI* ſeniori Rutheno inſcriptus. In Præfatione recenſentur Thaleri, a Comitibus Iſenburgenſibus, Leiningenſibus, Lippiæ, & Lowenſtein-Wertheimenſibus, percuſſi. Addit ibidem expoſitionem Metallionum duorum: unius, quo compactum Vicariorum Imperii, per terras Franconici Suevicique juris in Interregno jus dicentium, A. 1725 initum, illuſtratur; alterius, ad *Guſt. Guil.* Liberum Baronem *ab Imhof*, Gubernatorem Indorum fœderati Belgii orientalium, referendi, A. 1742 facti. Utriusque ectypon in fronte libri exhibetur. Tractationem ipſam aperit rarus Thalerus mnemonicus, index primi Jubilæi, quod Ill. Gymnaſium Bremenſe A. 1684 celebravit, & cujus hiſtoriam Noſter pro more ad amuſſim eleganter adjecit. Succedit numo ſe- Pag. 1.

 cula-

Pag. 9. culari Thalerus *Coſmi III*, Magni Tuſcorum Ducis, ad A.
1703, qui A. 1723 glorioſe deceſſit. Excipit eum rarior Tha-
lerus, ad A. 1554, *Melchioris Zobeli de Guttenberg*, Epiſcopi
17. Wirceburgenſis, impulſu *Wilhelmi Grumbachii* trucidati in-
dex. Admiratione dignus eſt rarior, vetus, & præſtantiſſi-
25. mus, Thalerus duplus *Matthæi Schineri*, Epiſcopi Sionenſis, in
cujus averſa apparet miraculis plena S. *Theodoli* imago ad A.
1501. Elegans eſt Autoris Cel. de *Theodulo* illo, æque Epiſcopo
Sedunenſi, expoſitio, prodentis, gladium judicialem in ſini-
27. ſtra *Theoduli* eſſe indicium Advocatiæ ac Comitatus, quem
29. *Carolus M.* illi contulerit. De reliquo hæc *Theoduli* ætas &
acta ſunt falſiſſima, ac innituntur fabulis, quas Monachus
peregrinus *Ruodpertus Actis S. Theodoli*, A. 1491 conſcriptis,
33. intexuit, ac Noſter mira ſagacitate exploſit. Non minorem
raritatem exhibet Thalerus *Caroli* Lotharingi, Gorziæ Ab-
batiæ domini ſupremi, ibidem ex argento cuſus. *Carolus*
hic exſtitit *Caroli III*, Lotharingorum Ducis, A. 1608 de-
35. functi, nothus, alias dictus *Charles de' Remoncourt*, mor-
tuus A. 1648. Abbatiam Gorzienſem Ordinis Benedicti-
ni, ſitam 4 milliaria a Metis verſus occidentem ad amnem
Gortz, fundavit S. *Chrodogangus*, Epiſcopus Metenſis, A. 749.
Inauguratam eſſe ipſam A. 765. 5 Jul. primumque ei præ-
fuiſſe Abbatem *Rodegangum*, conſtat ex *Hiſtoria translatio-
40. nis S. Gorgonii* in *Mabillonii Sec. II Bened. P. II pag. 206.*
Superiori Seculo medio Abbatia hæc fuit everſa a Pontificiis.
Reſtant ibi Abbas ſecularis & 12 Canonici, Regi Galliarum
ſubditi. Rarus æque eſt Thalerus *Ladislai*, poſtremi Hagen-
49. ſis in Bavaria Comitis, ad A. 1549. Sequitur eum Thalerus
57. rariſſimus utriusque ſororum, *Ermengardæ & Walburgis*, ex
Comitibus Ritbergicis natarum, ad A. 1567. Raritate
65. pari excellit Florenus aureus Archiepiſcopi & Electoris Mo-
guntini, *Bertholdi*, Comitis Hennebergici, ad A. 1501. Nu-
mus argenteus *Theodori*, Corſorum Regis commentitii, A.
TAB. V. 1736 percuſſus, dignus eſſe videtur, qui hic denuo producatur.
In antica viſitur caput ex obliquo, torva facie horridum, ex
cujus poſteriori parte propendent peniculamenta duo, nodis in-
fra inſtricta, aut tintinnabulis affixa. Superimminet capiti diade-
ma

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ma majus, necdum capiti longè minori impoſitum. Ex coronæ poſtremis pendent tres annelli catenæ, quorum infimus clauſus non eſt. Epigraphe, leviter adjecta, eſt hujusmodi: *Theodorus Rex Corſicæ.* In poſtica apparet inter A. 1736 Imago B. *Mariæ*, ſtellis circa caput cincta, pedibusque lunam calcans, adjecta perigraphe: *monſtra te eſſe matrem p.*
Numus æquat 3 drachmas. Non vacat in præſens, *Theodori* Pag. 73.
vitam adjungere. Convertimus potius operam noſtram ad ſuppoſititium Thalerum Mansfeldicum, cujus poſtica fuit recuſa, præferens illud: *Beſſer Land und Leut verlohren, Als ein falſches Eid geſchworen*, quod vulgo ferunt legi in nonnullis *Philippi*, vel *Wilhelmi*, Haſſorum Landgravii, numis.
Provocat attentionem noſtram rariſſimus Ducis *Auguſti* ju- 81.
nioris Brunſu. Lun. proſapiæ Dannebergicæ Thalerus, A. 1621 factus. Adjecit hic Cel. Autor cogitata audaculi cujusdam ſcriptoris, arbitrati, a *Philippo Magnanimo*, cuſtodia liberato, XII ejusmodi numos fuiſſe cuſos. Impudentiam hominis
ipſe merito revicit. Retinet nos rarior Thalerus, index con- 89.
cordiæ fraternæ inter fratres Ducesque Brunſuico-Luneb. lineæ Dannebergicæ, *Julium Erneſtum* & *Auguſtum*, ad A. 1617. Inſeruit hic rei numariæ princeps ſcriptum *Wilh. Ern. Ten-*
tzelii, cui eſt inſcriptio: *Endliche Erklerung wegen des fal-* 94.
ſchen Heſſiſchen Philipps-Thalers, mit: Beſſer Land und Leut
verlohren, &c. A. 1705. Oculos paſcit numus mnemonicus, 105.
A. 1741 cuſus, præferens in antica *Joannem Guſtavum Reinbeckium*, ac in averſa hoc elogium: *Theologo. φιλοσοφωτατω. ingenio. doctrina. integritate. eximio. primipilari. ſuo. digniſſ. μνημοσυνον. L. D. Societas. Alethophilorum.* E. C. C. A. M. id eſt, *Erneſtus Chriſtophorus* Comes *a Manteufel.* Operæ pre-
tium fuerit, vitam *Reinbeccii*, numo adjunctam, legiſſe. Suc- 97.
cedit huic numo alius, index ſcilicet *Wilhelmi Erneſti Tentzelii*, ad A. 1700. Hunc ſequitur Metallio, qui mortem *Magdalenæ*, Auguſtæ Saxo-Gothanæ Viduæ, ad A. 1740 teſtatur.
Merito nomen Metallionis ſuſtinet, qui nuptias *Philiberti II*, 113.
Ducis Sabaudiæ, ac *Margarethæ*, Archiduciſſæ Auſtriacæ, re-
præſentat animo recolendas. Rarus eſt Thalerus *Chriſtophori*, 121.

 Archi-

Archiepiſcopi Bremenſis, ac Verdenſis Epiſcopi, A. 1522 fa-
ctus. Nummus ipſo Præſule eſt commendabilior. Hunc enim
Pag. 137. nemo unquam laudibus evexit. Adſpici dignum eſt Numiſma,
A. 1555 cuſum, quod *Hieronymum Paumgartnerum*, ſenio-
rem Senatus Dominum, & eccleſiarum Curatorem primum,
exhibet, egregium quippe reipublicæ ſuæ virum, cujus vita ac-
145. cedit. Raritate ſe commendat Thalerus Cardinalis *Andreæ*
Auſtriaci, Adminiſtratoris Cœnobiorum Murbac. ac S. *Luderi*,
ex *Ferdinando*, Archiduce Auſtriæ, ac formoſiſſima *Philippina*
Welſeria, A. 1558, 4 Maji, nati, ac anno 1576 exeunte pileum
153. purpuratum Romæ nacti. Argumenti feralis eſt nummus miſ-
ſilis, quo memoria conſpirationis pulverariæ adverſus Regem
161. *Jacobum I*, Britanniæ Regem, conſervatur, ad A. 1605. Obi-
tum *Abrahami Heidani*, Theologi Lugdunenſis apud Bata-
vos, nuntiat Numiſma argenteum, A. 1678 cuſum. Rarus eſt
nummus quadratus, isque obſidionalis, in quo apparet urbis
Corck & turris, quatuor pinnas oſtendentis, indicium, A. 1690.
177. Ad bellum Hibernicum ille ſpectat. Vocat oblectationem
noſtram Thalerus *Friderici*, Regis Boruſſorum primi, index
185. ordinis *Suum Cuique*, A. 1711 factus. Pietatem ſpirat nummus
rarior ſepulcralis ad A. 1617, quo memoria *Henrici Witzen-
dorfii*, Conſulis Luneburgenſis, exhibetur. Rarum eſt Nu-
miſma, adſpicique dignum, D. *Melchioris de Oſſe*, Ele-
193. ctoralis, & quidem Saxonici, Cancellarii, ad A. 1543. Apolo-
giam viri tanti nemo non hic lubens cognoſcet & approba-
bit. Pulchritudinis laudem tuetur id, quod illi proximum
eſt, Numiſma *Joannis Schopperi*, XXVII Abbatis Hailsbron-
201. nenſis. Juvat miſera Abbatum inibi poſtremorum fata perpen-
209. diſſe. Rarior eſt Thalerus *Friderici Landi*, Principis loci
Val di Taro, ad A. 1622, & adjecta de S. *Franciſco* Commen-
217. tatio. *Guſtavo Wilhelmo* Libero Baroni *de Imhof*, Guberna-
tori Indiæ orientalis Batavicæ, ſacrum eſt, quod ſequitur, Nu-
miſma. Novitatem ſpirant Ducati duo, ornatiſſime in urbe
Auguſta Vindelicorum A. 1742 & 1743 cuſi. Rarum eſt Nu-
miſma Celeb. Conſiliarii Bavarici, *Leonharti de Egkh*, ad A.

1543. Rarior eſt Thalerus Abbatiſſæ Thorenſis, *Margaretæ de Brederode*, ad A. 1557, quem Cel. Autor jam in Præfatione ad *Partem V*, memoratu quippe dignum, attigerat. Thoerenſis Abbatia prope fines Ducatus Geldrici haud procul a Moſa eſt ſita, ſine ullo interventu paret Romano Pontifici, & ſede gaudet in comitialibus Prælatorum Rhenanorum ſubſelliis, ſuffragioque curiato prædita eſt imperiali. Conſtat Monaſterium XIV Canonicabus & ſex Canonicis. Inſtituit illud *Hilſundis, Comitiſſa terræ de Stryen*, uxor *Ansfredi*, Comitis Brabantiæ, *Hujæ*, & *Theiſterbandiæ*, filiis expers, pro ſe, filia ſua unica *Benedicta*, & pro virginibus, ab hac in conſortium adſciſcendis, A. 992, ſi fides eſt Diplomati, quod *Miræus Opp. Dipl. Tom. I pag. 146* edidit. Quantopere autem illius Diplomatis fides videatur eſſe ſubleſta, Autor ſubindicavit. De reliquo *Margaretha* Brederodenſis exſtitit Abbatiſſa Thoerenſis inde ab A. 1531 usque ad A. 1577, filia *Walrabii* Brederodenſis ac *Annæ*, e Comitibus Nuenarenſibus procreatæ. Cetera dabit Cel. Autor. Nobis progrediendum eſt ad rariorem Thalerum *Gabrielis Bethleni*, Principis Transſilvaniæ, qui titulum regni Hungariæ uſurpavit, ad A. 1621. Adjunxit ei Autor Ducati ectypon, qui ejusdem eſt *Gabrielis*, & tituli ejusdem. Provocant præterea attentionem noſtram XVI numi miſſiles, in honorem *Mariæ Eliſabetæ*, Gubernatricis Belgarum, inde ab A. 1726 usque ad 1741 cuſi. Nec obliviſcimur numi ſecularis, quo Ill. Comes *Ernestus Chriſtophorus de Manteufel* A. 1743 civitatem Academicam, Lipſiæ ante 50 annos acquiſitam, celebravit. Spectari meretur rarus *Renati II*, Ducis Lotharingiæ, Thalerus, ad A. 1488. haud ſecus ac Numiſma, quod Ducis Wirtebergici *Caroli Alexandri* ſepulturam indicat. Accedit huc numus reipublicæ Bremenſis, imperante *Leopoldo* cuſus, nec non ſpectabile illud Numiſma, quod, inſignia imperii ab Imperatore *Sigismundo* Noribergenſium tutelæ tradita eſſe (A 1424), ſignificat. Ad Ordinem equitum de Balneo, a *Georgio I*, Britanniæ majoris Rege, A. 1725 inſtitutum, ſpectat numus, qui illum excipit. *Maximilianum Emanuelem*, El. Bavariæ, A. 1712 ab ordinibus Namurci inauguratum, oſtentat ſequens ex auro numus.

Pag. 233. 241. 243. 249. 257. 289. 297. 313.

Digitized by Google

Pag. 329. numus. Juvat, Thalerum Biſontinum, A. 1660 percuſſum, Ducatum rariſſimum *Adolphi II*, Naſſavienſis, Electoris A. 1463 Moguntini, Thalerum *Erneſti V*, Comitis Mansfeldenſis, numum reſictum *Henrici V*, Burggravii Miſniæ, Numiſma *Joachimi I*, Elect. Brandenb. numum ſepulcralem *Chriſtianæ Fridericæ*, Ducis Saxo-Coburg. ad A. 1743, & Numiſma, quo Societas ſcientiarum Berolinenſis A. 1711 fundata ſignificatur, inſpexiſſe. Ecquid multa? Paucis interjectis, certamen aperitur ſingulare, idque bracteatum, quod *Nic. Seelanderus* Noſtro, neſcimus, quo eventu, intentavit.

SPIEGAZIONI DI DUE ANTICHE MAZZE DI FERro, ritrovate in Meſſina nell' anno 1733, &c.

hoc eſt,

EXPOSITIONES DUARUM ANTIQUARUM EX ferro clavarum, Meſſinæ repertarum A. 1733, ſcriptæ a Naufrago & Audace, Academicis Academiæ Periclitantium Peloritanæ, una cum objectionibus & notis Impetiti minis, Timidi, & Recepti, atque cum reſponſionibus eorundem, Naufragi & Audacis.

Venetiis, e typographeo Franciſci Pitteri, 1740, fol. ſecundum editionem Meſſanenſem anni 1740, fol. Alph. 3 plag. 7½, cum Tabb. æn. 17.

Annus 1733, ejusque inventum Meſſinenſe, volumini huic præbuit incunabula & originem. *Lucianus* enim *Foti*, pingendi ſtudio clarus, detexit tunc clavas ferreas fere ſtriatas, pretio exiguo comparatas a ſeſe, atque Academico, cui nomen eſt *Imperfecti*, eas ſuppeditavit viſendas. Spectarunt easdem Academici complures, qui crediderunt, ab *Audace* moniti, legi in illa Epiſtolam *Mariæ* Virginis, ad Meſſinenſes ſcriptam. Quantis hæc res rumoribus in oppido Meſſinæ fuerit dilata, & quanto gaudio tudes ille varius, ſtriatus, isque ferreus, fuerit usquequaque exceptus, nobis vel maxime tacen-

centibus agnoſcunt univerſi. Proceres eccleſiæ ac ſenatus e veſtigio id operæ Academicis, civibus ſuis, reſervarunt ac tribuerunt, ut in rationem & antiquitatem ſcripturæ curate hi inquirerent. In clavis illis ferreis, quæ characteres antiquos præferunt, exſtant literæ, *Laſchari* antiquiores. In clava prima, quæ penes urbis Magiſtratum exſtat, hæc leguntur:

† *In. Nomine. Patris. et. Filii. et. Spiritus. Sancti. Amen.* †
Virgo. Maria. Jeſu. Chriſti. Crucifixi. Mater †
Libera. Meſſanam. tuam. a. Saracenorum †
Benedicb. nos. et. Armis. protege. ſemper †
Sicut. Protectiones. et. Benedict. S. approbaſti †
In. Epiſtola. S. S. a. nobis. maxime. adorata †
Dona. nobis. Victoriam. contra. inimic. S. Fidei †

In alia vero, quæ eſt penes cathedralis Eccleſiæ Meſſanenſis Canonicos, leguntur hæc:

†† *In. Nomine. SS. et. Individuæ. Trinitatis. Amen* †
† *Virgo. Maria. Jeſu. Chriſti. Crucifixi. Mater.* †††
† *Libera. Meſſam. a. Saracenorum. Adventu* †
† *Benedicb. nos.* † *et. Armis.* † *defende. ſemper.* †
† *Sicut. in.* † *Epiſtola.* † *tua.* † *nos. confirmaſti* †
† *Dona. nobis. auxilium. et. victoriam* †††
† *Contra. Saracenos. et. Fidei. S. Exaltatio* †

Qui ſibi perſuadent, antiquiſſimam eſſe illam de Epiſtola, per *Mariam* Virginem ad Meſſanenſes ſcripta, famam, invenerunt hic opinionis ſuæ patrocinium inſigne. *Pirrus*, eam medio ævo confictam fuiſſe Epiſtolam, contenderat. At P. D. *Vitus d'Amico*, Caſſinenſis, in *Sicilia ſacra* jam exclamavit: *Quæ proxime inventa Dei ejusque Matris providentia, Pirri cenſiones dubio procul extrudunt*. Quæritur autem, 1) quamdiu literæ in ferreis clavis defoſſis poſſint illæſæ perdurare præcipue intra ſolum, ſulphure abundans; 2) an ſcriptura illa, barba-

barbariem redolens, ævo noſtro ſit excogitata & defoſſa; 3) quænam illa Saracenorum fuerit invaſio, quam decuerit propulſare precibus, in clavas inſcriptis. Sententiam primo dicit *Jacobus Franciſcus de Quingles*, inter Academicos dictus *Naufragus*, ſuamque expoſitionem affluentiſſima antiquitatum
Pag. 47. peritia complet. Objecit ei nonnihil Senator *Franc. Anatolius* Marchio *di Campo Rotondo*, cui nomen eſt inter Academicos *Timido*, ratus, clavarum confectionem non eſſe vetuſtio-
49. rem anno 541, nec anno 1060 recentiorem. Subjunxit præterea Expoſitioni illius Naufragi Obſervationes ſuas *Joannes Anato-*
60. *lius Ruffus*, Dux Archiraffenſis, docens, veteres devictorum
71. cerebra ferreis clavis contudiſſe. Reſpondit ad ſingula Naufragus. Poſthæc ſuppeditantur Notæ *Ignatii Caſarei*, ad ſententiam Naufragi adjectæ. Tum vero *Audacis* intrepida
86. ſeſe offert lectori explicatio. De uſu clavarum ferrearum bellico, veteribus trito, inibi leguntur ſane multa, & maximam partem exquiſita. Ediſſerit ſimul expeditiones Sarace-
102. norum, inde ab anno 541 in Siciliam ſuſceptas. Ob ſcripturam in eo eſt, ut exiſtimet, clavam utramque A. 1040 usque ad A. 1057 fuiſſe factam & elaboratam. Effundit præterea variam, eamque reconditam, eruditionem, qua numos, tabulas,
213. & inſcriptiones, illuſtrat. Addit Epiſtolas *Fl. Juſtiniani* ad Pontificem *Vigilium*, hujus ad illum reſponſoriam, literas urbis Meſſanæ ad S. *Benedictum*, *Gordiani* ad P. *Vigilium*, *Gordiani* ad S. *Maurum*, *transſumtum Arcadii*, aliasque lite-
279. ras, ac Meſſanenſium varia privilegia. Operam tandem impendit diluendis ac retundendis eis objectionibus, quibus Viri eruditiſſimi inducti, B. *Mariam* ad Meſſanenſes ſcripſiſſe, in ipſa Italia paſſim negarunt. A controverſiis enarrandis, quantum fieri poteſt, nos abſtinemus, ne judicemur partis alterius ſtudioſiores. Atque hæc eſt ratio, cur hic noluerimus eſſe longi.

JO. ZACHARIÆ PLATNERI, REGI POL. ELECT. Sax. a Conſiliis Aulæ, & in Acad. Lipſ. Med. Prof. Primar.

mar. Ord. Med. Decani perpetui, Opuſculorum Tomi duo, quibus Diſſertationes, & Proluſiones, continentur.

Lipſiæ, in officina Weidmanniana, 1749, 4.
Alph. 3 plag. 11, cum Tabb. æn. 5, & icone Autoris.

Quæ *Jo. Zachariæ Platneri*, Medici nuper noſtratis celeberrimi, Opuſcula ſeparatim, olim in Academia noſtra Lipſienſi propoſita fuere, illa nunc unum in corpus collecta, & nitidiſſima veſte induta, prodeunt, Filii natu majoris, *Friderici*, hoc nomine etiam de orbe medico, omnique literario, præclare merentis, honeſta laudabiliſque cura. Præfationem ſingulo *Tomo* præmiſit Editor, brevemque, ſed concinnam, de vita Patris Commentationem addidit; inque eo ſummam adhibuit curam, etſi Themidos ſacris addictus, ut quam emendatiſſima prodiret hæc collectio, & ſcriptoris elegantiæ conſentaneus videretur externus habitus. Inprimis de colligendis his Commentationibus cogitare juſſit pretium illud ſingulare, quod docti homines B. *Platneri* ſcriptis ubique ſtatuerunt. Acceſſit deſiderium earum, ab utilitatis & ſuavitatis opinione commendatum. Juvit etiam, & egregie maturavit, hoc conſilium, quod tabulæ æneæ, quibus B. Autor in nonnullis Diſſertationibus uſus erat, ad manus eſſent. Quantum igitur, in adornanda hac paterni libri editione, aliorum deſideriis utilitative, tantundem pietati etiam, dari potuit. In qua quidem præſtanda, inprimis Virorum doctorum, & de Academia Lipſienſi præclare meritorum, *Jo. Erhardi Kappii*, *Jo. Erneſti Hebenſtreitii*, & *Jo. Benjamin. Bœhmeri*, ſtudiis & exemplo, gratus Filii animus confirmari debuit, qui quippe, ſive ſingulari Proluſione, nomine Academiæ ſcripta, ſive docta Præfatione, Orationem anniverſariam edicente, ſive habita denique, ipſo die emortuali B. Autoris, eleganti Oratione, de ſervanda Patris memoria optime proſpexerunt. Omnes, in *duo* hæc *Volumina* collectæ, Commentationes olim in Academia Lipſienſi, vel

Digitized by Google

vel ad diſceptandum, vel edictorum loco, publice propoſitæ, ſuoque quæque tempore typis exſcriptæ, fuerunt; quarum illas *Tomus prior*, has *poſterior*, complectitur. *Priore Parte* omnes continentur Diſſertationes, quas B. Autor ipſe ſcripſit, omiſſis quidem, ejus ex voluntate, illa *de generatione metallorum* juvenili opera, cui parum tribuiſſe viſus eſt, tribusque aliis, *de generatione animalium adverſus Hartſækerum, de Affectibus capitis ex hæmorhagiis molientibus*, & *de Medico, directore motuum vitalium*, quas ſub præſidio *Gothofr. Polycarpi Mulleri*, & *Michael. Alberti*, Reſpondens publice defendit. Quarum Comentationum pars maxima cum nomine eorum, qui defenſorum officia ſuſtinuerunt, ſcripta ſit; etiam oratio eorum perſonis fuit accommodata, quod in pleriſque nunc ſublatum eſt. Quæ vero præterea mutata ſunt, illa, ex B. Autoris autoritate, ſcias, emendata, qui in exemplo ſuo quædam ſua manu correxerat. De Orationibus denique, a B. *Platnero* per occaſiones Academicas habitis, deque altera parte Inſtitutionum Chirurgiæ, Germanice converſarum, in fine Præfationis additur, harum proxime edendarum curas in ſe ſuſcepiſſe Viros Clariſſimos, *Jo. Auguſtum Erneſti*, & *Jo. Benjaminum Bæhmerum*, quod officium jam uterque diligenter præſtitit, & ille quidem Collega noſter humaniſſimus, addito B. Autoris elogio, priſca conſcripto fide atque elegantia. Tituli Diſſertationum hi fere ſunt: 1) *de Fiſtula lacrymali*, Reſpondente M. *Henrico Godofredo Heylando*, 1724; 2) *de Scarifatione oculorum*, Reſpondente M. *Frid. Chriſtoph. Prætorio*, 1728; 3) *de Morbis ex immunditiis*, Reſpondente *Jo. Gottlob Wild*, 1731; 4) *de Thoracibus*, Reſpondente *Traugott Gerber*, 1735; 5) *de Oſſium epiphyſibus*, Reſpondente *Jo. Mich. Schwartz*, 1736; 6) *de Calculo ad veſicam adhæreſcente*, Reſpondente *Jo. Chriſt. Tilling*, 1737; 7) *de Noxis ex cohibita ſuppuratione*, Reſpondente *Jo. Andrea Vette*, 1740; 8) *de Victu & regimine lactantium*, Reſpondente *Carolo Gottlieb Pauli*, 1741; 9) *de Negotioſa actione propter valetudinem circumcidenda*, Reſpondente *Erneſt. Frider. Haackio*, 1744; 10) *de Hydrocele*, Reſpondente

M.

Jo. Benjam. Bœhmero, 1745. *Alter Tomus* Proluſiones, numero XXVII, comprehendit, quæ eo ordine, quo ſcriptæ ſunt, ſeſe excipiunt. In his, quæ ad Candidatorum vitas ſpectarunt, omiſſa ſunt, ne opus in inutilem excreſceret magnitudinem, quodque iſtæ vitarum delineationes breviores eſſent. Nonnullis, ex Autoris exemplo, titulus adjectus eſt, quæ res in ipſis tractetur, indicans; eademque ex autoritate, *Proluſionis III* titulus, ambiguitatis tollendæ gratia, mutatus. Ita vero inſcriptæ ſunt: 1) *de Chirurgia, artis medicæ parente*, 1721; 2) *de Arte gymnaſtica veterum*, 1724; 3) *de Morbo Campano, ad verba Horatii Lib. I Sat. V v. 62*, 1732; 4) *de Morbo* ἐνθουσιαζόντων καὶ ἐνεργουμένων, 1732; 5) *de Magno Hundt, Tabularum anatomicarum, ut videtur, autore*, 1734; 6) *de Anatome ſubtiliori, ob uſum inprimis chirurgicum, non negligenda*, 1734; 7) *de Chirurgia ocularia*, 1735; 8) *de Arte obſtetricia veterum*, 1735; 9) *Obſervationes quædam Anatomicæ*, 1736; 10) *de Curatione* τοῦ ἀποσκεπαρνισμοῦ *in calva*, 1736; 11) *de Muſculo digaſtrico maxillæ inferioris*, 1737; 12) *de Riſu a ſplene*, 1738; 13) *de Oſſium conformatione & colore*, 1738; 14) *de Motu ligamenti ciliaris in oculo*, 1738; 15) *de Aqua fontana ſalubriori ceteris*, 1738; 16) *de Pallore per adverſam valetudinem quæſito*, 1739; 17) *de Somno infantum ex agitatione motuque cunarum*, 1740; 18) *Medicos de inſanis & furioſis audiendos eſſe*, 1740; 19) *de Vulneribus, ſuperciliis illatis, cur cæcitatem afferant, ad locum Hippocratis in Coac. Prænott.* 1741; 20) *de Somno in cubiculis percalefactis*, 1741; 21) *de Noxis ex cohibita ſuppuratione in nonnullis oculorum morbis*, 1742; 22) *de iis, qui ex tuberculis gibberoſi fiunt*, 1743; 23) *de Faſcia, infirmitatem adjuvante*, 1745; 24) *de Curatione infirmorum articulorum per ſtillicidium*, 1746; 25) *de Viro bono, Medico*, 1747; 26) *de Peſtiferis aquarum putreſcentium exſpirationibus*, 1747; 27) *de grato animo Medicorum*, 1747. Hæc ad libri, & præſentis editionis, rationes pertinent. Etiam de vita Autoris quædam addimus. Natus Chemnitii, d. 16 Aug. A. 1694, patre uſus *Zacharia*, mercatore & tri-

umviro Conſulari, matre *Anna Magdalena Snorria.* Prima ſtatim ætate e literarum fructu ſummam percepit voluptatem. Qua recondita in illis ſuavitate excitatus, totum ſe conſecravit literis, duce inprimis *Daniele Mullero*, patriæ ſcholæ Rectore docto & humano. Deinceps autoritate *Chriſt. Fridер. Garmanni*, Viri Clariſſimi, & amici patris familiariſſimi, permotus eſt, ut arti ſalutari ſe traderet. Quo conſilio A. 1712 Lipſiam venit, ſectatus in Philoſophia *Jenichium, Gothofr. Polycarp. Mullerum*, in Phyſicis *Lehmannum*, convictu etiam & præceptis uſus *Jo. Burchardi Menckenii*, cum grata perpetuaque hujus felicitatis recordatione. Artem ſalutarem a Viris ejus temporis doctiſſimis, *Pauli, Schachero, Scheidero, Schultzio, Ettmullero, Bohnio*, quique in primis nominandus erat, *A. Q. Rivino*, percepit. Halam adiens, *Albertum* & *Coſchwizium* audivit, a *Chriſtiano Thomaſio* prope in familiaritatem admiſſus. Hinc Chemnitium reverſus, ſemeſtre hibernum anni 1716 præcipue in cognoſcenda rerum metallicarum ratione peregit, quam cognitionem & ornare, putabat, Medicum, & ipſi eſſe neceſſariam. Poſt illa Lipſiam redux factus, ſummos Philoſophiæ honores d. 11 Febr. A. 1717 accepit, &, propoſita Diſſertatione *de Generatione metallorum*, magis ſibi confirmavit. Halam hinc denuo repetens, defenſa d. 25 Septembr. ejusdem anni Diſſertatione, *de Medico, directore motuum vitalium*, ſummos artis ſalutaris honores obtinuit; probeque ſciens, quantum utilitatis in exterorum doctrina ſit propoſitum, per Germaniam in Galliam contendit. Noribergæ *Gothofr. Thomaſio* innotuit, Bibliothecæ locupletiſſimæ perluſtrandæ copiam facienti; Altorffii *Rinckio, Baiero*, & *Heiſtero*, nunc Helmſtadienſem Academiam ornanti. Argentoratum veniens, *Saltzmannum* maxime & *le Maire*, Chirurgum clariſſimum, audivit, cum maximo utilitatis fructu; *Scheidium* quoque, *Henningerum*, & *Bœclerum*, adiit. Argentorato Lutetiam Pariſiorum diſcedens, facto per Helvetiam, Sabaudiam, & Lugdunum, itinere, inprimis Anatomiæ & Chirurgiæ Doctores celeberrimos ſecutus eſt. Eodem conſilio noſocomia frequentavit; cadaveribus ſecandis diligenter manum admovit; Chirurgiæ

rurgiæ diſcendæ gratia clariſſimis Chirurgis, opus facientibus, comes ſæpe adſuit, & ſua ipſe manu vulnera tractavit. Contigit autem ipſi vel ſua natura propenſo, in chirurgia ocularia præceptore *Woolhuſio* uti, cujus fidem & dexteritatem ſcriptis ſuis & quotidianis fere ſermonibus prædicavit. Belgio deinceps luſtrato, *Bœrhaavium*, *Bernhard. Sigfr. Albinum*, alios que viros fama claros, adiit, inde patriam A. 1719 repetens. Sequenti anno Lipſiam rediit, ibique ſub divinis auſpiciis ſedem conſtituit; cumque,docendam & faciendam, medicinam, grato utramque conjungendam connubio exiſtimaret, ſtatim & docere, & facere artem, inprimis oculorum morbis mederi, cœpit,quod utrumque feliciſſimo eventu factum eſt. Omne autem tempus, ab arte facienda relictum, legendis veterum Medicorum, aliorumque, *Hippocratis* maxime, *Galeni*, *Celſi*, quem præcipue in deliciis habuit, *Ciceronis* deinde, *Livii*, *Quintiliani*, *Ariſtophanis*, *Plutarchi*, ſimilium, monumentis lubenter & tanta cum voluptate tribuit, ut, poſt illa, hanc ademtam ſibi, negotiorum multitudine, ſuavitatem magnopere ſæpe doleret. A. 1721 munus Anatomiam & Chirurgiam extra ordinem docendi obtinuit; A. 1724, poſt obitum *Rivini*, Profeſſionem Phyſiologiæ; A. 1734, *Ettmullero* fatis concedente, Anatomiæ & Chirurgiæ; A. 1737, cum *Schacherus* vivere deſiiſſet, Pathologiæ: & tandem A. 1747, *Walthero* mortuo, Therapevtices Profeſſionem accepit, & Ordinis medici Decanus perpetuus, Aulæque Conſiliarius, appellatus eſt. Interea temporis, cum Gottingenſis Academia adornaretur, ipſique munus, Medicinam primario loco docendi, offerretur, itemque cum *Lœwenwoldius*, Comes, & Imperatricis Ruſſorum ſtabuli magiſter, Medici primarii provinciam ipſi deferret, non auſus eſt, ne cogitando quidem, abitum parare, uſus tam admirabili & plane divina Regis noſtri clementiſſimi gratia; ſicuti etiam in præcipua felicitate habuit illam coram Sereniſſimis Saxoniæ Principibus dicendi licentiam, qui patienter ipſum audiverunt, & poſtea, pro ſumma ſua indulgentia, benigniſſime exceperunt. A. 1721 vitæ ſociam ſibi elegit *Langguthiam*, *Rudolphi Ludovici*, mercatoris inter Lipſienſes primarii, filiam, atque, hac ſibi erepta, *Schreiteriam*,

Digitized by Google

Chriſtophori filiam, ex qua duos filios ſuſcepit, totidemque filias. A. 1747, d. 19 Decembris, aſthmate confectus, contra omnem exſpectationem, ſed dudum ad utrumque paratus, obiit, annos natus 53, vita longiore utique digniſſimus. Omnino enim tuetur, quem ipſi filius ſtatuit, hunc titulum: *A prima ætate usque ad ſenectutem honeſtati ſtuduit, nihilque magis, quam homines avaros, cupidos, ſordidosque, ſprevit. In eo elaborans, ut Deo gratus, civibus carus, Reipublicæ utilis, eſſet. Honores nunquam petiit, ſed recuſavit, oſtentationis inimicus, modeſtiæ operam dedit. Nunquam favori, ſed veritati ſæpius, ceſſit, amicitiam ſancte ſervavit. In gerendis magiſtratibus, ut ſummo illo Academico, & adminiſtrandis reditibus Academicis, plus utilitati publicæ proſpexit, quam ſuæ.* Plura longe, eaque exquiſitiſſima, de diſciplina, inſtitutis, vivendi genere, Bibliotheca inſtructiſſima, laudatum ſupra Cl. *Erneſti* elogium; ſed ipſe ſibi laudator eloquentiſſimus contigit. Qualis enim ubique fuerit, ſcripta ejus, ut nunc quidem nonnullis exemplis declarabitur, ſine ambitione loquuntur.

Pag. 1. *Prima Diſſertatio* de *Fiſtula lachrymali* agit, morbo non adeo infrequente, magnis tamen litibus, quoad naturam ejus &
4-8. curationem, implicito. Fiſtulæ autem nomen ulceri alto, anguſto, calloſo, non cuivis ſacci lachrymalis exulcerationi, aut
7. tumori, competit, in quo veteres plerique conſentiunt. Remediis igitur longe aliis, in curatione fiſtularum, quarum natura callo abſolvitur, opus eſt, quam in alius cujusvis ſim-
11-12. plicis & ſinuoſi ulceris tractatione. Hanc illarum naturam *Stahlius* tenuit, primusque fuit, qui novam curandi methodum inveniret, chordam chelyos, cera imbutam, per punctum lachrymale immittens, cujus ad decurſum ſectionem dirigeret.
13. *Anellius* vero non item, etſi hanc methodum ulterius perfe-
25. ciſſe viſus ſit. Manifeſtum enim eſt, veram, calloſam, fiſtu-
29, 30. lam *Anelliana* methodo curari non poſſe. Quare huic, ut aliis enchireſibus, *Woolhuſiana* methodus merito præferenda eſt, inprimis pleniſſime nunc deſcripta, ejusque ferramentis
36. in tabula ænea depictis. Domeſticum exemplum hanc latam ſententiam firmat, fœmina ſcilicet, a B. *Platnero*, duce

Wool-

Woolhuſic, comite *Gladbachio*, percurata fiſtula, ad priſtinam
integritatem perducta. *Altera Diſſertatio, de Scarificatione* Pag. 39 - 42.
oculorum, ejus hiſtoriam altius repetit, textum *Hippocratis* ab
erroribus vindicat, ipſam enchireſin, olim a *Woolhuſio* ſtudio-
ſiſſime celatam, ſed grandi pecunia redemtam, liberaliter cum
omnibus communicat, ejusque utilitatem recenſet. Ipſe jam 47, 48.
Hippocrates hanc enchireſin laudavit; *Woolhuſius* autem, Græ-
ce excellenter doctus, & *Hippocratem* recte intelligens, ne-
glectam huc usque reſtituit, & novo inſtrumento perfecit.
Locus *Hippocratis* in libello περὶ ὄψιος ed. *Linden. Tom. II*
pag. 353 exſtat; in quibus τὸ ξύειν per ſcarifare interpretari, 57.
in ἀτράκτῳ autem cuſpides, ſcarifandis oculis idoneas, quærere,
decet, cum probabile ſit, ἄτρακτον hoc loco idem ſignificare,
ac ἀτρακτυλίδα, cardui genus, herbamque ſpinoſam, ex qua
agreſtes mulieres fuſum olim fecerant. Igitur *Woolhuſius*,
Hippocratem feliciſſime imitatus, βλεφαρόξυστον ſuum ex fa- 61 - 63.
ſciculo glumarum, e ſpica *Secalis*, Gallis *Seigle*, evulſarum, ut
nunc ubique notum, confecit. Idem vero inſtrumentum ex
avena, quod *de St. Yves* vult, parari poſſe, in dubio relin-
quitur. Adjecta tabula hoc inſtrumentum cum aliis pingit;
aliunde vero, utque fidem mereatur, accepimus, B. *Platnerum*
hujus ξύσιος centies amplius feliciſſimum feciſſe experimen-
tum. *Diſſertatio III, de Morbis ex immunditiis*, omnis ele- 70.
gantiæ pleniſſima, inter alia pulchra & venuſta, ad celebrem
illam quæſtionem, num acutis & exanthematicis morbis pe- 85, 86.
riculoſius decumbentes, itemque puerperæ, & quibus mercu-
rio ptyaliſmus excitatus eſt, ſe ſordidatis linteis absque pericu-
lo exuere queant, eo modo reſpondet, qui ſolatio eſſe iis ma-
xime poſſit, qui, inter alias lautitias, linteorum munditiis aſ-
ſueti, illo obſiti ſqualore graviſſime offenduntur. Equidem
non quovis tempore lintea ſordida commode deponi poſſunt.
Quo enim corporis quædam partes madeſcunt, & ſudorem
venturum teſtantur, vel quo puſtulæ in malignis prorumpunt,
levior aura, quæ cutim ferit, omnia invertit, & atrociſſima
ſymptomata parit. Aſt vero, quo tempore ſudor finitus eſt,
exanthemata corpus jam occupaverunt, morbus de impetu
paulu-

Digitized by Google

paululum remiſit, & æger ſe aliquantum levatum ſentit, op-
portunitas eſt lintea mutandi, modo hæc tepefacta ſint, nec
humida, nec frigida, hocque fiat aere temperato, paulo cali-
diori, omnisque perflatus ſedulo arceatur. Eorum enim ſen-
tentia & ratione, & experientia, fulta videtur, qui, ſpurcam
illius excrementi colluviem ægro ſæpius ipſo morbo nocen-
Pag. 45. tiorem eſſe, probant. *Diſſertatio IV, de Thoracibus,* hanc ma-
99 - 100. chinam, cum illo nocentiſſimi cultus inſtrumento, cum rigido
illo, leviter inflexo, prominentiorem umbilicum violenter
comprimente, bacillo, *la Planchette*, Germ. *das Blanckſcheit*,
appellato, deſcribit, atque hunc veſtitum gravidis publica lege
prohibendum cenſet, quo & parentis valetudo, id quod ex
omni abortu fiat, periclitetur, ipſa proles ſæpius indigniſſime
101. juguletur, aut deformis & monſtroſa reddatur, etiam haud
raro diro illi & hac ætate adeo frequenti morbo, Rhachitidi,
103 - 105. occaſio detur. Eodem modo mos ille vehementer impro-
bandus eſt, quo neo-nati faſciis injectis violentius conſtringun-
tur, unde infinita mala, & inter hæc aliquando totius corporis
eryſipelas, *das lauffende Feuer*, infantibus recens editis fre-
103. quentiſſimus morbus, ortum fuiſſe viſum eſt. Congrua
faſciatione optime cavetur, ne pueri pluribus ex cauſis gib-
106. boſi fiant; Thoracibus autem, quos ad formæ dignitatem au-
gendam adhibent, nimium contractis, tenella infantum cor-
pora diſtorqueri, & gibbera fieri, rerum harum & ſtructuræ
124. corporis intelligenti, mirabile non videtur. At mirabilis ne-
xus viſus fuit, quo muſculus latiſſimus dorſi inferiori oræ ſca-
pulæ adhæreſcere, in cadavere aliquando demonſtratus eſt,
quem non ſemper reperiri, *Winslovius* docet, *Veſalius* vero
139. *Galeno* negat. Etiam hoc aliquid monſtri alit, oſſa in ætate
provectioribus aliquando præter naturam ita molliri, & cerea
ac fragilia fieri, ut, quaſi liquata, diffluant; quod propria quidem
experientia, in oſſe dextro innominato viri cujusdam, com-
151. pertum eſt. Cui & hanc obſervationem merito jungas, qua
nonnullis, cum neutiquam rhachitide laborarent, ſuperatis
etiam iis annis, quibus huic morbo obnoxii ſolent eſſe infan-
tes, digitorum oſſa intumuiſſe conſpecta ſunt, quod adſtrictio-
ribus

Digitized by Google

ribus thoracibus comprehenderentur, quibus omiſſis, ex Medici conſilio, offenſionibus, tumor, gravius malum minitans, haud adolevit. At thoraces etiam, ſi iis recte utimur, tum ad corporis cultum, tum ad medendum, plurimum conferunt. Pag. 148.
Diſſertatio V, de Oſſium Epiphyſibus, ſeu appendicibus, quæ 153.
in junioribus ſunt, primo ea, quæ omnibus competunt, generatim comprehendit, poſt ad ſingularum appendicum enumerationem procedit, & ſub finem morbos commemorat, quibus illæ obnoxiæ ſunt, quosque, vitiatæ, parere poſſunt, addita ſubinde recta medendi ratione. Collatis autem optimis Au- 155.
toribus, quæ ab iis tradita, per oculorum uſum, & diligentem præparatorum contemplationem, aut confirmantur, aut emendantur. Ita, num vera epiphyſis aliam, ſibi media car- 166, 167.
tilagine junctam, habere poſſit, ſi fides ſolis oculis habenda, amplius dubitari non debet, cum aliquot exempla in oſſe temporum occurrerunt, ubi ex proceſſu ſtyloideo, primum vera epiphyſi, deinceps oſſi temporum per articulum, ex ipſius *Ruyſchii* ſententia, juncto, nova, exporrectior, oſſeaque 173, 174.
appendix, cartilagine intercedente, conſurgere viſa eſt. Quo vero tempore Epiphyſes in Apophyſes mutentur, vix a natura conſtitutum eſt. Id autem multa obſervatione exploratum eſt, longe diutius manere epiphyſes in corporibus, gravi diuturnoque morbo, e. g. lue venerea, infirmis, quam in valetudinis proſperitate uſis. Adulti enim & proceri hominis ſceletum plurimas, quæ reperiri ſolent, epiphyſes, mediamque, inter has & oſſium diaphyſes, cartilaginem, demonſtrat; hominem vero venereo morbo implicitum fuiſſe, ex palati oſſibus, vitiatis, & carie exeſis, intelligitur. Etſi 176.
vero in oſſibus ſyncipitis, ſive bregmatibus, nulla ſit nec diviſio, nec appendix; nonnunquam tamen hac ſede, ubi barbaro nomine dicta fontanella fuit, os, ab aliis diſtinctum, manet; cujus rei exemplum calva, in rarioribus aſſervanda, exhibet. *Diſſertatio VI, de Calculo ad veſicam adhæreſcente*, 195.
unam atque alteram obſervationem de calculis, ab experientiſſimo quondam Chirurgo, & feliciſſimo, apud Berolinenſes, Lithotomo, *Gabriele Senffio*, acceptam, exhibet; qui *Senffius*,

 ſicuti

Pag. 197. ſicuti in lithotomiæ adminiſtratione paucos, & conſilio, &
manu, habuit priores, ita omnes, ab aliis magiſtris propoſitas,
calculum curandi, rationes imitatus, tandem in ſectione late-
rali, a *Guilielmo Cheſeldenio* haud ita pridem propoſita, fere
207, 208. ſubſtitit. Prior obſervatio calculum ſiſtit, glumas hordei,
cum aliqua parte ipſius ſpicæ, comprehendentem; in quo il-
lud præcipue mirabile viſum, qua ratione ſpica hæc in veſi-
cam detruſa, calculo ibi obducta, fuerit, quod æger ſe igno-
rare ſimulavit, ipſe etiam *Senffius*, ſe neſcire, pro candore ſuo,
faſſus eſt: tandem vero homo, ad accuratiorem disquiſitio-
nem vocatus, ingenue profeſſus eſt, ſe ſpicam illam, cum
acerbiores in veſica dolores ſentiret, ad levandos illos, per na-
turale urinæ iter demiſiſſe, ſed poſtmodum, obnitentibus ri-
gidis glumis, ſine aſperioribus doloribus, iterum protrahere
non potuiſſe, eo modo, ut *Platnerus*, per literas a *Senffio* ro-
gatus, fere reſponderat. Conferri hic merentur laudati a no-
bis in his *Actis A. 1745 Menſ. Martio P. II pag. 176 & 178 Sam.*
Scharſchmidii Relationum medicarum atque chirurgicarum
216. *Prodromi Parte I Obſ. III pag. 13 ſeq.* Poſterior Obſervatio
hæc eſt: Idem *Senffius* adoleſcenti, duodecim amplius annos
nato, calculum e veſica protraxerat, qui cum veſica coierat, ut
hæc duplicata cum calculo deduceretur; oportuit itaque *Senf-*
fium calculum adglutinatum diducere, id quod, quamvis digi-
to agitata fuerit veſica, adeo feliciter ceſſit, ut, nullo pericu-
lo orto, felix fuerit curatio. Poſt quatuor annos hic adole-
ſcens alio morbo exſtinctus, ſectusque, eſt; in veſica autem
alius calculus, veſicæ tamen non adhærens, inventus, altero
calculo, qui olim inhæſerat, ex parte, qua cum veſica com-
miſſus fuerat, arenoſo & molli, ceterum vero ſatis duro. *Diſ-*
218. *ſertatio VII noxas* perſequitur, *quæ ex cohibita ſuppurations*
223. *oriuntur*. Generatim B. Autor illi recentiorum doctrinæ de glo-
bulis ſanguinis minus favet, & *Leeuwenhœkii* ſententiam in-
primis commentitiam pronuntiat, qui, hos globulos ſemper
ex ſeris minoribus compoſitos eſſe, atque eos ruptos & fati-
235. ſcentes in totidem minores reſolvi, conſtituit. Etiam illos
notat, qui ſpiritum vini, ſive alcohol, præcipue ſi camphoræ
plu-

plurimum excepit, promiſcue diſcutientibus annumerant, eundemque in omni tumorum genere, ſi mammæ quoque, teſtes, aliæque glanduloſæ ſedes, intumuerint, magnificis laudibus celebrant, & quaſi ſolum venditant. Nec minus affirmat, in Pag. 237. ſimplici, recenti, & tantum diſciſſo, vulnere, quod enſe acuto & cultellato illatum fuit, quicquid medicamentorum in id & inter oras ejus ingeratur, non ſolum non proficere, ſed nocere. Ad nocendum, pusque ſupprimendum, nihil fere 240. magis valere, quam libidinis intemperantiam, venerisque uſum, memorabili exemplo hominis juvenis, declaratur, cui ſarcoma ex pectore exciſum fuerat, & melioris notæ pus ex vulnere jam exierat. Hic enim, poſtquam decimo tertio die bene valuerat, inque conclavi, fumum per fiſtulam petens, deambulaverat, cum fœmina, meretricio amore ipſi conjuncta, rem habet, ſubitoque mutatis omnibus, poſt viginti circiter horas, exſtinguitur. Lepidum autem illud Chirurgi exem- 243. plum eſt, qui aliquando in tantis erroris ac inſcientiæ tenebris verſatus eſt, ut crus, cum id totum emortuum eſſet, balſamo circumlitum non aliter condiret, quam veteres mortuorum corpora. Poſtremo ad tumores, diſſipata inflammatio- 245. ne, calloſos redditos, efficaciora mollientia commendantur, in quibus ea compoſitio, quæ ex caricis pinguibus, igne parum toſtis, additis mollientibus, fit, magnopere extollitur; utpote quibus impoſitis, diuque ſuperhabitis, mammarum etiam, aliarumque partium, tumores ad ſuppurationem perducti, curatique fuere, qui ab initio opinionem ſcirrhi jam fecerant. *Diſſertatio VIII, de Victu & regimine lactantium,* multa ha- 251. bet diligenti animadverſione digna. Plura leguntur apud Au- 254. tores, ſive hiſtoriæ, ſive fabulæ, de hominibus, qui, cum beſtiarum lacte nutriti adoleviſſent, ingenium moresque nacti fuerunt cum illarum natura congruentes. Ingenioſe hoc probabiliterque, contra Autorem libelli, ante paucos annos, titulo: *Traité de la communication des maladies & des paſſions*, editi, urgetur, qui, infantes lacte beſtiarum educandos eſſe, multis argumentis probare ſibi ſumſerat. Igitur in deligen- 257. da nutrice in id potiſſimum curam cogitationemque conferre

 opor-

oportet, ut illi mens ſana, cum corpore bene habito & integri ſanguinis, ſit, ne animi pravitatum contagio tenellis no-
Pag. 260. ceat. Si fœmina non niſi unam mammam habet, res non ſine omni periculo eſt; infantem enim, dum eandem mammam ſemper ſugit, in unum latus procumbere oportet, cui ob id, ſi corpus imbecillum, dorſi ſpina facile diſtorquetur, &
262. is gibberoſus fit. Lac ex chylo, potiſſimum ad mammas permanante, conſtare videtur. Aerem in pulmonibus elaſticitate ſua privari, quod *Haleſius* claris experimentis probavit, non
270. tam obſervationibus, quam frigidis argumentis, Piſanus Pro-
275. feſſor, *Taglinus*, refutat. Mos plebejorum, qui infantibus ſomnum conciliare ſolent compoſitionibus, opium habentibus, inter quas illa *Nicolai* fere prima eſt, improbatur vehementer, cum ſæpe accidat, ut, quos obdormire volunt, exci-
278. tare poſtea non poſſint. Calidæ potio ſanis nunquam valde bona, quippe qua corpora nimis relaxantur. Potus Coffée nutricis, quiete torpentis, ſanguinem atrum craſſumque reddit. *Herbæ Thée* infuſum meracius, afficit ventriculum, &, ſi in eo acor eſt, non parum hunc auget. Liquores, ex fermentatis vegetabilibus igne parati, Spiritus vocamus, omnem humorem, præci-
283. pue lac, cogunt, multumque vitiant. Regius morbus, lactenti ſuperveniens, nutricis incontinentiam & ſubitam iracundiam detegit. Poſt vehementiorem igitur iram, lac omne ex mammis, ab alia fœmina, labris ſugendum, & idonea medicamenta danda ſunt, in quibus optimum eſt nitrum cum terreis &
286. Rheo. Nutrix inprimis munditiei ſtudeat; totum enim corpus quaſi bibulum eſt, quodque ipſi exterius inhæret, calore
287. tenuatum, ejus humidis admiſcetur. Venus etiam pernicioſa
288. eſt, eaque lac & vitiatur, & minuitur. Mulier igitur omnis,
292-334. prægnans, infantem a ſe ablegare debet. *Diſſertationi IX, de*
300. *Negotioſa actione propter valetudinem circumcidenda*, laborioſe eleganterque conſcriptæ, *Celſi* verba *Lib. IV Cap. 24* occaſionem dederunt. *Sanctorius* obſervavit, nimia animi quiete, quam pigritiam vocare præſtat, exſpirationem ex corpore magis prohiberi, quam ſi corpus haud, aut parum, exerceatur. Dubitare videtur *Gorterus* in *Commentario in Sanctorium*; ſed,

quas

quas adducit dubitandi rationes, de nimia tantum mentis agitatione, quæ omnino nocentiſſima, valent. Non deſunt autem exempla eorum, qui, ex nimio corporis motu incaleſcentes, in graviores funeſtosque morbos incurrerunt. Juveni, tum formæ dignitate, tum omnis virtutis ornamento, conſpicuo, cum inter ſolennia nuptialia, honeſtasque ſaltationes, pervaluiſſet, & brevi poſt curſim pluribus gradibus in tertiam ædium contignationem adſcendiſſet, ſanguis cum tuſſi ex ore profluxit ſatis multus. Iter meditatus, rem occultavit, & omne auxilii genus neglexit, nec ſanguinem ſibi detrahi prioribus diebus paſſus, brevi poſt multum tuſſiit, pus etiam, atque id, ſub finem, ſanguinolentum, exſcreavit, tandemque tabidus periit. Qui literarum ſtudiis dediti ſunt, eos oportet corpus non immodicis exercitationibus frangere, ſed facilibus & moderatis recreare. Qui in Academiis nimio ſæpius Gymnaſtices amore tenentur, *Senecæ Epiſtolam XV.* diligenter legant. *Pauli Zacchiæ* liber, *de quiete ſervanda in curandis morbis*, Romæ editus, rariſſimus eſt. Vertiginem caducam, non ex cibi vinique abundantia, nec ex libidinis intemperantia, ſed ex nimii intentique laboris fatigatione, contractam, circumciſa tandem inquieta cogitatione, aſſumto pauco cibo, ſine glutinoſis, ſine pinguibus, ſine inſtantibus & epotis medicatis fontibus, curatam, duo viri ornatiſſimi ſuo exemplo probant. Et, qui valere tandem & ſeneſcere cupiunt, eos oportet utrumque vitare, & iners deſesque otium, & continentem ac quaſi catenatum laborem, cui animus ſine remiſſione intendendus eſt. Veriſſima Poetæ ſunt: *Otia corpus alunt; animus quoque paſcitur illis. Immodicus contra carpit utrumque labor.* Nihil enim, tum ad animi, tum ad corporis, vigorem recuperandum, ad tuendam bonam valetudinem, imo ad profligandum varium morborum genus, aptius videtur, quam illi, qui inter æquales honeſtosque viros moventur nonnunquam, joci, riſusque. Optamus nobis, (en characterem non difficilis & moroſi hominis, ſed boni viri, cum Principibus ſæpe aulicisque verſati, Medici,) amicos humanos, urbanosque, ingenioſos, acutos, qui ita jocantur, ut, faceto lepore affluentes, in dictis plus ſalis, quam fellis, habeant, qui

Pag. 305, 307. 310. 314. 317. 322. 324.

hanc ſemper moderationem adhibent, ut rerum ſacrarum reverentiæ, Principum & magiſtratuum autoritati, nihil detrahant, ut honeſtorum hominum famæ, familiarium & convivarum amicitiæ, parcant, & qui in omnibus cavent, ne aliquid
Pag. 336. inurbani, vel ignominioſi, proferant. *Diſſertatio decima* & *ultima, de Hydrocele*, hoc nomine ſignificari, docet, illud tumoris genus, quod ex humore naſcitur, in tunicas, quibus in
338. viris teſtes, eorumque vaſa, conteguntur, contracto. Vocabulum *herniæ* olim minus verecundum fuit, utque *Celſus* loquitur, indecorum. Igitur etiam homines, qui his morbis laborarunt, ab omni tempore, aliquam veluti ignominiam metuentes, eos ſolicitius occuluerunt. Quare herniôſos carmi-
339. nibus ſuis proſcindere ſoliti fuere Poetæ. Vana illa opinio etiam ad noſtra tempora traducta eſt; hæc tamen corporis
342. vitia omni turpitudinis ſuſpicione carent, cum nec ex vini atque libidinis, nec ex alia immoderata intemperantia, oriantur.
343. Hydrocele autem, aliis hernia aquoſa, qua appellatione ad nothas hernias pertinere intelligitur, non unius generis eſt, ſed hydropis generibus annumeranda, hoc ſibi etiam perpetuum habet, ut aqua vel in contextu aliquo cellulôſo ſubſiſtat, vel in cavum aliquod contrahatur. Contextus celluloſus longe frequentius intumeſcit, cumque triplex ſit, totidem ge-
353. nera tumorum naſcuntur. Scrotum autem, ſi aqua intentum tumet, morbus hydrops ſcroti appellatur, a vera hydrocele diſtinctus. Veræ autem hydroceles ſpecies omnes accurate ex-
356. poſuit *Alex. Monro*. In quibus frequentiſſima occurrit, ubi
366. humor velamento ſuo, vel cyſtide, in ſuprema vaginali tunica,
349. quæ Græcis ἐλυτροειδὴς dicitur, incluſus, locum, inter inguen & teſticulum, medium intendit, quamvis hoc genus Cel. *Hei-*
360. *ſtero* inſolitum rarumque viſum ſit. Cyſticum propterea hoc genus cum recentioribus nominatur, naſciturque, cum tunica vaginalis maxime externis offenſis vexatur, & teſticulus vehementer comprimitur. Hoc aliquando viro accidit, qui, cum
361. in equum intractatum, novumque, adſcenderet, femori ſcrotum teſticulumque ſubjecit, valenterque preſſit, unde acerbiſſimus dolor, cum aliqua inflammatione, ortus fuit. Quibus ab

alio

alio percuratis, relictoque tumore, vera hydrocele adeo increvit, ut, homine meticuloſiore, ſcalpelli, vel acus triquetræ, operam repudiante, humor, per ſe ruptis tunicis, aliquoties effunderetur, glutinato vulnere, iterumque increſcente humore.
Unde diſcitur, hydrocelen curaturum duo facere oportere, Pag. 374.
aquam emittere, & vitium, unde ea cœpit, tollere; quod duobus exemplis firmatur, quorum prius in juvene firmæ valetudinis præſto eſt, cui, arcum arcubaliſtæ ſæpius intendenti, hanc- 375.
que inguini imponenti, & ſic vaginale velamentum offendenti, ſiniſtri ſcroti pars ſuper teſticulum magnopere intumuit, nullo, in inguine circum vaſa ſpermatica, tumore. Hinc, 376.
inciſo tumore, & humore omni emiſſo, per ortas tandem motasque in teſticuli atque vaſorum ſpermaticorum velamentis ſuppurationes, omnis morbus perfecte curatus finitusque eſt.
Poſterius experimentum eodem modo, ſed in viro infirmæ 377.
valetudinis, quique ex pulmonibus frequenti tuſſi pus exſcrearet, interdum etiam ſanguinem exſpueret, ſumtum eſt. Etſi 378.
autem in corpore imbecillo, gracili, atque aliis morbis extenuato, periculoſior omnino medendi ratio, ſine excitata inflammatione, non adhibenda videri debuerat; omnia tamen eadem ratione ad ſanitatem pervenerunt, nullo in iis ſedibus, ab illo tempore, ex confluente humore renato tumore. Ex quibus omnino apparet, hos ægros, inciſo tumore, curatos fuiſſe cataplaſmatum calefacientium uſu, quo in illis ſedibus, in quibus aquarum fontes fuerunt, mota fuit, ad ſuppurationem ſpectans, inflammatio. Progredimur ad Proluſiones, operam daturi, ut, quoad ejus fieri poterit, potiora, &
quaſi capita, non omittamus. *Hippocratem* haud intactam 4.
reliquiſſe Chirurgiam, & liber ejus de Medici officina, & qui de capitis vulneribus, fracturis, articulis, & aliis Chirurgiæ partibus, agunt, teſtantur. Horum quosdam *Hippocrati*, *Gnoſidici* filio, magni *Hippocratis*, *Heraclidæ* filii, avo, nonnulli tribuerunt. Inſignem hinc errorem commiſit *Bernierius*, qui ex hoc loco, male intellecto, *Gnoſidicum*, præter *Hippocratem*, de
articulis & fracturis ſcripſiſſe, allegat. Noſtra ætate ξύσιν 5.
oculorum & palpebrarum feliciter in ſcenam reduxit *Woolhuſe*-

buſenius, docens, *ἄτρακτον Hippocratis* etiam ſpeciem Cardui notare, & *σπόνδυλον ἀτράκτου* non fuſi verticillum, ſed fru-
Pag. 8. ctum cardui ſativi capitatum. Reformatione Univerſitatis Pariſienſis, a Cardinale *Tuttanilleo* A. 1452 inſtituta, vetus ſtatutum, quo conjugati a regentia in Facultate Medicinæ prohibebantur, impium & irrationabile reputatum fuit. Ubi notandum, Medicos hic primos fuiſſe, qui a præconceptis opi-
18. nionibus, & conditione Clericorum, defecerint. Gravidis nocet ſaltatio. Mirum, *Hippocratem*, qui in *Jurejurando* peſſum, ad fœtum expellendum, religioſe prohibuit, aliquando pſaltriam, quam minime decebat gravidam eſſe, juſſiſſe in terram deſilire, quod, cum ſepties feciſſet, genitura in terram defluxit; quare & *Meibomius*, nimio forte in *Hippocratem* amore, ſuſpicatur, librum *de natura pueri*, ubi hic lo-
22 - 28. cus *IV*, *8*, exſtat, *Hippocratis* fœtum non eſſe. Probabile eſt, Campanis, luxurioſe viventibus, in facie natum fuiſſe verrucarum genus, quod, dum radices altius egit, ſine magna exulceratione fœdaque, quæ relinqui ſolet, cicatrice, excidi haud potuit. Hinc *Sarmentus*, ille *Horatianus* ſcurra, *Campanum in morbum, in faciem permulta jocatur*, tanquam in morbum,
23. opprobrii pleniſſimum. Apud *Celſum V*, *28*, *θύμος* & *θύμιον* verrucam ſignificat; ſed, cur recentiores editiones *ἀκροθύμιον* legant, non conſtat. Τὸ *θυμὸς* autem, cum animum, iracundiam, arrogantiamque, ſignificet, alii putavere, Campanis arrogantiam exprobrari, ſpurios ſcilicet *Acronis* & *Porphyrionis* Commentarios ſecuti; quam erroneæ interpretationis
33. originem eleganter detexit *Jacobus Cruquius*. Cur ii, qui ex phantaſia ægrotant, non aliis morbis, febre, inflammatione, dolore, corripiantur, ſed ſpaſmis & convulſionibus, quæ nervorum vitio fiunt, ex eo intelligendum eſt, quod nervorum eorum, quibus animales muſculorum motus ſenſionesque fiunt, principium eſt cerebrum, phantaſiæ ſedes. Itaque, ſi hoc maligno ſidere afflatum fuerit, non viſcera, cor, pulmones, ad quæ nervi ex cerebello porriguntur, ſed muſculi,
38. ſenſuumque organa, offenduntur. Cum *Ariſtotelis* libri *de Anatome*, in quibus plus ſimplici vice tabularum fit mentio, noſtram

Digitized by Google

noſtram ætatem haud attigerint, harum iconum anatomicarum, inventarum, vel, ſi placet, inſtauratarum, gloriam alii *Mundino*, alii *Jacobo Carpo*, alii *Carolo Stephano*, deferre voluerunt; quos tamen omnes concepta opinio feselliſſe videtur, iſtas artes a ſolis Italis Gallisque cultas & nutritas, a noſtratibus penitus neglectas, fuiſſe. Equidem Cl. *Stollius* in Pag. 39.
Introductione in Hiſtoriam ſcientiæ medicæ *pag. 410* ſuſpicatur, tabulas anatomicas *Jacobo Carpo* antiquiores eſſe, ex in- 253.
dice librorum B. *Rivini* cognoſcens, A. 1516 hic Lipſiæ evulgatum fuiſſe libellum, cui titulus: *Compendioſa Capitis phyſici declaratio: principalium humani corporis membrorum figuras liquido oſtendens, Lipſ. 1516,* fol. *Wolfg. Monacenſis.* Hoc opuſculum, quod ſcribenti ad manus eſt, antiquitate omnino ſuperat *Carpi* libros. Habet etiam illud quasdam figuras, aſt prorſus eodem typo expreſſas, quo ſunt illæ, quas ante quindecim annos evulgaverat *Magnus Hundt*. Unica tabula, eaque prima, quæ medium imumque ventrem inciſum, horumque viſcera, repræſentat, complet totam fere paginam, & major eſt ea, quæ in *Magno Hundt* occurrit, huic tamen in omnibus ſimillima. De Autore nihil conſtat, videtur tamen fuiſſe unus ex *Magni Hundt* diſcipulis, qui, ſuperſtite magiſtro, iisdem figuris & eodem typographo uſus eſt. Nam, quantum huc usque ex collatis variis ſcriptis comperire potuimus, *Magnus Hundt*, Parthenopolitanus, hic Lipſiæ primus corporis humani partes rudi, aſt nova, arte in tabulis, ligno inciſis, imitatus eſſe videtur. Proſtat ejus *Anthropologium de hominis dignitate, natura, & proprietatibus*, &c. Vid. *Catalog. Bibliothec. Rivinian. pag. 275 num. 2540.* In calce libri hæc leguntur: *Impreſſum & finitum eſt hoc opus Lipzick per Baccalaurium Wolffgangum Monacenſem, Anno noſtræ ſalutis MCCCCCI.* Conſpiciuntur in eo plures icones, quibus corporis humani partes non tam expreſſæ, quam craſſiori Muſa, rudique cælo, adumbratæ, ſunt; omnino iis inferiores, quas poſt viginti annos *Jac. Carpus* edidit: quod ipſum tamen indicio eſſe vide- 40.
tur, hoc picturæ genus eo tempore in primis conatibus & incunabulis ſubſtitiſſe. Hunc librum adduxerunt *Schenckius*, 41.

 Lin-

ſibi vindicaſſent, per tot ſecula rudis ac manca fuerit relicta,
Pag. 66. & a viris fere neglecta. Id quod exemplo ipſius *Hippocratis*, *Pauli*, *Plinii*que, diſcitur, fœtum in utero transverſum, aliterque compoſitum, conquiſitis apprehenſisque pedibus extrahere verentium. Quo magis, hanc obſtetriciam artem, hac noſtra ætate, per viros increviſſe, gaudendum eſt, quæ nunc, ex-
67. cuſſa illa funeſta mulierum δυσωπίᾳ, ſuos etiam profeſſores habere cœpit. In aliquot cadaveribus, theatro illatis, ſectisque,
69. que, ſequentia inprimis notata fuerunt: Duo calculi in felle viri 30 circiter annorum reperti, rotundi, læves, magnitudinem minoris nucis avellanæ implentes, coloris fulvi, maculis albicantibus eleganter diſtincti; quorum alterius fracti fragmenta, nec calida, nec ſpiritus vini, loco calido per plures dies ſolvere potuit. In eodem viro ren dexter duas habuit arterias renales. In manu ſiniſtra ſingularis muſculus repertus eſt, ex digiti indicis, primæque ejus phalangæ, baſi, & hujus parte laterali, tendineus, teres vero ac carnoſus ad primum os pollicis, hujusque capitulum, eamque ejus partem, quæ indici obverſa eſt. In fœmina juvene epiploon uteri fundo, vel potius peritonæo, quo is comprehenditur, inhæſit, a quo ægrius, nec ſine dilaceratione, diduci potuit. Ovariorum alterum turgidum, pluribusque, ſub externa tunica extuberantibus, rotundis veſiculis, nec non hinc inde conſpicuis cicatriculis, diſtinctum. Cum illud digito paululum premeretur, erupit talis veſicula, ſtans quaſi in medio calice, quæ tamen mox dis-
71. rupta evanuit. Fœmina epiploocelen in inguine, & in dextro oculo ſuffuſionem, habuit, boni coloris, qualis ſolet eſſe in curatione idonea; quæ propterea etiam demonſtrata fuit acu, ex auro fabrefacta, indurataque, quo experimento de ejus duritie conſtaret. Dura vero & renitens ipſa ſuffuſio deprehenſa eſt, valentius, & iteratis vicibus, depreſſa tandem; pupilla nihilo minus, etſi libera, aliquantum nebuloſiore, turbida, flocculisque inquinata. Inciſo oculo, ſub pellucido vitreo, humor lacteus, undique in parte anteriore diffuſus; reliqua parte ſcleroticæ, cum cornea, diducta, lens cryſtallina, inferius elapſa, longe minor, lenticulam parum ſuperans, opaca,

opaca, coloris obſcure flaveſcentis. Illo vero lacteo humore & cornea, & ipſe humor vitreus anterior, imbutus, qui humor coactus facile mentiri pelliculam poſſet. Hoc ſuffuſionis, ſeu cataractæ, genus alii lacteum, ſeu caſeoſum, alii, quia materia ſuo velamento continetur, cyſticum, vocant. In curanda calvæ fractura, quam veteres ἀποσκεπαρνισμὸν vocaverunt, præcipui artis profeſſores diverſa ſentiunt. Alii, dependentem cutem ſervari poſſe, diffidentes, illam cum oſſis fragmento ſubſecari malunt. Alii, exercitatiſſimum Chirurgum, *Jac. Berengarium*, Carpenſem, cum *Gabriele Fallopio* & *Cæſare Magato*, ſecuti, magis opportunum putant, os demi, & a membranis, quibus inhæret, ſeparari, poſt, adductas vulneris oras ita jungi, ut ſe ex toto contingant. Alii, quibuscum noſmet ipſi, cum *Ambroſ. Paræo* aliam, ſed rectiorem illam, ingreſſi viam, ſanguinem, qui coivit, extergunt, vulnus purgant, cutim, relicto oſſe, ſutura comprehendunt, & ſic efficiunt, ut os, latius etiam diſſectum, callo, veluti oſſis cicatrice, glutinetur. Commendant etiam hanc curationis viam, ut expeditiorem, clariſſimi hodie Chirurgi, *le Dran*, *Robaultus*, & *Faudaccius*. Luculentum autem exemplum in promtu eſt, quo probatur, os, quod enſe exciſum, & totum ſua ſede motum, fuit, ſi mox in hanc reponatur, & ei aſſueſcere cogatur, coire, glutinarique. In delineata enim calvaria, oſſi coronali, & ex parte bregmati ſiniſtro, os, auriculæ in modum, adhærere cernitur, quod olim per ἀποσκεπαρνισμὸν enſe exciſum, jam vero duriſſimo callo ſolidatum, reliqua calva exſtat, & aliquantum prominet. Rerum uſus docere poterit, num curatio æque ſuccedere queat, ſi, præter os, carnes cutisque præciſæ, & penitus ablatæ, fuerint. Si ratione utendum, dubitandum de eventu non videtur, modo tempeſtive omnia & recte fiant. Nota eſt Curtorum Chirurgia, omnino non in dubitationem adducenda, etſi *Garengeotti* hiſtoria ſubleſtæ fidei videri poſſet, qui homini mordicus avulſum naſum, exſputum, & in cœnum projectum, deinceps a ſordibus diligenter purgatum, vini calidi fotu excitatum, & priſtinæ ſedi ita adaptatum, ſcribit, ut, ſuperhabito emplaſtro, illa ite-

Pag. 27. 74, 75. 76. 77. 78.

iterum fuerit glutinata. Quo fere & ſuo modo referenda
Pag. 79, 82. videtur, quam a *Meckren* habet *Obſerv. medic. chir. I pag.* 7,
non illepida hiſtoria. Scriptioni, *de Muſculo digaſtrico*, oc-
caſionem dedit partim obſervatio, qua idem muſculus aliquan-
do in cadavere aliter conformatus deprehenſus fuit, partim,
qui ab aliquo tempore obtinuit, inter præſtantiſſimos noſtri
ævi Anatomicos, *Winslovium*, *Albinum*, & *Monroum*, de hujus
93. muſculi actione, diſſenſus. Quo pleniſſime deſcripto, etſi non
compoſito, illa ſententia admodum arridet, quæ, deglutitio-
89. nem, digaſtrici actione, non parum adjuvari, immo, hanc ſo-
lam ob cauſam, medium digaſtrici tendinem oſſi hyoidi eſſe
93. adſtrictum, atque ſtylohyoideo implicitum, conſtituit. Quod
vero ad illam obſervationem rariorem attinet, in fœmina, ca-
pite truncata, & Theatro illata, unius muſculi digaſtrici alte-
ra anteriorque caro non ad mentum porrecta fuit, ſed ad la-
tus deflexa, ſuper inferiorem fereque mediam maxillæ oram,
juxta labrorum depreſſorem communem ita terminata, ut il-
lam oram ſuperadſcenderet, & fere ad mediam usque partem
exterioris oſſis procederet. Præterea etiam fibræ, a lateris dex-
tri carne, ad latus ſiniſtrum deflexæ, conſpectæ ſunt, quod
82. non ita rarum eſt, & ab *Albino* etiam animadverſum. Lie-
96. nem aliquid ad riſum facere, vetus eſt, Poetarum inprimis,
opinio; cujus quidem viſceris naturalis actio in ſcholis me-
dentium magnopere ſemper controverſa fuit, & diſſenſionum
98. pleniſſima. Quo etiam pertinet celebris illa quæſtio, nunc
præſtantiſſimorum virorum experimentis, in canibus, immo
in hominibus, factis, ſine dubitatione confirmata, num lien
exſcindi ſine noxa poſſit; quod hodie receptæ & veriſimilli-
mæ ſententiæ de liene, hepati & felli ſecernendo inſervien-
te, hunc ſcrupulum opponit, qui fiat, ut animal, exciſo lie-
ne, non modo vivat, ſed etiam recte valeat. Sed, cur a ſple-
102. ne riſus? Videtur aliquid, magnitudini lienis, ſive natura,
ſive ex morbo, ejus cum diaphragmate connexioni, atque
104, 105. inde in diaphragmate ſimul excitatæ alicui titillationi, tum
quoque nervorum ſympathiæ, ſive conſenſui, niſi omnia, de
riſu a ſplene, tanquam vana, ſupervacua, & ridicula, repudiare

veli,

Digitized by Google

velimus, tribuendum. Oſſium primordia potius cum membranis, quam cum coagulo, quale ex jure, vel lacte, obtinetur, comparanda ſunt. Aliter enim vitam eorum & incrementum intelligere non poſſumus. Id quod adultorum oſſium lamellæ egregie confirmant. Quantum vero oſſa duritie diſcrepant, tantum etiam colore. Quæ decoloratio vitiati oſſis ſignum eſt, & ſæpe naturam morbi, exitumque, ſignificat. Fit hæc mutatio coloris in oſſibus, a ſuccis, quibus aluntur. Novum autem & mirabile videtur, ex alimento, ore ſumto, rubrum colorem ducere ſola oſſa, non vero ceteras corporis partes. Caſu enim innotuit, ſues, quibus nota illa tinctoria radix, Rubia vulgo dicta, poſtquam lanis inficiendis inſervierat, inter farraginem erat objecta, hoc paſtu aliquod tempus ſaginatas, oſſa habuiſſe rubra; cujus ad imitationem *Morandus* ſceletum galli Indici, ſic rubefactum, Academiæ Regiæ Pariſienſi obtulit. Quæ quidem res in augeſcentibus & pubeſcentibus animalibus, ob oſſa molliora, optime ſuccedit. A ligamenti ciliaris poſteriori ora exſurgunt fibræ arcuatæ, quæ ſuper exteriorem anterioremque vitrei partem feruntur, & lenti cryſtallinæ, ſeu potius tenerrimæ, qua hæc comprehenditur, tunicæ, inſeruntur. De quibus controverſia eſt, num omnis motus his proceſſibus ciliaribus ſit denegandus. Cui ſententiæ favent *de la Hire*, *Hovius*, & cum *Franciſco Petito*, quem in plurimis ſequitur, *Taylorius*. Sed rectiora vident *Keplerus*, *Carteſius*, *Brigſius*, *Ruyſchius*, & ex recentiſſimis *Porterfield*. Etiam inter eos, qui, hoc ligamento aliquem motum præſtari, concedunt, diſſenſus eſt. Sed nihil prohibet, minimas oculi motiones, quibus lens tollitur, vitreus premitur, hujus ligamenti actioni adſcribere. Cujus rei cognitio medentibus, in variis oculorum vitiis & noſcendis & curandis, lucem affert. Sicuti etiam jam id, quod quondam valde controverſum fuit, probatum confectumque eſt, nullam ſuffuſionis, ſeu cataractæ, ſedem eſſe, niſi in lente, &, qua illa veſtitur, membrana. Aqua fontana reliquis omnibus præferenda eſt, illa maxime, quæ editiori, arborum opacitate inumbrata, puriſque fontibus ſcaturiente, loco concepta, nulla re inquinata, congruis fiſtulis dedu-

Pag. 106. (membranis) · 107. (lamellæ) · 108. (ſignum) · 109. (Fit) · 119. (tinctoria) · 113. (ciliaris) · 114. (Carteſius) · 115. (motiones) · 117. (variis) · 124. (Aqua)

deducitur, ſaliensque erumpit. Reliquis enim aquis fontana
longe præſtabilior, & ſalubritate excellentior, cenſenda eſt,
quia, quamvis minus pura orta, terra tamen argillaque perco-
Pag. 128. latur depuraturque. Accedit, aquam,ſive in altum expreſſam, ſi-
ve ex ſublimi dejectam,verberatam corripere aera,cui aeri,cum
alio ſubtiliori perniciorique fluido, aquis admixto, maxima
129. debetur ſalubritas. Inſalubres vero fieri videntur, optimæ ce-
teroquin, aquæ, ſi plumbeis fiſtulis ducuntur. Deſipere viden-
tur fœminæ, quæ cum ſanitatis deſpectu formæ venuſtatem
130. venantur; longe tamen major dementia eas tenet, quæ in
ipſis corporis infirmitatibus & ægrotationibus pulchritudinem
quærunt. Ruſticum autem hodie fere eſt, & a venuſtate
alienum, fœminam paulo pleniorem ac coloratiorem fieri,
131. magis urbanum, pallore decorari. Per adverſam igitur vale-
134. tudinem quærendus pallor eſt. In quibus facierum medicami-
nibus maximam nocendi vim habent, quæ ex argento vivo
parantur, peſtifera pharmaca. Vidimus fœminam *nobilem*,
liquore, multum ſublimati habente, intemperantius uſam,
exulceratis faucibus, ab initio neglectis, poſt nullam curatio-
135, 136. nem recipientibus, interemtam. Sed, quæ intus ſum[illegible]r, his
adhuc nocentiora ſunt, creta, calx, arena, gypſum, lapilli, cera
Hiſpanica, qua epiſtolæ ſignantur, fila ex cannabe, lino, zin-
giber, aliaque plura, cujus inconſideratiſſimæ intemperantiæ
haud paucæ lacteolæ puellæ pœnas dederunt graviſſimas. Sed
137. formæ dignitas coloris bonitate tuenda eſt, color exercitatio-
143. ne corporis. Somnus primæ teneræque ætati præcipue neceſ-
ſarius eſt, quo puer in lucem editus celerius adoleſcit. Huic
vero, mobilis cubilis, ſeu cunarum, agitatione, ſomnus egregie
invitatur. Quo motu infantibus etiam aliquid exercitationis
accedit, ipſeque aer inſpirandus ſalubriter agitatur, & quaſi no-
145. vatur. Blando autem, non concitatiori, motu agitandæ cunæ
ſunt; immo nec omni tempore hæc exercitatio opportuna
eſt, maxime ſi febris ardens vehementius urget, aut nervo-
146. rum metuitur diſtentio. De inſanis & furioſis audiendi ſunt
164. Medici. Inſania enim morbus eſt, non animæ, ſed ipſius cor-
poris, plerumque etiam ex alia corporis valetudine natus.

Igi-

Digitized by Google

Igitur de hoc morbo, num verus ſit, an ſimulatus, ſtatuere nemo poteſt, niſi Medicus, corporis naturam, & morborum cauſas abditas continentesque, perſpectas habens. Haud aliena, neque illud, curant Medici, num inſanis pœna irrogari queat; num vinculis illi coerceri debeant. Sed, neglectis olim *Jo. Wierii*, *Jo. Webſteri*, aliorumque Medicorum, monitis, plures miſeros, pauperculas inprimis anus, veneficii damnatas, ſagarum nomine, ad miſerrima & crudeliſſima ſupplicia datas fuiſſe, non ignoramus. Viſum obſcurari in vulneribus, ſupercilio, & paulo altius, illatis, *Hippocrates* in *Coac. Prænot. S. III n. 391* autor eſt. Multa ad hunc locum *Duretus*, *Hollerius*, *Jacotius*, & *Martianus*, commentati, ſed mentem *Hippocratis* non aſſecuti, ſunt, qui de infirmitate oculi, ex male affecto nervo optico, a quo videndi facultas proficiſcitur, nata, loquitur. Oculi enim non hebetantur, niſi nervi, vel tunicæ nervoſæ, male affectæ fuerint. Jam vero nervus opticus, ſeu ſecundum par nervorum, par tertium, quartum, ramus ſuperior quinti paris, ophthalmicus *Williſii* dictus, & alter ſexti paris, oculi ſinum ingrediuntur, oculo, ejusque muſculis, inſeruntur, horumque nervorum admirabilis implicatio & diviſio eſt. Ex quarto ramo tertii paris tenuis fibra procedit, ex qua, accedente minore nervulo nervi ophthalmici, ganglion *Winslovii* lenticulare formatur, cujus exiles nervi opticum nervum contingunt comprehenduntque; prima autem pars ophthalmici *Williſii*, ſub perioſteo orbitæ, ad ſuperiorem orbitæ oram, exſtantiorem, & tanquam vallo oculum, munientem, ubi vel foramen pervium, vel ſinus deſidens, fertur, indeque ad ſupercilium educitur. Repente igitur omne oculi lumen exſtingui poteſt, ſi ille ſupercilii nervus, graviter læſus, diſtenditur, quippe a quo hoc vitium ad tertii paris nervos, opticum nervum comprehendentes, facile tranſire debere, ſine difficultate concipitur. Minimi enim nervi, aliis juncti, maximas ſæpe commotiones in corpore præſtant. Hujus rei fidem inprimis facit *Valſalvæ* experimentum, qui, animadvertens, nervum, ſupra orbitam oculi, erumpentem tranſire prope annulum, (de quo *Morgagnus* audiendus,) ipſique propagines nerveas impertiri, illum, qua

[Margin: Pag. 165. (beside "Haud aliena"); 167. (beside "Viſum obſcurari"); 168. (beside "nitate oculi"); 170. (beside "Jam vero"); 171. (beside "Ex quarto ramo"); 178. (beside "Repente igitur"); 175 - 179. (beside "Valſalvæ experimentum")]

Cc cc ab

ab orbita erumpit, valida pollicis compreſſione agitavit, quo
facto, priſtina oculo viſio ſtatim reſtituta eſt, quam fœmina,
alterum oculum graviter percuſſa, pauco effuſo ex vulnere
Pag. 180. ſanguine, illico amiſerat. Præterea *Hippocratis* ſententiam
alia *Morgagni*, & *Eliæ Camerarii*, obſervatio mirifice confir-
182. mat. Qui, quod frigus timent, dormitoria cubicula, in qui-
bus ſe ſomno dare ſolent, percalefaciunt, hoc calore corpus
effœminant, omnesque nervos emolliunt. Omni enim homi-
ni, cujus corpus integrum, ſine morbo, ſine noxa, eſt, quam-
vis ſub vario cœlo vivere is poſſit, ſalubrius eſſe moderatum
frigus, quam nimium calorem, plurima obſervatione conſtat.
186, 187. Nimio ſcilicet calore, pulmonum inprimis actio, ſanguinis-
que rubentis confectio, impeditur, nimiumque tenuatus aer
pulmones ſatis dilatare non poteſt. Deinde, concaleſcente
ſanguine, & toto corpore incenſo, humor crudus ad cutim
propellitur, ſudorque elicitur. Sudor autem omnis, in recte
188, 189. valentibus, alienus eſt. Recte propterea *Frid. Hoffmannus* pro
ſomno capiendo cubicula ampla & perſpirabilia laudat, ea ve-
ro, in quibus aer arcte concluſus, vel fornacibus calefactus,
191. eſt, vehementer improbat. Etiam oculi variis & ingentibus
caſibus patent, in quibus ſuppuratio neceſſaria eſt. Qua cohi-
192. bita variæ noxæ emergunt. Ut omnes glandulæ inflammatio-
nibus præſertim obnoxiæ ſunt, ſæpeque materia mala in easdem
convertitur; ita utrumque glandulis palpebrarum haud raro
accidit. Quo pertinent glandulæ minores *Meibomii*, & illa
major, quæ lachrymas fundit. Ubi vitium lippitudinis penitius
inſedit, ſeque jam ſuppuratio oſtendit, vix non omne medica-
mentorum genus alienum, febre autem ad remedium uti
193. oportet. Sed, cohibita ſuppuratione, acris rodensque materia
glandulas exeſt, mala ulcera producit, atque ex his diutur-
nam lippitudinem. Sæpe etiam cornea, & in palpebris pilo-
rum radices, exulcerantur, cum aciei hebetudine, & turpi cilio-
197. rum calvitie. Si oculos, ſive in palpebris, ſive in interioribus
tunicis, variolæ occupant, omnibus hi curationibus irritantur.
198. Glutinatis enim palpebris tuti præſtantur. Ego, ſcribit B.
Platnerus, aſſeverare poſſum, nunquam pueris, quibus ex va-
riolis palpebræ inter ſe coaluerunt, diſcuſſa febre, aridis fa-
ctis

Digitized by Google

ctis puſtulis, & per ſe apertis oculis, lippitudinem, vel mala ulcera, cicatricesque, relictas fuiſſe, ſi modo illud impetrare potui, ut oculis nulla curatio adhiberetur, & palpebræ haud inter ſe diducerentur. Hoc tamen perpetuum non eſſe, fateor. Pag. 199.
Valde detrimentoſum pueris eſt, qui, noviſſimo partu editi, mox ſerenæ atque vividæ luci, oculos ferienti, exponuntur. Aliquando una alteraque glandularum *Meibomii* per ſe intumeſcit, & ad veram ſuppurationem ſpectat. Tuberculum a ſimilitudine Græcis κριθὴ, Latinis hordeolum, nominatur, atque interdum diſcutitur, interdum pus alit. Si imprudentia curantis agitatur, periculum carcinomatis affert. Miſero olim, 200.
ex male curato hordeolo, ulcus enatum eſt, quod ſerpendo, & usque ad oſſa penetrando, oculum, majoremque faciei partem, voravit. Mala corneæ ulcera naſcuntur, ſi acris humor oculos invadit. Ejus igitur aditus avertendus eſt. Sed, ſi re 201.
quavis irritantur, humor tenuior acriorque fit, & nova movetur inflammatio. Hinc peſtifera ſunt conſueta valentiora collyria, calidaque medicamenta. Inprimis autem illa *Hippocratis* ξύσις huic lippitudinis generi, etſi ulcera in cornea ſunt, medetur; quod omni aſſeveratione affirmari poteſt. Cum 202.
hoc vitio proxime illud convenit, quod ὄνυξ, ſeu unguis, dicitur, ſi pus inter corneæ teneriores lamellas contrahitur, & exitum non habet. Ingraveſcit, ſuppuratione celerius cohibita. Pus vero per factam plagam exprimendum eſt. Sed omnia, quæ valenter reprimunt, nec non quæ pus nimium citant, aluntque, ubique aliena ſunt. *Galeno* adſtipulari decet, qui, 203.
gibbera ex tuberculis, vertebris, earumque ligamentis, inhærentibus, oriri, docet. Dudum enim probatum eſt, gibbera etiam ex morbis oriri, qui vel in totis corporibus, vel in horum interioribus ſedibus, conſiſtunt. Ex aſthmate, phrenitide, gibberoſos factos *Hippocrates* habet, quem *Galenus* hoc loco recte interpretatus eſt. Innaſci hæc tubercula non pulmonibus, aliisque ſedibus, ſed vertebrarum ligamentis, *Hieronymo Mercuriali Marc. Aurel. Severinus* oſtendit. Quæ res 204.
nihil quidquam dubitationis habet. Pueri enim adultique gibberoſi fiunt, ſi vertebrarum ſic dicta corpora corrupta ſunt, & carie exeſa. Quod fit, ſi ſuper vertebras, inter membra-

nas & ligamenta, vel etiam in illo molli cartilaginoſo liga-
mento, quo corpora inter ſe adſtringuntur, humor confluxit,
tubercula fecit, accedente inflammatione in pus vertitur,
cumque exitus non detur, in ſaniem converſus oſſa rodit, &
Pag. 210. ligamenta exeſt. Hæc vertebrarum corpora corrupta, inque
nihilum redacta, gibbera feciſſe, plures profitentur. Thora-
cis figuram vidimus, infantis quatuor, aut quinque, annorum,
in quo vera conſpicitur κύφωσις, vitiatis pluribus, & carie
212. exeſis, vertebrarum corporibus. Naſcitur enim, non ſemper
ideo, quod ligamenta a tuberculis, iisdem innatis, diſtenta ad-
ducuntur, ſed forte crebrius, quod, corruptis exeſisque verte-
brarum corporibus, ſuperior ſpina, capitis pondere gravata, in
215. priorem partem deprimitur. Uſus faſciarum in variis caſibus
infirmitatem multum adjuvat. Puerperis, poſt partum, abdo-
men faſcia plerumque recte adſtringitur. Ventri, jam frequen-
tius a partu diſtento, reſolutoque, admodum opportuna eſt fa-
216. ſcia. Sed recte debet accommodari, nec nimium adſtringi,
multo minus pleniori duriorique nodo connecti, quod peſtife-
rum. Si aqua hydropicis per paracentheſin emittitur, ſine per-
nicie omnis humor effundi nequit, niſi faſcia, paulatim addu-
cenda, abdomen circumdetur, cujus ad id apti cinguli genus
218. novum *Monro* excogitavit atque delineavit. Fœminæ urbanæ,
cataphractis conſuetis exutæ, ſi incedere velint, aliquam infir-
mitatem & moleſtiam ſentiunt. Nec quidquam magis lucule-
tum dici poteſt, quam quod *van Swieten* habet, de puella no-
bili, in genere nervoſo mobiliſſima, faſciis circumductis tan-
dem curata; quo ſcilicet probetur, faſcias nervorum & totius
corporis infirmitati mirifice opitulari. Harum in cruribus
imbellioribus longe evidentior effectus eſt. Qui faſcia, tibialis
genere, *ein Schnürſtrumpff*, crura in itineribus longis muniunt,
his pedes haud intumeſcunt, & omnis avertitur eorum infla-
tio. Summam autem utilitatem præbet hæc faſcia in curandis
malis crurum ulceribus, ſi his fibrarum cutisque ſubeſt quæ-
dam infirmitas. Hujus rei feliciſſimum quondam experimen-
219. tum fecit *Adrianus Verduyn*, in viro, cui pes tibiaque ictu ful-
221. minis aduſta fuit, ortis ſimul malis ulceribus. In hydroceles
curatione, quæ ſcalpello fit, ſanguine ex plaga cum impetu
ruen-

Digitized by Google

ruente, faſcia, ſcroto rite accommodata, (ſuſpenſorium vocant,)
vaſorum infirmitati egregie opitulatur. In vero aneuryſmate
arteriæ imbellicitas tollitur, dum vel adſtrictiori faſcia, vel va-
riis, ad id excogitatis, machinis, diu multumque illa comprimi-
tur. In his curandis ante aliquot annos novam viam ingreſſus
eſt Regis Sardiniæ Chirurgus, *Verna*, quæ nova medendi
ratio etiam a faſcia, infirmitatem adjuvante, petenda eſt. Stil- Pag. 222.
licidium vocatur, ſi aqua, aliudve humidum, in aliquam corporis 224.
partem ex alto depluit & deſtillat, vel major ejus modus, va-
riis machinis antliisque adhibitis, in eam effunditur. Hoc ar- 228.
ticulis medetur, quibus, vi diductis, manſit infirmitas, aut in
quos copioſior humor, axungiam vocant, contractus, tumorem
fecit, ita, ut minor eorum uſus relinquatur. Hanc medendi ra-
tionem jam *Hippocrates* in animo habuit; inter recentiores *le*
Dran duos inprimis proponit ægros, quibus hoc præſidio ſani-
tatem reddidit. Alteri ſuprema pars femoris valde intumuerat, 229.
ita, ut nec caput femoris ſuo loco eſſet, coeunte coactoque, in
coxæ ſinu, humore promotum. Alteri ἀγκύλη fuit in pede, ex
coacta axungia. Uterque, adhibito ſtillicidio, ille tardius, hic
celerius, curatus eſt. His addimus, quod ipſi experiendo cogno-
vimus. Juvenis in junctura femoris & tibiæ exiguum tumo-
rem habet, membro autem vel nullus, vel exiguus, relictus uſus
erat. Variis fruſtra tentatis, Sal Ammoniacus, aqua dilutus, ad 230.
τὴν ἐμβροχὴν adhibetur, poſtque irrigationem, ab alto depluen-
tem, valentior membri frictio; brevi, poſt paucos ſcilicet dies,
eum ſolum, nullo baculo fultum, & ſatis fidenti animo gra-
dientem, vidimus. Bonum virum Medicum oportet eſſe, rerum 233.
ſuarum intelligentem atque peritum; rectum deinde, ſanctum,
& omni virtute ornatum; caſtum denique, religionis veræ at-
que divinæ cultorem, ſed vanæ, perverſæ, ac impiæ, quam ſu- 234, 235.
perſtitionem vocamus, cordatum contemtorem; cumque pie-
tas illa, adverſus Deum juſtitia, omnium virtutum fundamen-
tum ſit, nec unam oportet illarum omittere. Non vanus me- 238.
tus eſt, tetros aquarum paludoſarum halitus nocere, atque gra-
ves contagioſasque valetudines poſſe facere; quod exemplis
& rationibus facile oſtenditur. Athenienſes enim, Bœotes, Pha-
ſianos, *Hippocratis*, non neſcimus. De Romanis, Piſaurisque, vi- 244.

Digitized by Google

deatur bene meritus *Lanciſius*; de Stuttgardia *Lentilii* literæ ad
eundem. Eſt vero in paludoſa adſpiratione aliquid corpori no-
ſtro inimicum, & quaſi virulentum, quod, accedente naturali
corporis calore, intenditur, quodque præ ceteris ejus humores
tenuiores aggreditur & corrumpit. Ex omnibus autem putre-
ſcentibus nihil fere putidius eſt, quam palus, ſi ejus aquæ, &
cum his varii generis plantæ, animalia etiam, & præ ceteris in-
ſecta, corrumpuntur, atque tetrum halitum exſpirant. Com-
memorabilia videntur *Petri Salii Diverſi*, Faventini, Medici de
Pag. 243. patria ſua præclare meriti, verba: *Si occaſione aquarum ſtagnan-
tium febres genitæ ſunt, vel iis ſuperinfundere aquas fluentes,
vel easdem exſiccare, oportet, cujusmodi conſultum fuit in patria
mea, circa cujus mœnia ſtagnabant aquæ in foſſis publicis, unde
hac æſtate putreſcentes, erant in cauſa, ut in fine æſtatis, & in
autumno, ſingulis annis vigerent peſtilentes febres. His exſicca-
tis, experientia & rei eventus comprobavit, recte conſultum*
247, 248. *tum fuiſſe, cum non amplius ita vigeant, nec vagentur.* Nullum
officium referenda gratia magis neceſſarium eſſe, omnes cum
Cicerone conſentiunt. Sed illud forſitan non omnes animad-
verterunt, gratam beneficiorum memoriam, & bonam eorum
remunerandorum voluntatem, a nemine diligentius, quam a
Medicis, fuiſſe obſervatam, & hanc virtutem ad artem ſaluta-
251. rem inſtituendam amplificandamque non parum contuliſſe. Si
animus eſſet, a rebus, vetuſtate nimium obſcuris, ad ea venire,
quæ a noſtra ætate propiora ſunt, complures adduci poſſent
clari Medici, qui, cum doctrina medendique peritia non ſo-
lum in celebritatem veniſſent, ſed etiam opulenti facti eſſent,
gratos ſe præbuerunt civibus, artis ſtudium munifice largeque
adjuvantes, atque etiam bene prudenterque providentes, ut hu-
jus ſuæ beneficentiæ fructus ad poſteros ſervaretur. Ex Britan-
nicis nominare liceret *Thom. Linacrum, Jo. Cajum, Guil. Har-
veum, Jo. Woodwardum.* Nec omittendus eſſet *Jo. Maria Lan-
ciſius*, qui Noſodochio Romano, a Sancto Spiritu nomen ha-
253. benti, & ampliſſimam pecuniam, & Bibliothecam, legavit. Neque
tandem Ordini Medicorum Lipſienſium ſocii defuerunt, qui,
facta gratæ voluntatis ſignificatione, illum beneficentia adju-
verunt, & ſtudioſos ad artem diligentius excolendam, conſti-
tutis

Digitized by Google

tutis ſtipendiis, invitaverunt. Hæc Proluſio in memoriam B. *Auguſtini Friderici Waltheri* conſcripta eſt.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INCREmentum Scientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.

Voluminis VIII Pars I.

Lipſiæ, apud B. Lanckiſii hæredes, 1751, 8.
Plag. 12.

Indefeſſum Editoris in literas optimas ſtudium exſtingui non-
dum potuit. Revocavit eum Deus, morbo diuturniore inter
mortuos fere relatum. Adſcripſerunt eum Paſtores Arcades ſo-
cietati ſuæ literariæ, ac nomine *Polyanthi Criuntini* ſatis honori-
fice donarunt. Præmiſit idem pro more huic *Volumini* Præfa-
tionem, judiciis lectorum attemperatam. In cenſum deinceps
venit *Jo. Chriſtoph. Harenbergii Expoſitio Odæ Davidicæ LXVIII,*
ad Criticam ſacram exacta. Oſtendit, hymnum hunc decan-
tatum eſſe inter deambulationem ſolennem ac muſicos concen-
tus *Davidis*, aream fœderis, ex urbe Kirjatjearim in opertum ar-
cis Sioniticæ procedentem, comitatos. Præmonet, hymnos *Da-*
vidicos haud unos ita fuiſſe compoſitos & inſtructos, ut plures
intra eos inducantur perſonæ loquentes. In hoc hymno qua-
tuor diſtinguendos eſſe cantores & illud *tutti*, ab univerſis ſi-
mul decantandum, quoties id *Selah* indicet vel epiſodium ge-
nerale, ad omnes directum. Autori viſum eſt, ex fundo ſermonis
Ebræorum ac ſororum exponere orationis partes, ac in Alexan-
drinam Græcam metaphraſin inquirere, ex qua paſſim interpre-
tes reliqui biberunt. *Inciſa* ſingula illuſtrat, ac momenta diffici-
liora plenius exponit. Promittit Diatribam de re muſica Ebræ- Pag. 31.
orum vetuſtiſſima, & monet, fontes Codicis ſacri Ebræos Græ-
cosque per Concilium Tridentinum haud fuiſſe clauſos. In pro- 40.
ximo eſt M. *Jo. Salom. Semleri Obſervatio critica de Dialecto*
Alexandrina, quam Celeb. Breitingerus pro ſcriptura Codicis A-
lexandrini & Tigurini ratione habet. Scribendi modus, ſeu or-
thographia, in Codice Alexandrino variat, ut ex editionibus LXX,
Boſiana, Grabiana, & *Breitingeriana*, patet. Ratio ἀνωμαλίας
huc usque latet. Cel. *Breitingeri* ſententia eſt, dialectum exſti-

tiſſe

tiſſe olim Alexandrinam quandam, quam ſæpius ſcriba Codicis illius fuerit ſecutus. Diſſidet Autor ab hac opinione, ſuique diſſenſus argu-
Pag. 58 menta producit ſane graviſſima. Succedit huic Diſſertationi *Henr. Aug. Zeibichii Animadverſio prior in locum Xenophontis Cyropæd. Lib I pag. 22 ed. Leunclavii, qua Cyaxares, ſuppoſitus Aſtyagis filius,*
60. *de ſolio regali deturbatur.* Hiſtoria Medica inextricabilibus fere difficultatibus laborat ob *Herodoti* & *Cteſiæ* diſſenſum, quorum uterque falſorum arguitur a ſcriptoribus excellentiſſimis. Conciliare tamen eos Autor laborat, prioribus Mediæ Regibus torporis nomine accuſatis, & *Dejoce*, veluti ſtrenuo recuperatore dignitatis & magnitudinis regiæ, laudato. *Xenophontis* hiſtoriam *Plato*, ſi fides *Diogeni*
79. *Laertio*, in fabulis retulit. *Cicero* certe, *Xenophontis* Cyropædiam ad effigiem juſti imperii fuiſſe ſcriptam, judicavit, declarans, hunc ſcripſiſſe, qualis eſſe debuerit *Cyrus*, non quibus inſignis fuerit nævis, quos quippe ſilentii peplo involvit. *Cyaxarem*, filium *Aſtyagis*, *Xenophon* antiquiorum ſolus ſignificavit. Suffragatus ei fuit *Joſephus Judæus*, referens, *Darium Medum*, a *Cyro* adjutum, ſubegiſſe Babylonem. Quæ de *Dario Medo* a *Joſepho* traduntur, eadem referuntur de *Cyaxare* a *Xenophonte*. *Xenophontem* & *Joſephum* aſſecuti fuerunt *Zonaras, Sleidanus, Uſſerius, Carion, Marshamus, Offerhauſius*, alique, inprimis Angli Hiſtoriæ univerſalis conditores. Quæ *Cyaxari* huic tribuuntur a *Xenophonte*, & per *Joſephum Dario Medo*, recenſet Noſter, monens, nonnullos ea, quæ *Cyaxari, Aſtyagis* parenti, a *Xenophonte* attribuuntur, tribuere *Cyaxari* juniori. Tum vero, *Ciceronem, Hermogenem, Auſoniumque*, & *Platonem*, laudat, *Xeno-*
81. *phontis* Cyropædiam pro fictione habuiſſe. Monet deinceps, *Xenophontem* varia narraſſe falſa in Cyropædia, ne *Athenæo* quidem abnuente. Tandem vero *Joſephi* fidem ſolicitat. Reliqua deteget Diſſertatione ea, quam credimus proxime ſubſecuturam, vel una, vel mul-
86. tiplici. Hinc vocat nos ad ſeſe *Jo. Jacobi Reiske Conjecturarum ad Herodotum Pars ſecunda.* Occupatio literaria & critica Autoris ſeſe ad *Librum III* & *IV Herodoti* ſtatim convertit. Multa præſidia emendationum hic ex intima Græci ſermonis notitia, ex interpunctione
115. recte inſtituenda, ac aliis adminiculis criticis, afferuntur. Procedit deinde *Chriſtoph. Aug. Heumanni Obſervationum ad Minucium Felicem ferculum quartum*, a *Cap. 28* exorſum, & in fine *Cap. 33* termi-
135. natum. Multa inibi egregia. Agmen claudit *Andreæ Adami Hochſtetteri, Doctoris olim Tubingenſis, iter literatum, aliquot Epiſtolis, nunc primum editis, deſcriptum.* Habet hic Lector XIV Epiſtolas, ex itinere, per Germaniam, Belgium, Angliamque, facto, ad B. *Ottonem Menckenium* datas. Multa indidem expromuntur arcana de viris doctis, ac eorum ſcriptis. Præcipue juvat, legiſſe ea, quæ ex Belgio & Anglia fuerunt nuntiata. Nonnihil ſpectat ad honorem, quem Angli tunc, exeunte Seculo ſuperiori, *Actis Eruditorum* habuerunt.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno MDCCLI.

NOVUS THESAURUS JURIS CIVILIS ET CANOnici, continens varia & rariſſima optimorum Interpretum, inprimis Hiſpanorum & Gallorum, Opera, tam edita, quam inedita, in quibus utrumque Jus emendatur, explicatur, atque ex humanioribus literis, antiquitatibus, & veteris ævi monumentis, illuſtratur. Ex collectione & Muſeo GERARDI MEERMANNI, JCti, & Reipublicæ Roterodamenſis Syndici.

Tomus I.

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1751, fol. Alph. 8 plag. 5.

Solvit fideliter promiſſa ſua & bibliopola, *Hondtius*, & Operis collector, *Meermannus*, cujusque nuper promulſidem & quandam quaſi delibationem propoſuimus, ecce nunc ipſe prodit *primus* deſideratiſſimi *Theſauri Tomus*, quem Vir Celeberrimus *Guilielmo Carolo*, *Arauſionenſi Principi, Belgarum hereditario Gubernatori*, dedicavit. Præfationem Operi brevem præmiſit, in qua de ipſis libellis, qui in hoc *Volumine* obveniunt, pauca diſſeruit. Sunt vero, qui in hunc *primum Tomum Novi Theſauri Juris* collecti ſunt, libri omnes fere rari & paucis viſi, ſcilicet: 1) *Henrici Stephani* Juris Civilis fontes ac rivi; 3) *Michaelis Pſelli* Synopſis legum,

gum, verſibus jambis & politicis, Græce edita, adjecta Latina interpretatione & notis *Franciſci Boſqueti*, itemque obſervationibus *Cornelii Siebenii;* 3) *M. Valerii Probi* libellus de interpretandis Romanorum literis, ex MStis Codicibus auctus, & notis illuſtratus, ab *Henrico Ernſtio.* Accedunt Obſervationes *Frederici Tiliobrogæ.* 4) *Flavii Franciſci de Hauteſere a Salvaiſon* Notæ & Animadverſiones ad Indiculos eccleſiaſticorum Canonum *Fulgentii Ferrandi* & *Creſconii Afri.* Adjectæ ſunt Notæ *Petri Franciſci Chifletii.* 5) *Alexandri Politi a S. Sigismundo* de patria in teſtamentis condendis poteſtate Libri quatuor; 6) *Joannis Filleau* Tractatus ſingularis de Comitibus Conſiſtorianis ad *Tit. 10 Lib. XII Cod.;* 7) Excerpta ex Adverſariis *Petri Pithei,* quæ ad Jus Romanum pertinent; 8) *La Vie de Publius Rutilius Rufus, Juriſconſulte Stoicien, par Antoine Loiſel;* 9) *Nicolai Rigaltii* de Lege venditioni dicta Obſervatio duplex ad *l. 5 C. de Act. emt.;* ejusdem de modo propoſito fœnori Obſervatio ad Conſtit. Regiam anni 1643; 10) *Athanaſii Oteyza & Olano* Paralipomenon & Electorum Juris Civilis ſelectarumque Antiquitatum *Tomus I* (plures vero nunquam prodierunt); 11) *Jani a Coſta* Commentarii ad *Tit. ff. de Servitutibus;* item ad *Titulos IV* Codicis *Ex delictis defunctorum in quantum hæredes conveniantur; de conſtituta pecunia; de probationibus; & de teſtibus* (nunc primum editæ). Hi ſunt elegantiſſimi illi, qui in hoc *primo Tomo* fulgent, Tractatus & libelli, quos, ut uno adſpectu lectores poſſent intueri, junctim præſcribendos duximus; nunc autem de ſingulis ſpeciatim quædam diſſeremus. Videamus ergo primo loco de *Henrici Stephani Juris Civilis fontitibus ac rivis.* Mirus eſt hujus, quem juvat integrum apponere, libelli titulus: *Juris Civilis fontes & rivi. Henricus Stephanus Lectori. Dum meam totius Juris Civilis editionem exſpectas, (quæ, quanto ſerius, tanto utilius operam tibi navabit, viamque multo ſolita breviorem atque expeditiorem ad hæc ſtudia aperiet,) novum hunc libellum, velut editionis illius arrham, præmitto.* Quinam vero ſunt illi *rivi* & *fontes* Juris Civilis, quos in hoc exiguo libello *Stephanus* typogra-

graphus doctiſſimus, promittit? Sane fallax eſt titulus, ex quo, quid in medio poſitum ſit, vix intelligas. Nempe hoc egit, ut, Leges Romanas cum decem Dei præceptis & Moſaicis inſtitutis convenire, doceret, quod jam veteris Autoris, cui illam *Collationem Legum Moſaicarum & Romanarum* debemus, conſilium & inſtitutum fuit. Res maximi momenti, quæ incredibiles fructus affert, ſi Diis placet! Sane nos hoc loco aliter facere non poſſumus, quin valde miremur, Celeberrimum *Meermannum*, literatiſſimum Virum, & exacti judicii Collectorem, inter tot præclariſſimos Juris interpretes, quorum ſcripta in hoc Opere reſuſcitavit, hunc typographum, *Stephanum*, familiam ducere juſſiſſe. Librum jejunum & ineptum, in quo uno fortaſſis *Stephanus* non fuit *Stephanus*; librum dicimus, quem neque materiæ utilitas, neque ſcripturæ elegantia, ſed ſola raritas, commendare potuit, hic in principio ſtare, dedecus exiſtimamus. Niſi fructuoſa & pulchra ſunt, quæ recudimus, nobis videtur perperam officioſa omnis noſtra erga majores pietas. Huic ſane libro, quæ eſt noſtra ſententia, longe melius conſultum fuiſſet, ſi in Lethen fluvium potius immerſus, quam typographorum manibus redditus denuo, fuiſſet. Quem enim uſum tales legum comparationes in legibus interpretandis applicandisve habere poſſint, nos ignorare, fatemur. Succedit huic *Michaelis Pſelli Synopſis legum verſibus jambis & politicis, cum notis Bosqueti & Siebenii.* Opus admirabile. Omnis Jurisprudentia carminibus panditur a *Pſello*, qui, inſtruendo *Michaeli Ducæ*, verſibus mille quadringentis univerſam Jurisprudentiam expoſuit. Poteſt hæc vetus Synopſis non immerito univerſi Juris nucleus haberi, mira brevitate digniſſimas & plane reconditas doctrinas continens, ut, qui ea ſciat & interpretari poſſit, quæ hic *Pſellus* tradidit, ſe non exiguum Juriſconſultum exiſtimare poſſit. Laudandum ideo *Meermanni* ſtudium, tradentis, ut par erat, hoc elegantiſſimum Carmen in manus plurium. *Bosqueti* Notæ ſunt accuratæ, quanquam non omnia ſatis eleganter ille videatur in Latinum transtuliſſe. Multa enim effugerunt ejus induſtriam, adeo ut etiam convertendo quædam plane corruperit.

Digitized by Google

unde *Cornelius Siebenius*, JCtus, ſuis in animadverſionibus illum non raro caſtigat, ſenſumque contextus deperditum, habita & metri ratione, reſtituit. Hunc ſequitur *M. Valerii Probi Libellus de interpretandis Romanorum literis, illuſtratus ab Ernſtio.* Sæpius hoc de ſingularibus literis & notis fragmentum *Valerii Probi* prelo commendatum eſt, nunquam tamen correctius, quam in hac editione, nunquam doctioribus commentariis notisque exornatum, quam ipſo id curante *Henrico Ernſtio*, Juris utriusque Doctore, qui illud ex vetuſtiſſimis MStis plus parte dimidia auxit, & tam ſollicite emendavit, ut a vero videatur haud abludere illud operi præfixum, quod perplacuit, docti hominis Epigramma:

Quem vidimus ſemper Probum *nunquam* integrum,
Culpa malorum, non quidem vitio ſuo,
Nunc Ernſtii *demum ſtudio doctiſſimi*
Et integer *primum & magis prodit* probus.

Eſt enim hæc *Ernſtii* editio ceteris omnibus multo locupletior, ut fere nova poſſit haberi. Nunc habes *Flav. Franciſci de Hauteſere a Salvaiſon Notas & Animadverſiones ad Indiculos eccleſiaſticorum Canonum Fulgentii Ferrandi, Carthaginienſis eccleſiæ Diaconi, & Creſconii Afri, quibus in hac repetita editione ſubnexæ ſunt notæ Petri Franciſci Chifletii.* Hic *Ferrandus*, Diaconus, circa tempora *Anaſtaſii* Imp. vixit. Commentariis autem hujus *Franciſci de Altaſerra* ſtupenda ineſt eruditio, ut eorundem repetitio non poſſit non acceptiſſima iis eſſe, quibus antiquorum Canonum, ex quibus etiam *Gratianus* nonnulla hauſit, collectiones cordi ſunt. Nunc ſe ſiſtit *Alexandri Politi a S. Sigismundo de patria in teſtamentis condendis poteſtate.* Nondum maturus, qui in veteranorum ſportulas imponeretur, hujus Florentini Theologi fructus, utpote Florentiæ A. 1712 recentiſſime natus. At, cum habeamus, fruamur. Eruditio huic Autori non vulgaris, & ſatis probabilis dictio; ſplendidiſſima præterea ſanctorum Patrum, Canonum, Conciliorum, & civilium antiquitatum, ſupel-

pellex. Plus juſto tamen garrulus videtur, & jam coctarum rerum interdum recoquus. Hunc excipit *Joannis Filleau, in Senatu Pariſienſi Advocati, Tractatus ſingularis de Comitibus Conſiſtorianis.* Agitur in hoc de varia apud JCtos Comitis ſignificatione; cur Comites Conſiſtoriani ita dicantur; de Conſiſtorio Principis; de origine Comitum Conſiſtorianorum, & de eorum cingulo; utrum inter Illuſtres, an Spectabiles, fuerint; ubi hi Comites conveniri potuerint; habuiſſe eos privilegium ſportularum, poteſtatemque iisdem fuiſſe, ſecretaria judicum ingrediendi, & cum iis ſedendi, aliaque plura hujuscemodi, copioſius ac plenius exponuntur, quam *Gutherius* in libro *de Officio Dom. Aug.* & *Pancirolus* in *Notit. Dign.* fecerunt. Poſt hunc in oculos veniunt *Excerpta quædam ex Adverſariis Petri Pithœi, quæ ad Jus Romanum pertinent, ex editione Fabrotti.* Præter ſcripta, quæ in manibus ſunt, reliquit & Adverſaria *Pithœus*, ſed nullo ordine conſcripta, ex quibus nonnulla excerpſit *Fabrottus*, hæc ipſa ſcilicet, quæ *Meermannus* denuo publici juris facit. Grammaticalia continent. Annotavit v. c. *Pithœus* verba deponentia, quæ ſic in legibus obveniunt, ut patiendi ſignificationem habeant, ut *fatebitur, moderatur*, paſſive; tavtologias inſignes; Græciſmos & novas locutiones; declinandi modos monſtroſos, & alia, quæ vitioſa videntur, ut: uſu nobis eſſe poſſunt *l. 35 §. 2 ff. de contr. emt.* menſum pro menſium *l. 7 pr. ff. ſolut. matr.* patris familiai *l. 9 §. 13 ff. de hared. inſt.* alio pro alii *l. 137 §. 5 ff de V. O.* Congeſſit item varia exempla, in quibus negatio ad proximum relata, ut: Quod fugitivus, vel ſanus, non fuerit, *l. 16 ff. de evict.* Porro antiquas flectendi rationes, ut: intellegerit *l. 3 §. 6 ff. quod vi aut clam*; deſiſterit *l. 1 §. 6 ff. ad Turpill*; decet tantæ majeſtati *l. 23 ff. de Leg. 3.* Hujusmodi ſunt, quæ in hac ſcriptiuncula JCtus diligentiſſimus obſervavit, ſatis vel eo nomine digna, ut hic recuderentur, quia *Duckerus* in Collectione ſua Opuſculorum de Latinitate veterum JCtorum ea omiſit ac ignoravit. Publicavit equidem *Dionyſius Gothofredus* A. 1602 cum Autoribus linguæ Latinæ aliud quoddam Gloſſarium hujus *P. Pithœi*

Digitized by Google

thæi ſub titulo: *Excerpta Pithœana ex veteribus gloſſis*, ſed hæc ab his noſtris plane diverſa ſunt. Proponitur porro *Vie de P. Rutilius Rufus, Juriſconſulte Stoicien, & le Socrate Romain, par* Antone Loiſel, *Advocat en Parlement.* Hæc vita, quanquam paulo copioſior ſit uberiorque illa, quam *Bertrandus* & *Grotius* dederunt, tamen ſine injuria omitti in hoc theſauro & potuiſſet & debuiſſet, inprimis cum Gallice ſcripta ſit. Quid enim tam verboſa deſcriptio vetuſtiſſimi JCti, qui libera republica vixit, vitæ deſcriptio ad Juſtinianei juris interpretes attinet? Sin autem vitas copioſiores illis, a *Bertrando* conſcriptis & *Grotio*, dare *Meermannus* voluit, cur non omnes illas dedit, quas de veteribus jurisprudentibus in Germania *Strauchius*, multo elegantius, quam hic *Oiſelius*, exaravit? Ecce nunc *Nicolai Rigaltii de Lege venditionis dicta Obſervatio duplex.* Ejusdem *de modo propoſito fœnori Obſervatio ad Conſtitutionem Regiam anni 1643.* Breviſſima hæc ſcriptiuncula. Vix enim unam chartæ plagam ſatis bene complet. Hinc properamus ad *Paralipomenon & Electorum Juris Civilis, ſelectarumque Antiquitatum, Tomum I, in quo Dickæologia variaque Dialexi Juris Civilis gnoſis disquiritur, invenitur, & libratur, ejusque monumenta antiqua aperiuntur, evolvuntur, & illuſtrantur, opus utile rectam Jurisprudentiam amantibus, ſalutantibus, & colentibus, Autore* Athanaſio Oteyza & Olano, *J. U. D. in celebri Valis-Oleti Academia, & in ea, poſt varias cathedrarum victorias, primario nunc legum Anteceſſore, & in Regali Cancellaria cauſarum patrono.* Non eſt liber tam ineptus, quam titulus. Continet obſervationes criticas varii generis, interpretationes aliquot non penitus aſpernandas, in quibus multa ubique lectio elucet. Digreſſiones tamen ſæpe facit plane inutiles, & in apponendis otioſis teſtimoniis, & retractandis rebus diu cognitis, nimius eſt, ut æqualibus ſuis *Ramo, Reteſio, Suarezio*, longe judicio inferior videatur. Ipſum librum dedicavit longa ſub formula *Chriſto Crucifixo in ipſo colaſterio regnatori: triumphatori in cruce: victori in morte: Potentiſſimo Domino noſtro Deoque O. M. Lytroſeos beneficii memor, quod genus humanum, culpa prio-*

Digitized by Google

priorum parentum collapſum, ſanguine redemerit ſuo & reſtituerit, ſuus ſervus Athanaſius *oblatiunculam hanc ex vovitate & tota mente devota dicat & conſecrat. Dignus*, inquit, *es, o Domine, accipere librum, & aperire ſignacula ejus, quoniam occiſus es, & redimiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua & populo & natione, & feciſti nos Deo regnum. Apocal. V, 9.* Hæc ille in Præfatione ſatis inſolito ſtilo. Sed ad finem properandum eſt, quem conſtituunt *Jani a Coſta, JCti & Anteceſſoris Toloſani, Commentarii, ſeu prælectiones, ad Tit. ff. de Servitutibus, itemque ad quatuor Titt. Codicis: Ex delict. defunct. in quantum hæred. conv.; de conſtit. pecun.; de probat.; de teſtibus*, nunc primum editæ. Hos Commentarios pro parte dono accepit ab Hiſpano Polyhiſtore, *Gregorio Majanſio*, cui etiam alia debet, quæ ſecuturis hujus *Theſauri Tomis* inſerentur, *Rami, Reteſii, Suarezii*, aliorumque plurium, opera, quæ an omnia æternitate digna ſint, dies & lectio docebit. Nolumus enim metuere, ne *Majanſii* oculis, in his dijudicandis, plus, quam propriis, *Meermannus* viderit. Cum enim conſilium edendi *novi Theſauri Juris Civilis* caperet, illudque ſplendidiſſimo Hiſpano illi aperiret, non dubitamus, quin, ut Collectorem talis Operis decet, omne præjudicium autoritatis depoſuerit, nec ea tantum de cauſa, quia *Majanſius* miſit, hæc Hiſpanorum ſcripta inſerenda curaverit.

Reſtat, ut de univerſo Opere ſententiam dicamus. Auro ſane illud contra carius, cum maximam partem libros doctiſſimorum hominum contineat, in his oris rariſſime obvios, & multos, non antehac editos. Non tamen omnibus elegantia eadem. Rara quidem, quæ hic invenies, omnia, ſed non deſiderata. Cum tamen dederit præſtantiſſimus *Meermannus*, nobis gratiſſima eſſe debent, meritoque humaniori Jurisprudentiæ de *Meermanno* gratulamur, quæ & in Belgio nunc fere collapſa, ſtatorem in eo invenit novum & ampliatorem excellentiſſimum. Cum enim jam hac ætate, qua adhuc juvenis eſt, tam præclare de literis mereatur, ſane ſplendorem fortunæ ſuæ illuſtriſſimum venienti tempori et Muſis animo præſagimus. Commendamus hoc præſens marmore perennius opus literato orbi, quantum poſſumus, et ter feliciter! ſalvum te Dii

ſer-

Digitized by Google

ſervent! ſalvus peragas cetera! Viro incomparabili, *Meermanno*, acclamamus.

COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENTIARUM Imperialis Petropolitanæ. Tomus VIII, ad Annum 1736.

Petropoli, typis Academiæ, 1741, 4 maj.
Alph. 2 plag. 12, Tabb. æn. 25.

Omnes, quos *Claſſis mathematica* hujus *Voluminis* complectitur, Commentarii celeberrimo Geometrarum pari, *Danieli Bernoullio* & *Leonardo Eulero*, debentur. In *primo Commentario*, cujus *Eulerus*, Vir doctiſſimus & diligentiſſimus, Autor eſt, legitur *methodus univerſalis, ſerierum convergentium ſummas quam proxime inveniendi.* Ducta eſt hæc methodus ex conſideratione terminorum ſeriei convergentis inſtar rectangulorum, areæ alicujus curvæ, verſus axem convexæ, inſcriptorum, & hanc regulam univerſalem ſuppeditat: Si a, b, ſint primi termini ſeriei, numerus terminorum n, y, & z, termini ultimum ſequentes, erit $\frac{a-y}{2} + \frac{a-b-y+z}{12} + \int ydn$ quam proxime ſumma ſeriei datæ; ideoque ſumma ſeriei infinitæ $\frac{7a-b}{12} + \int ydn$. In qua regula applicanda, conducit primo, aliquot terminos initiales ſeriei in ſummam colligere per vulgatas additionis regulas, deinde reliquorum terminorum ſummam per hanc formulam exquirere, eum terminum qui jam collectos ſequitur, tanquam primum a conſiderando. Poſtquam hanc geometricam ſummandi methodum Cel. Autor diligentius conſideraverat, & analytice inveſtigaverat; intellexit, eandem formulam, quam in præcedenti Diſſertatione dederat, poſſe deduci ex aliqua generali methodo ſummandi analytica, cujus in *Tomo VI* horum *Commentariorum* injece- Pag. 69.

rat

rat mentionem, ſed de qua poſtea non amplius cogitaverat. Cum autem hæc methodus utilis ſit & ad approximationem, modo deſcriptam, continuandam, & ad multarum ſerierum ſummas abſolutas inveniendas; digna ipſi viſa eſt, quam ſecundis curis excoleret atque perficeret. Quod agit in *ſecunda Diſſertatione*, quæ *de inventione ſummæ cujusque ſeriei ex dato termino generali* inſcribitur. Primo itaque eleganti & concinna analyſi inveſtigat relationem inter terminum generalem & terminum ſummatorium cujusque ſeriei, quæ, ſi X notet terminum generalem, & S ſummam x terminorum, hac æquatione definitur $X = \frac{dS}{dx} - \frac{ddS}{1.2dx^2} + \frac{d^3S}{1.2.3dx^3} - \frac{d^4S}{1.2.3.4dx^4} +$ &c. Ex ea æquatione per reverſionem ſeriei eruit hanc novam, quæ terminum ſummatorium exprimit, $S = \int Xdx + \frac{X}{1.2} + \frac{dX}{1.2.3.2dx} - \frac{d^3X}{1.2.3.4.5.6.dx^3} + \frac{d^5X}{1.....7.6dx^5} -$ &c. In qua æquatione coefficientes terminorum hanc habent progreſſionis legem, ut dicto coefficiente primi termini α, ſecundi β, tertii γ, & ſic porro, fit $\alpha = 1$, $\beta = \frac{1}{1.2}\alpha$, $\gamma = \frac{1}{1.2}\beta - \frac{1}{1.2.3}\alpha$, $\delta = \frac{1}{1.2}\gamma - \frac{1}{1.2.3}\beta + \frac{1}{1.2.3.4}\alpha$, $\epsilon = \frac{1}{1.2}\delta - \frac{1}{1.2.3}\gamma + \frac{1}{1.2.3.4}\beta - \frac{1}{1.2.3.4.5}\alpha$, & ſic porro. Deinde uſum hujus formulæ exponit. Præcipuum autem uſum habet in ſummis progreſſionum algebraicarum inveniendis, in quarum terminis generalibus, per x & conſtantes datis, x nusquam denominatores ingreditur. Nam in hoc caſu evaneſcentibus tandem differentialibus ipſius X, (conſtans enim eſt dx,)

Digitized by Google

dx,) ſeries formulæ abrumpitur, & terminus ſummatorius finitus prodit; rejicique ſtatim poſſunt omnes termini, qui x non continent, quia ad $\int X dx$ tanta conſtans addi debet, quæ faciat $S = o$, poſito $x = o$. Exempli gratia, ſi ſummanda ſit ſeries numerorum quadratorum $1 + 4 + 9 \ldots\ldots + x^2$, ubi $X = x^2$, erit $\int X dx = \frac{1}{3} x^3$, & $\frac{dX}{dx} = 2x$, & ergo ſumma $S = \frac{1}{3} x^3 + \frac{1}{2} x^2 + \frac{1}{6} x$. Denique non contemnendum uſum illa formula etiam tunc habet, cum x denominatorem termini generalis ingreditur. Quanquam enim tunc expreſſio ſummæ ex infinitis terminis conſtat, quia hujusmodi ſeries generalem ſummationem non admittunt; tamen hujus methodi ope ſummæ iſtiusmodi ſerierum facile admodum proxime invenientur, licet parum convergentes ſint, et aliis modis difficulter ſummentur; ſi modo conſtantis adjiciendæ inventio non nimis operoſa fuerit. Nam in his caſibus ad determinandum conſtantem plerumque opus eſt, ut ſufficiens terminorum numerus arithmethice in unam ſummam colligatur, quæ expreſſioni, quam formulæ ſuppeditat, æquanda eſt. Poteſt tamen nonnunquam conſtans & aliis artificiis inveniri. Quæ ſingula Cel. *Eulerus* aliquot exemplis, præſertim ſerierum harmonicarum, edocet. In *tertia Diſſertatione* idem Vir doctiſſimus earum formularum generalium, quas *Jo. Bernoullius*, Vir Celeb. in his *Actis A. 1724* pro curvis proponit, quarum rectificatio a data quadratura pendet, inſignem aliquem uſum monſtrat in ſolvendo hoc Problemate ſatis difficili: Invenire binas curvas algebraicas, quarum utraque non niſi per datam quadraturam ſit rectificabilis, & quæ tamen ita ſint comparatæ, ut duo earum arcus, eidem abſciſſæ reſpondentes, ſummam conſtituant algebraicam. In *quarto* Commentario *Eulerus* de oſcillationibus fili flexilis, quotcunque ponduſculis onuſti, agit, qua de re meditandi occaſio & ipſi, & Cel. *Danieli Bernoullio*, olim oblata eſt, cum inter eos de catenæ ſuſpenſæ oſcillationibus ſermo incidiſſet. Nam, quia, ab oſcillantibus catenis curvas maxime irregu-

regulares,easque diverſiſſimas,formari,experiundo intellexerant, ideoque de generali determinatione harum curvarum deſperabant, animum convertebant ad contemplandas tantummodo infinite parvas catenæ ſuſpenſæ oſcillationes, easque initio ita attemperatas, ut ſingulæ catenæ partes una ad lineam verticalem perveniant. Itaque hoc ſibi mutuo proponebant Problema: Invenire curvaturam catenæ ita oſcillantis, ut ejus ſingulæ partes ſimul ad lineam verticalem perveniant, nec non longitudinem penduli ſimplicis,eodem tempore ſuas oſcillationes abſolventis. Ad ſolutionem hujus Problematis neceſſe eſt, catenam, tanquam filum perfecte flexile & gravitatis expers, infinite multis ponduſculis inſtructum, conſiderare. Hinc uterque Geometra viam ſibi ad analyſin hujus Problematis paravit, quærendo primo in caſu duorum ponduſculorum, deinde in caſu trium, porro in caſu quatuor ponduſculorum, &c. & ſitum ponduſculorum dicta lege oſcillantium, & longitudinem penduli iſochroni, donec pateret generalis horum quæſitorum conditio in caſu quotcunque ponduſculorum. Quas quæſtiones qua ratione Cel. *Bernoullius* tractaverit, *Tomus VII* horum *Commentariorum* oſtendit. Nunc autem Cel. *Euleri* methodus nobis exponenda eſt, per quam ad easdem harum quæſtionum ſolutiones pervenit. Concipiatur filum perfecte flexile & gravitatis expers, altero extremo fixum, & in aliquot partes diviſum, quarum ſingulæ in extremitatibus ſuis ponduſcula ſibi alligata habeant: & intelligatur hoc filum e ſitu ſuo naturali, id eſt, verticali, parumper dimotum, ut ponduſcula oſcillationes infinite parvas peragere incipiant. Jam methodi *Eulerianæ* cardo in hoc verſatur, ut, datis ponduſculis, datoque ſitu primi ponduſculi, quod ex ſuprema fili parte pendet, determinetur ſitus reliquorum ponduſculorum, inveſtigando vim, qua quodlibet ponduſculum ſecundum directionem horizontalem ſollicitatur; & ponendo hanc vim æqualem facto ex maſſa ponduſculi & via ejus horizontali, inter locum ponduſculi & verticalem, per punctum ſuſpenſionis ductam, interjecta, applicato ad longitudinem penduli ſimplicis iſochroni. Hæc

 enim

Digitized by Google

enim æquatio determinat rationem viæ horizontalis cujusque ponduſculi ad longitudinem reſpectivæ partis fili, ſeu ad partem lineæ verticalis, inter viam hanc, & viam horizontalem præcedentis ponduſculi, ideoque cujuslibet ponduſculi ſitum definit. Intelliguntur autem ſingula ponduſcula ſic oſcillare, ut, productis ſingulis fili partibus ad verticalem usque, puncta ſingula occurſuum inter oſcillandum fixa maneant; & longitudo penduli iſochroni ſimplicis ſemper æqualis eſt ultimæ fili parti, ad lineam verticalem usque productæ. Solutis ita quæſtionibus de quotcunque ponduſculis inæqualibus, & per inæquales fili portiones connexis, eruit *Eulerus* eadem methodo formulam univerſalem, quæ, in caſu & ponduſculorum & intervallorum inter ſe æqualium, diſtantiam cujuslibet corpuſculi a verticali e datis diſtantia ultimi ponduſculi, intervallo duorum corpuſculorum, & longitudine penduli ſimplicis iſochroni, definit. Denique, poſitis intervallis iſtis ponderum æqualibus infinite parvis, ut tanquam elementa curvæ ſpectari poſſint, eandem methodum applicat ad inveniendam naturam curvæ flexilis, & gravitate præditæ, ſic oſcillantis, ut tota eodem temporis momento ad ſitum verticalem perveniat. Scilicet, aſſumta recta verticali, per punctum ſuſpenſionis ducta, pro axe curvæ, & ſumto in eadem recta infra punctum ſuſpenſionis aliquo puncto, quod ſit origo abſciſſarum, dictisque x abſciſſa, y ordinata, f longitudine penduli iſochroni ſimplicis, ſeu ſubtangente curvæ ad infimum ejus punctum, & pdx pondere elementi curvæ, hanc invenit æquationem $ypdx^2 = -fddy\int pdx - \int pdxdy$, in qua dx eſt conſtans, & quæ ordinatarum ad ſe invicem relationem determinat. Quare, ſi per iſtam æquationem curva pro finito ipſius y valore conſtrui poſſet, poſtea applicatæ omnes in eadem ratione diminuendæ forent, ut prodiret curva quæſita. Sed, miſſa iſta generali æquatione, naturam omnium curvarum Problematis declarante, quæ minus tractabilis eſt, duos expendit Autor particulares caſus catenarum oſcillantium, quorum alter tunc locum habet, cum catena eſt uniformiter craſſa, ſeu ſingula ejus elementa idem pondus

habent,

Digitized by Google

habent, alter autem tunc, cum $p = x^n$; & ex æquationibus, in quas pro hiſce caſibus æquatio generalis mutatur, conſtructionem earum curvarum, & præcipua earundem ſymtomata, ea, qua ſolet, arte deduxit. *Quinta Diſſertatio*, quæ eundem Virum Celeberrimum Autorem habet, novam ac expeditam viam commonſtrat ad *æquationes meridiei ſupputandum*. Quoniam Aſtronomi momentum veri meridiei plerumque per obſervationes altitudinum Solis reſpondentium determinare ſolent; momentum autem meridiei veri, hoc modo indagatum, ob variabilem Solis declinationem, correctione eget, quam æquationem meridiei appellant; jam dudum Aſtronomus Gallus, qui editionem ſecundam Tabularum *Ludovicianarum* curavit, in gratiam Obſervatorum tabulam æquationum meridiei ſub finem libri exhibuit, & modum eam condendi docuit. Verum, quod ad ipſam hanc tabulam attinet, uſus ejus nimis arctis limitibus circumſcriptus eſt, quippe quæ pro altitudine poli Pariſiorum computata, & ab intervallo quatuor horarum usque ad intervallum decem horarum tantum extenſa eſt, ideoque in locis polo terræ vicinioribus, e. g. Petropoli, ubi & dies æſtivi longiores, & æquationes meridiei ipſæ fere duplo majores ſunt, nulli omnino uſui eſſe poteſt. Neque etiam ſatis accurata eſt hæc tabula, propterea quod & pro adſcendentibus & pro deſcendentibus eclipticæ ſignis easdem æquationes meridiei exhibet. Nam, Sole in Tauro eandem declinationem habente, quam in Leone, æquatio meridiei, illi loco Solis reſpondens, major eſt ea, quæ huic loco reſpondet; &, quanquam exceſſus ſit tantum aliquot minutorum tertiorum, ſæpe iſta differentia errorem parere poteſt, ad minuta ſecunda ſerpentem. Deinde, quod ad modum, hanc tabulam conſtruendi, attinet, ab ejus Autore traditum, multum temporis, multum patientiæ, requirunt prolixiores computationes, hac methodo præſcriptæ, ſi quis completam tabulam æquationum meridiei, uſibus alicujus obſervatorii inſervituram, condere velit. Quæ rationes Cel. *Eulerum* commoverunt, ut, cum in uſum Obſervatorii Petropolitani ejusmodi tabulam conſtruere vellet, de nova & magis expedita metho-

 do

do æquationes meridiei computandi cogitaret. Adjutus eximia, qua in calculis infiniteſimalibus tractandis pollet, peritia, talem invenit methodum, qualem deſideraverat; &, ſecundum hanc methodum, ait, ſe haud integris quatuor diebus integram tabulam æquationum meridiei pro obſervatorio Petropolitano condidiſſe, eamque plus quam ſexies ampliorem tabula *Hiriana*, quippe ab unius horæ inter obſervationes altitudinum reſpondentium intervallo ad octodecim horarum intervallum extenſam, & æquationes pro ſignis adſcendentibus ab æquationibus pro ſignis deſcendentibus diſtinctas exhibentem. Qua arte hanc methodum Vir Cel. invenerit, hujus Diſſertationis lectio unumquemque docere poterit. Nos hic ipſam regulam exponemus, ſecundum quam æquatio meridiei pro loco datæ latitudinis, ex Solis in meridie loco, & horarum inter obſervationes altitudinum Solis reſpondentium numero datis, computanda eſt. Tempus inter binas obſervationes elapſum convertatur in arcum æquatoris. Per ſinum dimidii hujus arcus dividatur tangens latitudinis loci; & per tangentem ejusdem dimidii arcus æquatoris dividatur tangens declinationis Solis. Quæ declinatio ſi borealis fuerit, a quoto priori ſubtrahatur poſterior quotus; ſin autem declinatio auſtralis fuerit, hi quoti addantur ad ſe invicem. Deinde differentia, vel ſumma, horum quotorum multiplicetur per variationem declinationis diurnam, in minutis ſecundis expreſſam. Denique inferatur: ut ſe habent 180° ad totum arcum æquatoris, initio inventum, ita eſt factum poſtremo inventum ad numerum minutorum tertiorum, qui æquationem meridiei quæſitam conſtituit. Hæc æquatio ad momentum inter momenta obſervationum medium addenda eſt, ſi Sol ſit in ſigno deſcendente, ſubtrahenda autem, ſi ſignum, in quo Sol verſatus, ſit adſcendens. Quia autem hæc regula requirit, ut variatio diurna declinationis Solis in minutis ſecundis expreſſa adhibeatur, & ephemerides pleræque declinationes Solis in minutis primis tantum indicant; porro ab *Eulero* traditur regula, ſecundum quam ex motu Solis vero diurno, qui ex ephemeridibus in minutis ſecundis haberi poteſt, colligi poteſt numerus

Digitized by Google

merus minutorum ſecundorum, variationem declinationis diurnam exprimens. Quæ regula ſic habet: Motus Solis verus diurnus, in minutis ſecundis datus, multiplicetur per quartum proportionalem ad ſinum totum, ſinum obliquitatis eclipticæ, & coſinum diſtantiæ Solis a proximo puncto æquinoctiali; productum per coſinum declinationis Solis diviſum dabit variationem declinationis diurnam in minutis ſecundis expreſſam. In *ſexta Diſſertatione* Cel. *Eulerus* de conſtructione æquationum quarundam ope motus tractorii, aliisque, ad methodum tangentium inverſam pertinentibus, exponit: Æquationes differentiales, quarum conſtructio admodum ſimplex & facilis hic docetur, continentur ſub hac forma generali $ds + ssdz = Zdz$, deſignante Z quamlibet ipſius z functionem. Eſt autem earum conſtructio ita inſtituenda. Conſtruenda eſt curva inter coordinatas rectangulas, cujus abſciſſa ſit $= 2b/dz\sqrt{z}$, & applicata $= \frac{1}{2}bx$ logar. z. Deinde, filo longitudinis b ſecundum hanc curvam protracto, deſcribenda eſt tractoria, quemadmodum tractoria vulgaris altero termino fili, ſecundum rectam lineam protracto, deſcribitur. Jam dicta q tangente dimidii anguli, quem filum, tractoriam deſcribens, ubivis cum ordinata prioris curvæ comprehendit; erit $s = q\sqrt{Z}$. Quia famoſa æquatio *Riccatiana* ſub illa formula generali continetur; hujus conſtructionem per motum tractorium ſpeciatim oſtendit Autor. Deinde methodum, qua in reductione illius formulæ ad tractoriæ deſcriptionem uſus eſt, applicat ad conſtructionem curvarum, quarum natura exponitur per æquationem inter duas lineas variabiles, quarum poſitio ab ipſa curva pendet, neque ſine ipſius curvæ cognitione determinari poteſt, e. g. inter normalem curvæ & partem axis a normali abſciſſam. Sæpe enim ſingulari arte eſt opus, ut ex ejusmodi æquatione eruatur æquatio inter coordinatas curvæ talis, qualem adhibere poſſis ad curvam conſtruendam, vel ſaltem ad judicandum, utrum curva algebraica ſit, an tranſcendens. Modum igitur maxime commodum, quo ejusmodi æquatio ex alia æquatione, ad hoc negotium inepta, elici poſſit, Vir Celeberrimus ſub finem hujus

Diſſer-

Digitized by Google

Diſſertationis pluribus exemplis commonſtrat. *Septima Diſſertatio*, ab eodem Viro doctiſſimo conſcripta, ſolutionem Problematum, rectificationem Ellipſis requirentium, continet. Cum ſuperiori ſeculo inter Geometras ejusmodi Problemata agitarentur, quibus linea curva requirebatur, quæ ab infinitis poſitione datis curvis arcus æquales abſcinderet; pro caſu quidem curvarum inter ſe ſimilium eleganter ſolutiones in lucem prodierunt; ſed, quemadmodum methodus harum ſolutionum ad caſum curvarum diſſimilium accommodari nequit, ita nec quisquam adhuc, quantum conſtat, alia methodo hunc hujus Problematis caſum ſolverat. Primus ergo *Eulerus* hunc difficilem caſum feliciter aggreſſus, ope methodi ſuæ fœcundiſſimæ, quam in Diſſertatione de infinitis curvis ejusdem generis *Tomo VII* horum *Commentariorum* expoſuit, ſolutionem ejus caſus obtinuit, quam hac Diſſertatione in infinitis ellipſibus diſſimilibus exhibet. Quo ipſo magnum Analyſi augmentum conciliavit, dum non ſolum ab *infinitis* ellipſibus arcus æquales abſcindere docuit, ſed & ſimul innumerarum æquationum differentialium tam primi, quam ſecundi, gradus, quarum indeterminatæ nullis adhuc cognitis artificiis ſeparari poſſunt, conſtructionem ope rectificationis Ellipſium monſtravit. *Octava Diſſertatio*, quæ Cel. *Danielem Bernoullium* Autorem habet, de Legibus quibusdam mechanicis non deſcriptis agit. In duas partes eſt diviſa, quarum prima leges quasdam tradit, quas natura in mutanda directione corporis moti conſtanter obſervat. Duo caſus hic diſtinguendi ſunt, quorum primus eſt, cum mutatur directio, motu manente uniformi. Hunc caſum repræſentat motus globi in tabula horizontali ſecundum latera canalis, data lege incurvati. Lex autem, quam a corpore ſic moto ſemper obſervari Autor demonſtrat, hæc eſt, ut, quæcunque ſit via mobilis, ſemper eadem prodeat ſumma potentiarum momentanearum, ſive curvæ normalium, ſive axi parallelarum, ſive denique in eundem perpendicularium, dummodo eadem ſit velocitas corporis, & idem angulus mutatæ directionis. Angulus autem mutatæ directionis nomine venit angulus acutus, quem comprehendunt tangentes in

extre-

Digitized by Google

extremis dati, vel aſſumti, arcus curvæ; & potentia momentanea hic vocatur potentia, ſeu ſollicitatio, in elementum temporis ducta. Alter caſus eſt, cum & directio & velocitas mobilis continue variat; quæ res concipi poteſt in præcedente exemplo motus, ſi hæc duntaxat conditio adjiciatur, ut in ſingulis viæ punctis mobile afficiatur potentiis, motum utcunque accelerantibus, vel retardantibus. In hoc jam caſu demonſtratur, quæcunque ſit via corporis, & qualeſcunque ſint mutationes celeritatis, fore ſemper, pro eadem velocitate finali, eodemque mutatæ directionis angulo, eandem ſummam potentiarum momentanearum, directioni initiali perpendicularium; nec non conſtantem fore ſummam potentiarum momentanearum, ad directionem initialem parallelarum, modo velocitas initialis, et velocitas finalis, ſint datæ, idemque ſit angulus mutatæ directionis. In altera parte hujus Diſſertationis Vir Celeberrimus uſum illarum legum in Hydrodynamicis oſtendit. Primo diſputat contra præjudicatam & vulgarem opinionem, quaſi vis venæ aqueæ, a plano mox præ foramine, per quod ex vaſe effluit, exceptæ, pondus cylindri aquei totius, foramini imminentis, æquaret. Deinde ex antea poſitis principiis, & ex phænomeno, a ſe primum obſervato, quod particulæ aqueæ ſingulæ in vena, cui planum, venæ amplitudinem multum excedens, perpendiculariter opponitur, ab illiſione in planum directionem ad angulum usque rectum mutant, colligit, vim venæ aqueæ ſub his conditionibus eſſe potius æqualem duplo ponderi cylindri aquei, cujus baſis ſit amplitudini venæ contractæ, proxime ante planum, æqualis, & cujus altitudo æquet altitudinem debitam velocitati aquæ; quam æſtimationem, porro docet, experimento, a ſe coram maxime idoneis teſtibus & judicibus inſtituto, plane confirmatam eſſe. Denique impetum venæ in planum excipiens obliquum diligenter quidem conſiderat, ſed, nulla ratione accurate eam definiri poſſe, concludit: quemadmodum &, reſiſtentiam ſolidorum demerſorum in fluidis cum præciſione geometrica determinari poſſe, negat. In Diſſertatione ſequenti Cel. *Eulerus* Problema tractat admodum ſingulare: ſcilicet ſi

 fluvius

fluvius duas pluresve inſulas cingat, quæ & inter ſe & cum regionibus trans fluvium certo numero pontium jungantur, invenire, utrum curſus ita poſſit inſtitui, ut per ſingulos pontes ſemel tantum fiat tranſitus. Quod Problema, cum ad Geometriam pertinere videatur, & ita tamen comparatum ſit, ut neque determinationem quantitatum requirat, neque ſolutionem per calculum quantitatum admittat, a Viro doctiſſimo ad Geometriam ſitus refertur. Methodum, qua hoc Problema hic ſolutum eſt, quia paucis exponi nequit, in ipſo hoc Opere evolviſſe juvabit. Pergimus ad *decimam Diſſertationem*, in qua idem Vir Cel. hoc agit, ut viam muniat ad demonſtrationes eorum theorematum arithmeticorum, quæ, per inductionem a ſe inventa, in *Tomo VI* horum *Commentariorum* propoſuit, cum theorema quoddam *Fermatii* de numeris primis examinaret. Propoſitionum autem illarum demonſtrationes, quas poſtea invenit, nituntur in demonſtratione hujus theorematis: Significante p numerum primum, formula $a^{p-1} - 1$ ſemper per p dividi poterit, niſi a per p dividi queat. Hujus ergo theorematis demonſtrationi tradendæ totam hanc Diſſertationem Cel. *Eulerus* impendit. In ea autem, quæ ſequitur, *Diſſertatione* limites methodi univerſalis, quam pro ſummandis ſeriebus in *ſecunda Diſſertatione* expoſuit, ulterius promovet, docens primo progreſſionis algebraicæ a dato termino in infinitum continuatæ ſummam finitam, ſi quam habeat, ſaltem proxime invenire, deinde ejuſdem generis progreſſionem, ſed cujus termini ſigna alternant, ſummare, denique & ejusmodi progreſſionum, quarum terminos generales quantitas exponentialis ingreditur, nec non talium ſeriebus, quarum termini ex factoribus (e. g. $a + ab + abc + abcd +$ &c.) ſunt compoſiti, ſummas determinare. In *ultimo Commentario* hujus *Claſſis mathematicæ* Cel. *Eulerus* novam viam, qua curvas, maximi minimive proprietate præditas, facile invenire liceat, oſtendit. Quod argumentum cum poſtea Vir Celeberrimus in libro ſingulari, qui Genevæ prodiit, & jam in omnium Mathematicorum manibus verſatur, copioſius tractavarit; eorum, quæ in hoc Com-

Commentario leguntur, recenſione nos hic ſuperſedere poſſe putamus, eo magis, quod & elegantis illius libri contenta in his ipſis *Novis Actis A. 1746* ſatis plene ſunt enarrata.

In *Claſſe phyſica* primum locum obtinet Cl. *Joannis Ammani* Diſſertatio *de Ficubus, e trunco arboris enatis*, in qua hoc rarius phænomenon ex ſtructura gemmæ ficulnæ explicatur. Huic jungitur Viri Illuſtris, *Chriſtiani Wolfii*, Commentarius *de Pomo, e trunco arboris enato*, in quo non ſolum ratio hujus inſoliti proventus redditur, ſed & data occaſione multa alia e theoria vegetationis plantarum afferuntur, quam Vir Perilluſtris ait accuratis obſervationibus & experimentis a ſe ſuperſtructam eſſe, & cujus aliquando publici juris faciendæ ſpem oſtendit. *Tertio* novam *Meliloti ſpeciem*, ſiliqua membranacea compreſſa, ex ſeminibus, in Sibiria collectis, enatam, Cl. *Ammanus* & verbis deſcribit, & icone repræſentat. Tum idem Vir Cl. *quinque nova plantarum genera* exponit. Genus primum ipſi vocatur *Leontopetaloides*. Habet florem monopetalum, infundibuliformem, multifidum, quem ſequitur fructus, ſive veſica, ſeminibus fœta ovalibus. Secundum genus *Ricinocarpodendron* ob fructus ſimilitudinem appellat. Flos hujus plantæ eſt roſaceus, tribus ſcilicet petalis, in orbem poſitis, conſtans, in quorum medio tubus eſt urceolatus, per quem ex calice ſurgit piſtillum, quod deinde abit in fructum trigonum, intus in tria loculamenta diviſum, ſeptis intermediis diſtincta, quorum ſingula ſemen continent, cortice duro obductum. Tertium genus, quod *Siphon anthemum* dicitur, florem gerit monopetalon, tubulatum, multifidum, ex cujus calice ſurgit piſtillum, quod abit in fructum, quatuor baccas, ſibi invicem appoſitas, referentem, in quatuor loculamenta diviſum, ſeminibus fœta ſubrotundis. *Pteroſpermadendro* nomen eſt quarto generi. Flos eſt roſaceus, quippe qui plurimis petalis, in orbem poſitis, conſtat. Ex calice piſtillum ſurgit, embryone inſtructum, qui in fructum abit lignoſum, ſiliquoſum, apice dehiſcentem, in quinque diviſum loculamenta, alatis ſeminibus fœta. Hujus generis duas hic ſpecies Cl. *Ammanus* deſcribit, quarum altera eſt ſuberis folio anguloſo,

loſo, ſubtus incano, floribus albis, altera foliis auritis, flore fructuque majori. Forſan & *Alcea* arboreæ in *Pluknet. Mant. pag.* 6 *Tab.* 333, & *Almag. pag.* 7 *Tab.* 352, ad hoc genus pertinent, quod tamen iis dijudicandum Autor relinquit, quibus eas florentes, & fructus ferentes, videre contigit. Quinto generi Autor nomen *Michelia* impoſuit, in honorem *Antonii Michelii*, celebris Botanici Florentini. Huic plantæ flos eſt monopetalos, anomalus, tubulatus, utrinque patens, & quaſi bilabiatus; piſtillum, quod e calice ſurgit, in fructum mutatur carnoſum, oſſiculo fœtum, in duo loculamenta diviſo, quorum unumquodque unum ſemen continet. Singularum harum plantarum icones hic exhibuit Autor. Hinc *de figura Terræ* commentatur Cl. *Krafftius*. Cui Commentationi cum occaſionem præbuiſſet controverſia de figura telluris, tum temporis iterum excitata, & magna cum molitione agitata; Vir doctiſſimus conſilium & operam in hoc intendit, ut lectorem de ſingulis, ad hanc controverſiam ſpectantibus, ſolide erudiret. Quam ob rem, quæ de figura terræ primitiva, de modis, figuram ejus ſphæroidem & a priori, & a poſteriori, definiendi, de ponderum & pendulorum in tellure ſphæroide variationibus, in variis Diariis literariis & alibi diſperſa erant, in unum ſyſtema colligere, eaque convenienti ordine ac perſpicuitate pertractare, cœpit, methodo ad id uſus analytica. Hujus autem Commentationis primam tantum partem hic exhibuit, in qua, de primitiva figura telluris ſphærica nonnullis præmiſſis, figuram, quam *Chriſtianus Hugenius* terræ tribuit, conſideravit. Tanta eſt elegantia et perſpicuitas hujus tractationis, quanquam ea Lectores in Analyſi recentiori verſatos requirat, ut, in hac tela pertexenda Virum doctiſſimum occupari, vehementer cupiamus. Inde ab eodem Viro Cel. deſcribuntur experimenta, juſſu illuſtris Academiæ Petropolitanæ Præſidis capta ad examinandam Cel. *Dan. Bernoullii* ſententiam *de vi venæ aqueæ*, in *Claſſe mathematica* hujus *Tomi* expoſitam. His experimentis theoria *Bernoulliana* non ſatis conſentire viſa eſt, quippe ex qua vis venæ aqueæ, in planum incurrens, ſatis notabili quantitate major eſſe debuiſſet, quam quidem fuit obſervata.

Jam

Digitized by Google

Jam Tentamen *Theoriæ* ſequitur, *qua adſcenſus aquæ in tubis capillaribus* explicatur, Autore *Joſia Weitbrechto*, cujus præmaturum obitum omnes ſcientiæ naturalis amatores graviter ferre debent. Huic ſane ſcriptioni non veremur hanc laudem tribuere, quod ea hoc argumentum, cujus explicatio magnorum hominum ingenia torſit, tam copioſe, perſpicue, & ſolide, ſit tractatum, quam nusquam alibi factum eſſe meminimus. Cum Autori ea hujus phænomeni explicatio, quam Cel. *Jurinus* protulit, & in qua huc usque plerique Phyſici acquieverant, non omnino ſatisfaceret, ipſe in cauſam hujus rei proprio Marte inquirere cœpit; in quo negotio ita verſatus eſt, ut ex conſideratione phænomenorum minus compoſitorum, adhibendo principia ſimpliciſſima & Geometriam, ea colligeret, quæ cauſas adſcenſus & ſuſpenſionis aquæ in tubis capillaribus proximas patefacere poſſent. Omnia autem, quæ per multorum theorematum ſeriem Autor hic docuit, eo collineant, ut cauſa hujus phænomeni proxima in attractione vitri,& vi cohæſionis mutuæ particularum aquæ, (quæ cohæſio illa attractione minor ſit,) poſita eſſe intelligatur. Scilicet, omnem aquam, in tubo capillari hærentem, vult Autor mente diſtingui in duas partes, quarum altera ſit cylindrulus aqueus, in medio tubo ſuſpenſus, altera tubulus aqueus exiguæ quidem, ſed ubique æqualis, craſſitiei, cylindrum illum cingens, & internæ tubi capillaris ſuperficiei adhærens. Jam, hunc cylindrulum aqueum, oſtendit, intra tubulum ſuſpendi ex ſolo annulo ſupremo hujus tubuli aquei, qui annulus ipſe ab annulo contiguo tubi capillaris vi attractrice vitri ſuſtineatur, quemadmodum reliqua tubuli aquei pars a contigua ſuperficie tubi vitrei ſuſtentetur. Adſcendere autem aquam in tubo capillari cenſet, virtute attractrice totius ſuperficiei internæ tubi vitrei ſucceſſive applicata, concurrente mutua particularum aquearum cohæſione, hac nimirum ratione, ut initio annulus imus tubi vitrei, ſuperficiem aquæ tangens, attrahat primum annulum prædicti tubuli aquei, quem vi cohæſionis aquæ ſequatur prima lamella cylindruli aquei; deinde margo hujus lamellæ, a proximo an-

 nulo

nulo tubi vitrei attractus, ſecundum annulum tubuli aquei formet, ipſa hac lamella ſimul elevata altius, & ſecundam lamellam cylindruli aquei poſt ſe trahente; & ſic, ſingulorum annulorum tubi vitrei vi attractrice ſucceſſive applicita, totus paulatim tubulus aqueus, unaque, agente vi cohæſionis aquæ, totus cylindrulus aqueus per continua incrementa formetur. Hæc eſt *Weitbrechtiana* ratio, phænomena tuborum capillarium explicandi. Scrupulos autem, quos ea in animis nonnullorum lectorum relinquere poteſt, Autor in altera parte hujus Commentationis removit, quam *Tomus IX* horum *Commentariorum* exhibet. Jam legitur ejusdem Autoris de *Thermometris concordantibus* Diſſertatio, in qua methodus & univerſalis & facilis traditur, talia thermometra parandi, quæ, in diverſis locis in eodem calore poſita, menſuram eandem exhibeant, & quorum variationes haud duntaxat decrementa, vel incrementa, caloris, ſed & illorum quantitatem, indicent. Cardo rei in duobus verſatur. Primum eſt, ut inveniatur gradus certus ac fixus tam frigoris, quam caloris, alterum, ut pars tubi, quam hydrargyrus in thermometro relinquit, dum e fixo illo gradu caloris ad fixum frigoris gradum reducitur, accurate determinetur, ejusque ratio ad integram thermometri capacitatem definiatur. Ad primum quod attinet, conſtat per multa experimenta, aquam, e fluvio hauſtam, ad certum gradum caloris, qui nullo igne augeri poteſt, ebullire, & ad certum gradum frigoris in glaciem converti, qui non augetur, licet frigus aeris multum intendatur. Alterum vero *Weitbrechtus* bene multis experimentis, hic deſcriptis, efficere eſt annifus, ex quibus collegit, partem tubi vitrei, quam hydrargyrus relinquit, ex aqua ebulliente in aquam gelaſcentem translatus, eſſe ad partem thermometri, quam in aqua ebulliente implet, = *150 : 10000*, vel in thermometris majoribus = *1500 : 100000*. His duobus præſtructis, hanc Autor rationem, thermometra concordantia parandi, ſuperſtruit. *Fiat*, inquit, *inſtrumentum vitreum, cujus pars inferior eſt cylindrus amplior, ſuperior tubus anguſtior. Magnitudo inſtrumenti poteſt eſſe qualiscunque. Proportio inter cylindrum & tubum ſer-*

ſervetur talis, qualis ſufficit, ut gradus in ſcala diviſionum ſatis diſtingui poſſint. Quo major ratio eſt capacitatis cylindri ad capacitatem tubi, eo majores fiunt gradus. Optima eſt, ſi diameter cylindri eſt 3, 4, vel 5, linearum, longitudo 2, vel 3, pollicum, diameter tubi $\frac{1}{5}$, *vel* $\frac{1}{10}$, *lineæ, longitudo 10, vel 12, pollicum: id quod ſolo intuitu facile dijudicare diſces, ubi primum brevi exercitio habitum tibi acquiſiveris. Tale inſtrumentum repleatur Mercurio puro, quousque placuerit; quo facto, immitte inſtrumentum in aquam bullientem, ut Mercurius adſcendat, vel, ſi ſuperabundat, illum expelle. Terminum ſummum, ad quem Mercurius quieſcit, obſerva, itemque & terminum infimum, quando inſtrumentum in aquam gelaſcentem tranſtuliſti. Longitudinem intervalli intra hos duos terminos divide in 150 partes æquales. Adſcribendorum numerorum principium eſto terminus ſummus, diviſionem denique continua infra terminum infimum, quousque tubi longitudo id conceſſerit. Quia obſervatum eſt hactenus Petropoli, Mercurium in ſummo aeris frigore parum deſcendiſſe ultra gradum 200*mum*: igitur pro captandis variationibus aeris ſufficit, ſi repletio ita fiat, ut Mercurius in frigore aquæ gelaſcentis circa tertiam partem longitudinis tubi hæreat. Hunc in finem ſi depreſſior erit, aut Mercurii maſſa debet augeri, ſi longitudo tubi id permittit, aut capacitas cylindri minui debet: ſi altior, portionem de Mercurio demere oportet. Quodſi vero thermometrum pro inveniendis multo vehementioribus frigoribus inſerviat; opus eſt, ut terminus frigoris aquæ in mediam circiter longitudinem tubi incidat. Atque hoc modo Thermometrum confectum erat, &, ſi plura ſecundum eandem methodum adornaveris, omnia inter ſe concordabunt in calore eodem, in diverſo autem magnitudinem differentiæ reſpectu voluminis Mercurii indicabunt. Ultima* in hac *Claſſe phyſica* Diſſertatio eſt ejusdem Autoris *Caput III* Cogitationum phyſiologicarum de *circulatione ſanguinis*, in qua hoc agit, ut in naturam quæſtionis de quantitate motus ſanguinis inquirens, normam certam & cautiones quasdam detegat, quæ illis obſervandæ ſint, qui olim, cum major datorum copia habebitur, ad plenariam

hujus

hujus difficilis Problematis ſolutionem pervenire voluerint.

In *Claſſe hiſtorica* tres exſtant *T. S. Bayeri* Diatribæ, quarum 1) eſt *de Numo Muſei Imperatorii*, quem primus e gaza Regis Francorum edidit *Spanhemius* ad *Juliani* Cæſares *pag. 491*, & de quo controverſia fuit inter *Jo. Vailliantium*, & *Jo. Harduinum*, utrum ille numus Emiſenus eſſet, an Amidenus. Quam controverſiam *Bayerus* ita decidit, ut *Harduini* priorem ſententiam (nam poſtea *Vailliantii* ſententiam eſt amplexus) confirmet, &, eum numum ad urbem Amidam Meſopotamiæ referendum eſſe, docte & copioſe oſtendat. Reliquæ duæ Diſſertationes *de duobus diadematibus in Muſeo Imperatorio*, & *de Originibus Ruſſicis*, inſcriptæ ſunt. Sub finem poſtremæ harum trium Diſſertationum Lectores monentur, *Bayerum* diem ſuum obiiſſe, antequam has Diſſertationes perficere potuiſſet.

Coronidem huic *Tomo* imponunt *Obſervationes aſtronomicæ & meteorologicæ*, auroræ borealis anni 1739, eclipſium Solis ac Lunæ anni 1740, nec non frigoris, ejusdem anni initio ſævientis, a Viro illuſtri, *Jo Poleno*, Patavii habitæ.

DELLE MEMORIE SACRE E PROFANE DELL' ANfiteatro Flavio di Roma, &c.

id eſt,

DE MONUMENTO SACRO ET PROFANO AMphitheatri Flavii Romæ, dicti vulgo Coloſſei, Diſſertatio Canonici JOANNIS MARANGONI, Vicentini.

Romæ, ex typographeo Nicolai & Marci Pagliarinorum, 1746, 4.

Plag. 13.

In ipſa adverſa inſcriptionis pagina duo ſubjiciuntur oculis numi, unus *Titi*, alter *Domitiani*, illius Conſulis VIII, hujus VII Conſulis, amphitheatri figuram referentes. Exſtant par-

Digitized by Google

partes ejus in urbe Roma,quantas quidem Gothorum barbaries,
Langobardorum feritas,& temporis longinqui injuria,reſervare
poſteris voluere. Romani reliquias amphitheatri,quod conſtan-
tia primorum Chriſtianorum ſæpius illuſtravit, appellant Co-
loſſeum. Architecturam, formam, proportionem partium, & Pag. 2.
menſuram, hujus Coloſſei, æri inciſam, dederunt *Bernhardus
Gammucci*, architectus, *Libris IV delle Antichità di Roma*, Ve-
netiis,1565, 4, *Vincentius Scamozzi*, architectus Vicentinus, *Li-
bro I* operis, eodem titulo editi Venetiis A. 1580, fol. nec non
Sebaſtianus Serlius, æque architectus, in libro *d' Architettura*,
evulgato Venetiis A. 1566. His adde *Juſtum Lipſium de Amphi-
theatro*, Antwerpiæ, 1569, 4, nec non Ill. *Scipionem Maffæum
de Amphitheatro Veronenſi Libro I*, quo diſſerit de Amphitheatris
generatim. Liber hic publicatus fuit Veronæ A. 1728, 12. Nec 3.
prætereunda nobis eſt eruditiſſima *Laurentii Guazzeſi*, Are-
tini, ſodalis Academiæ Cortonenſis, *de Amphitheatris Tuſca-
canis* Diſſertatio, legenda in *Volumine II* operis, inſcripti:
*Saggi di Diſſertazioni Accademiche lette nell' Accademia di
Cortona*, edito Romæ A. 1738, 4, *pag. 79*. Idem copioſius
multa illuſtravit in Supplemento *alla Diſſertazione degli An-
fiteatri Toſcani*, evulgato *Tomo XX pag. 427* Collectionis,
Raccolta di Opuſcoli ſcientifici e filologici, publicatæ Venetiis
A. 1739, 8. Exſtat Canonici baſilicæ Neapolitanæ, *Alexii
Mazzochii, in mutilum Campani Amphitheatri titulum* liber,
Neapoli in lucem emiſſus A. 1727, 4. Uterque de Amphi-
theatro *Titi* nonnihil diſſeruit. Ex profeſſo autem hoc de-
lineatum & deſcriptum dedit celebris architectus, *Caro-
lus Fontana*, in libro, qui Hagæ Comitum A. 1725 prodiit,
inſcripto ita: *L'Anfiteatro Flavio deſcritto, e delineato.* Tot
viri egregii in hoc ſaxo volvendo jam ſudarunt. Noſſe opor-
tet ante omnia, *Neronem* in colle Palatino Romæ ſtatuiſſe *do-
mum auream*, quæ magnam occupat Eſquilini partem. In valle
proxima erat ſtagnum ampliſſimum, in cujus medio idem eri-
gi juſſerat ſtatuam, ad 160 pedes fere eductam, dictam Co-
loſſum. Locum deſcripſit P. *Eſchinardi de Agro Rom. pag.
150*. Romani circis, theatris, & amphitheatris, ſe oblectarunt
exſtruendis. *Julius Cæſar* ædificavit primus amphitheatrum.

Erat id aptum venationi theatrum, quod, quia omni ex parte habebat ſedes, ſcenaque carebat, amphitheatri obtinuit cognomen, teſte *Dione Lib. XLIII.* Fuit illud in Campo Martio ſitum. Secundum condidit æque in Campo Martio *Statilius Taurus* ævo *Auguſti.* Tertium fuit *Caſtrenſe* in Esquilii parte extrema, teſtibus *Aurelio Victore* & *Dione Lib. XLVII.* Pars ejus inſerta eſt muro Romæ prope hortum monaſterii *S. Crucis in Hieruſalem.* Duo priora incendio communi, imperante *Nerone*, perierunt. Quartum eſt *Titi*, quod *Arena* vulgo dictum. *Auguſtus* conſilium ejus condendi ceperat. Portis duabus in amphiteatrum illud fuit itum, & inde exitum. In fundum pavimenti prodiere canales ſubterranei ex Monte Cœlio, ferentes multum aquæ *Claudiæ* & thermarum *Titi*, ſub Esquilio ſitarum. Ordinem ſedendi conſtituerat *Auguſtus*, teſte *Suetonio* in *Octav. Cap.* 44. Idem ſedendi ordo elucet ex nobiliſſimo monumento, ad Romam effoſſo, quod *Philippus de Turre*, Epiſcopus Adriæ, in *Veteribus Monumentis veteris Antii* illuſtravit. Inſcriptionem denuo dedit Noſter. En eam: *Loca adſignata in amphitheatro L. Æl. Plautio. Lamia. Q. Patumeio. Frontone. Coſ. acceptum. ab. Laberio. maximo. procuratore. præf. annonæ. L. Venmulejo. Afroniano. Mag. Curatore. Thyrſo.* L .... *Fratribus. Arvalibus.* Meniano I. *Cun.* XII. *Gradib. marm.* VIII. *gradu* I. p. V. *gradu.* III. *ped.* V. S. F. *ped.* XXXXII. *S. gradu* I. *uno.* p. XXIIS. *et. Meniano. ſummo.* II. *Cun.* VI. *gradib. marm.* IV. *gradu.* I. *uno.* p. XXII S. *et. Meniano. ſummo. in. ligneis. tab.* LIII. *gradib.* XI. *gradu.* I. *ped.* V — S. *gradu.* XI. *ped.* V. S Ↄ. F. *ped.* LXIII. S. *ſumma. ped.* CXXVIIII S. Porticus duæ, ſuperbientes faſtu, amphitheatrum cinxere. Dimenſiones partium ex Autore patent. Extra Coloſſeum prope Arcum *Conſtantini* reſtat pars ſtructuræ acuminatæ, quam vocant *metam*, unde olim ejiciebatur aqua in marmoream pelvim rotundam. *Titus*, ut magnificum efficeret ædificium ſuum, ex veſtibulo palatii *Neronis* tranſtulit Coloſſum *Neronis*, & collocavit in via ſacra verſus Amphitheatrum, capitique ex Coloſſo demto ſubſtituit faſtigium, ſolem referens ex radiorum, ſingulorum 22½ pedes longorum. Ex hoc Co-

Marginal notes: Pag. 6. (beside "men, teſte Dione…"); 9. (beside "dedit Noſter."); 12. (beside "Dimenſiones partium…")

Coloſſo putant dictum fuiſſe amphitheatrum ipſum *Coloſ-*
ſeum, quod nominis adhibuit *Anaſtaſius* in *Vita Stephani*, ac
Beda in *Collectaneis*. *Scipio Maffæus* è contrario cognomen
id deducit ex forma ampliſſima & mole vaſta. Laborem ei
moli exſtruendæ impenderunt 12000 Ebræi conducti, man-
cipia *Titi*. Summa impenſarum 12 millionum ſcutati Ro-
mani ſtetit opus. *Caſſiodori* hoc eſt *Variar. V, 45: Hoc*
Titi potentia principalis, divitiarum profuſo flumine, excogi-
tavit ædificium fieri. Pater *Veſpaſianus* id inchoaverat; *Ti-*
tus filius perfecit ac dedicavit. Hæſit inde ei nomen *Fla-*
vium. Dedicationem ſignificant numi varii Romani, in qui-
bus poſtica figuram amphitheatri repræſentat. Id docent *Ange-*
lonius, Scipio Maffæus, Mezzabarba, Panvinius. Duos in fronte
hujus Operis æri inciſos denuo dedit Autor. Sunt etiam
numi, id referentes, in quibus *Domitianus* legitur, qui anno
dedicationis 80, aut 82, C. N. jam renuntiatus fuerat Cæſar,
anno 8 Conſulatus *Titi*, & 7 *Domitiani*. Inſcriptiones duæ Pag. 14.
huc faciunt, una apud *Gruterum Tom. I pag. 176*, altera in
monumento, ſupra arcum triumphalem *Titi* Judaicum col-
locato per ſenatum, effoſſo intra Circum Romæ maximum,
paſſim tamen corrupto. Exhibuit hoc *Bartholomæus Marliani*
in *Topografia di Roma Cap. 48*, & emendatius *Gruterus pag.*
214 n. 6, atque ex eo Noſter *pag. 15*. *Rabirum*, Coloſſei archi-
tectum, *Martialis* laudavit *Lib. VII Epigr. 48.* Fuiſſe eum 17.
Chriſtianæ doctrinæ addictum, & juſſu *Domitiani* martyrem,
Cel. *Marengonius* ex inſcriptione, A. 1634, 25 Oct. ſub alta-
ri Confeſſionis templi S. *Martinæ* effoſſa, demonſtrare con-
tendit. En illam: *Sic premia ſervas, Veſpaſiane dire. pre-* 18.
miatus es morte, Gaudenti. letare civitas ubi glorie tue autori.
promiſit iſte, dat Kriſtus omnia tibi, qui alium paravit thea-
trum in celo. Interpunctionem & minuſculas literas addi-
dimus, orthographia ſervata. Putant, theatrum cæleſte eſſe
alluſionis materiem ad amphitheatrum *Flavium*. Ni *Gauden-*
tii memoria inibi recoleretur, nec ſcriptura eſſet barbara, Se-
culoque ſexto inferior, faciliores eſſemus omnino ad ſubſcri-
bendum illi ſententiæ. Ante amphitheatrum ſpectabile fuit
templum Solis, ſi fides eſt Anonymo Seculi XIII. Non multum

 inde

Digitized by Google

inde abeſt ſpatii, ubi nunc viſitur templum S. *Pantaleonis* ad
Montes. Ibi olim ſtetit templum Telluri ſacrum. Senatus
ibi coiit, ac cauſas publicas, religionis quoque, tractavit, Mar-
tyrum inhiavit quæſtionibus, quos adigere ſæpius tentavit ad
ſeſe coram ſimulacro Jovis purgandos, ſi, Chriſtianos ſe eſſe,
negarent. Ipſis, qui renuntiare Chriſto nolebant, caput ibi
amputatum in *lapide ſcelerato.* Haud multum inde aberat
templum Pacis, cui nunc nomen S. *Mariæ in Macello Marty-*
rum. Interfici juſſit Romæ *Domitianus* viros illuſtres, qui in
mores Judæorum tranſierunt, teſte *Dione Lib. LXVII,* anno
94. Θηριομαχίαν *Paulinam, 1 Cor. XV, 32,* memoratam, me-
taphorice poſt *Baronium* exponit Autor. *Ignatium Traja-*
Pag. 20. *nus* leonibus objici juſſit in Coloſſeo. Chriſtiani ante eum,
ut ex Actis Martyrii *Ignatiani* pateſcit, jam idem guſtarant fa-
tum. Promit Autor ſeriem Chriſtianorum, quos cum beſtiis
in arena *Flavii* committere ſtuduerunt Imperatores. In ho-
rum numero deputat, præter *Ignatium,* A. 107 enectum, *Eu-*
ſtachium, Theopiſtam, hujus uxorem, *Agapium* ac *Theopiſtum,*
utriusque filios, A. 120 juſſu *Hadriani* beſtiis in arena obje-
ctatos. Martyrologium Romanum eorum meminit ad 20
Sept. Acta Martyrii edidit *Surius Tomo V,* quæ *Ruinartus*
inter genuina haud retulit. S. *Martina,* nobiliſſima virgo
Romana, A. 228 juſſu *Ulpiani,* præfecti Romæ, eandem
ſubiit calamitatem, teſtibus *Boſio, Marſilio Honorato,* Martyro-
logio Romano, & *Uſuardo* ad 1 Jan. Ad 12 Jan. refertur
22. memoria S. *Tatianæ,* virginis Martyrisque Romanæ, ſub *Ale-*
xandro Severo idem paſſæ. S. *Priſca,* nobiliſſima virgo Ro-
mana, A. 271, imperante *Claudio II,* in arena beſtiis fuit ob-
jecta, & illæſa manſit. Nihilo minus ei paulo poſt caput cer-
vicibus abſciſſum. Memoriam ejus ſervant Martyrologia ad
18 Jan. *Romæ* A. 2260 *juſſit primo Claudius, pro Chriſti no-*
mine damnatos, extra portam Salariam arenam fodere, dein-
de in amphitheatro ſagittis militum interfici. Repetimus ver-
ba Martyrologii Romani ad 1 Mart. Prætervehimur memo-
riam *Symphronii, Olympii, Theoduli* ac *Exuperii,* Sanctorum
Abdonis & Sennes, regulorum Perſidis, e quibus *Decius* trium-
phavit, Romamque perduxit captivos, Chriſto addictos. Omit-

rimus

timus *Julium*, Senatorem Romanum, ætate *Commodi* excruciatum. Tranſimus *Alexandrum*, *Marinum*, *Potitomum Sardum*, *Eleutherium*, Illyrici Epiſcopum, *Vitum*, ac *Modeſtum*, & *Creſcentiam*, *Dariam*, *Chryſanti* ſponſam, *Almachium*, & *Telemachum*, qui ſanguine ſuo amphitheatrum *Titi* imbuerunt ad ſatiandos Romanorum oculos cruentos, ſpectaculis ferarum & gladiatorum intentos. Extra hæc ſpectacula, eorumque dies, nemo Chriſtianorum in arenam ductus fuit, alio potius ſupplicio mulctandus. *Tertullianus in Apol. Cap. 12: Cervices ponimus, beſtiis objicimur.* Idem *Cap. 42: Tiberis ſi adſcendit ad mœnia; ſi Nilus non adſcendit in arva; ſi cœlum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad leonem conclamant.* Conferri hic dignæ ſunt Diſſertationes duæ: una *J. L. de Mosheim*, qua *Paulus a leone liberatus* ad *2 Tim. IV*, 17, exhibetur; altera D. *Jo. Georgii Walchii de Beſtiariis inter veteres Chriſtianos.* Ediſſeruit præterea nonnihil B. *Heineccius* in *Comment. ad Legem Jul. & Pap. Lib. II Cap. 1, 2*, ac in *Syntagm. Antiquit. Rom. pag. 207*. Paſſim per orbem Romanum exſtiterunt amphitheatra, in quibus virtus Chriſtianorum fuit ſpectata, & gloriæ adnota ſempiternæ. Haud vacat colligere exempla, vel ea repetere, quæ Cel. *Marengonius* lance ſatura obtulit lectori. Cæſareæ in Palæſtina *Herodes* ſumtuoſum exſtruxit amphitheatrum, in quo Chriſtiani, ad beſtias damnati, ſubinde certamen ultimum perfecerunt. *Euſebius H. E. VIII, 13, 16*, hujus rei teſtis eſt luculentus. Sæpenumero beſtiæ & immaniſſimi leones ad conſpectum Chriſtianorum in arena ſtupuerunt, ac ſpectatoribus ipſis fuere mitiores. Exemplum diſſimile memoriæ prodidit *Seneca de Benefic. II, 9.* Calculum D. *Cajetani Ridolfi* interſerit ſuis cogitatis Autor. Ille, Arenam, ſub ovi forma ſpectabilem, contendit, gaviſam fuiſſe diametro una majori, longa palmos architectonicos 450, & diametro altera minori, longa palmos 305. Patuit itaque arena 107795 palmos modo memoratos *requadratos*. Si ſitum arenæ per 16 diviſeris, arenam ſuffeciſſe capiendis 6737 feris beſtiis, omnino intelliges. Numerus ferarum ſemper exſtitit copioſus. *Titus* uno die dedicationis amphitheatri dedit & gla-

Pag. 28.
31.
33.
34.

Digitized by Google

gladiatores & quinque millia omne genus ferarum, *Suetonio* teſte. *Dio Caſſius Lib. LXVI* tradidit, *Titum* dedicaſſe amphitheatrum venationum cauſa. *Domitianus* & *Trajanus* homines feris ibi objecerunt. Ibidem ac in circo *Adrianus* natalem ſuum celebravit. Quid ceteri Imperatores de eis ſtatuerint, ſignificare haud omiſit Autor longe diligentiſſimus.
Pag. 40. Flavio reparando inſumſerunt operam *Antoninus Elagabalus* ac *Alexander Severus*. *Lampridius* & *Ælius Spartianus* ſunt hic conſulendi. Mirum ſane eſt, lenonum vectigal *Severum* ad inſtaurationem theatri, circi, amphitheatri, & ærarii, applicuiſſe. *Conſtantinus Maximus* illud perſtare illæſum voluit, licet eſſet a cœlo tactum, teſte *Codice Theod. Tit. 10 de Paganis l. 1.* Prohibuit *Conſtantinus* ſpectacula gladiatorum, & peræque *Conſtantius* A. 351. *Valentinianus*, *Theo-*
42. *doſius*, & *Arcadius*, interdictum id ſuſtulerunt. *Prudentius* paſſim in arenam gladiatorum & amphitheatralia ſpectacula fuit invectus. Diſplicuerunt hæc *Auguſtino Confeſſ. VI, 8. Arcadius* & *Honorius* theatrales ferarum venationes denuo ſuſtulerunt, teſte *Codice Theod. de Venat. ferar. l. 1.* Præfectus tamen Romæ non potuit, quin ſanguinaria populo Romæ ederet ſpectacula. Viguit mos ad *Theodoricum* usque, Gothorum Regem, teſte *Caſſiodoro Variar. V, 42.* Anno 519 Conſulatum ſuum *Cillica*, gener *Theodorici*, feris ex Africa adductis, ac in munus impenſis, celebravit veteri more. Poſthæc & amphitheatra & venationes ſpectaculis propriæ marcere cœperunt. Rapinis ceſſit Roma. Stetit Coloſſeum integrum Seculo VII, *Beda* teſte *Collectan. Cap. 3.* Ruinæ origo in A. 1084 quærenda, ac in *Roberti Guiſcardi* armato Romam adventu. Tam curate Cel. *Marengonius* ſingula inveſtigat.

DELL' ARIA ET DE' MORBI DALL' ARIA dipendenti, &c.

hoc eſt,

DE AERE, ET MORBIS, AB AERE DEPENDENtibus, Tractatus JOSEPHI MOSCA, Medicinæ & Philoſophiæ Doctoris Neapolitani. Partis alterius, in qua hiſtoria

Digitized by Google

ſtoria & cura horum morborum ſtabilitur, obſervationibus & experientiæ ſuperſtructa, Volumen primum.
Neapoli, 1749, 8.
Plag. 19.

Duabus Diſſertationibus hæc libri hujus pars (nam, quæ prius edita, nondum venerunt in manus noſtras,) dividitur, quarum altera generalia ponit principia, quibus theoria de aeris effectibus in corpora fulcitur, altera ipſos, qui ex aeris actionibus in ſolida ac fluida corporis noſtri conſequuntur, effectus ſiſtit. Aer omnis motus vitalis intra animantium, aliorumque corporum organicorum, ſolidas fluidasque partes, cauſa eſt primaria; ceſſant enim omnes actiones, quamprimum aer abfuerit. Sequitur nempe aer indolem omnium fluidorum ſubtilium atque elaſticorum, quo habeat, illa comprimendi atque penetrandi, efficaciam, ſiquidem omnibus corporibus ſpatio major eſt, atque illa ubique apprehendit, inque illa agit. Eſt autem alius aer ſibi ſoli relictus, puriſſimus, omnis rerum peregrinarum miſcelæ expers, quem *Æthera* vocant, quando alius communis eſt, *aer* vulgo dictus, illum ſubtiliorem, igneum veluti halitum, in ſeſe comprehendens; hic, omnibus corporibus circumfuſus, recipit in ſeſe rerum, ex ſingulis corporibus halantium, ac ſingulam unicuique atmoſphæram formantium, turbines. Hiſce corporum effluviis æther craſſeſcit, qui ſolus motibus vitalibus excitandis par futurus haud eſt. Licet enim ætheri, quem Autor *aerem naturalem* appellat, major, quam eſt in *communi* ac *mixto*, ſit vel penetrandi facilitas, vel mobilitas, vel elaſticitas; caret tamen efficaciore pondere, quod mixtus ille ac vulgaris aer habet excellentiſſimum ſummique valoris ad inchoandos ac continuandos humorum motus, quibus vivimus. Eſt enim aer, qui atmoſphæram omnibus corporibus ipſique globo terraqueo communem efficit, immenſi ſpatii machina, minutis, ſe ipſas moventibus, inque ſe invicem agentibus, machinulis conſtans, atque verum aliquod, quin unicum, automaton, quod ſui motus continuationem ex ſe ipſo accipit, ſeque afficit, atque a ſe viciſſim afficitur. Reſpectu aeris omnia fluida reliqua atque inferiora, *ſecundaria* Autori noſtro dicta, paſſiva ſunt, atque mo-

Digitized by Google

motoris hujus univerſalis vim experiuntur, proque ſuo ſingula modo circumaguntur prout plus, vel minus, reſiſtunt, vel motibus, ab aere ſibi impreſſis, ſua textura atque fabrica obſequuntur. Neque vero tantum motus, ſed etiam cohæſionis atque dependentis inde ſoliditatis, vel impenetrabilitatis, cauſa æther eſt. Uti enim ille ſeſe corporum ſolidorum elementis plus, vel minus, immiſcet, atque illa vel tantum pervadit, vel dividit penitus atque ſejungit; ita quoque corpora ipſa vel ſolida ſunt, eaque vel compacta, vel rara, vel fluida ac fluidiſſima, prouti aer ſeſe illis interimiſcuit, atque quam ſubtiliſſime intergeſſit. Sicut ergo corpus aliquod ſolidum proinde & ponderoſum plus eſt, ita quoque ſe in quiete ſua plus continet, quod eſt *vis inertiæ*, ex qua ſolidorum verſus terram propenſio, ſeu vis centripeta, naſcitur. Exinde quædam erga motorem reſiſtentia oritur plus vel minus ſuperabilis, id eſt, paſſio, adeoque aer, ponderoſioribus ſe ipſo immixtus corporibus, illis motus imprimit, eosque huc illuc agit, veluti ſolidioris materiæ reſiſtentia varia eſt, unde naſcitur oſcillatio, atque reciproca moventis principii motique organi actio. Etiamſi autem corporum animatorum fluida motus ſibi impreſſos facile recipiunt, atque continuant; omnia tamen naturam habent ſolidi, niſi aer illis applicetur continuo; aſt, quod ſumme mobile eſt viventis corporis fluidum, *ſpiritus*, omnium movetur facillime. Aer adeoque veluti organa vitalia, atque, his mediantibus, humores vitales, tali celeritate movet, ex qua calorem conſequi oportet, ut propterea vitæ cauſa dicendus ſit, ita quoque cauſa eſt mortis ac deſtructionis corporum viventium, hinc ad ſanitatis ac morborum rationes omnino refertur, uti vel ſincerus eſt, vel vario modo circa ſuæ puritatis temperiem deficit atque aberrat. Neutiquam tamen par eſt aeris in ſanitatem, vel morbos, imperium. Nam ſanitatis cauſa ſemper eſt aer optimus, ſed peſſimus aer non ubique, nec in omnibus, nec ſemper, nec eosdem morbos producet, ſuntque admirabiles corporum quorundam vires, quibus nocentiſſimæ cuivis aeris facultati reſiſtere valent. Ergo aer non æqua vi in omnia agit corpora, ſed cauſas προηγουμένας, aut prædiſpoſitivas, quæ effectum aeris recipere poſſunt, ſupponit. Quamvis autem omnium morbo-

rum

rum cauſa occaſionalis aer haud ſit, ſed reliquæ procatarcticarum, *ingeſta, res geſtæ, excreta, & quæ ceteroquin ab extra corpori accidunt*, ſanitatem non minus deſtruant, ſpontanea etiam ſit elementorum noſtrorum, mutuo ſeſe deſtruentium, pugna atque rebellio; nullus tamen morbus eſt, quem aer, uti varius atque varius eſt, haud gravet, mutet, vel excretiones ſolvendo morbo debitas impediat, nec morbus facile eſt, quin illum aeris debitum regimen juvet, ejusdemque decurſum facilitet atque promoveat, ut propterea ille omnium cauſarum morbificarum ſit latiſſima. Aer aliquando cauſa morbi fit proxima, quodſi ille nocentibus mixtus effluviis, vel in ſe putridus, humoribus corporum vitalibus ſeſe immiſcet. Aliquando, etiamſi puriſſimus eſt, ſolo tamen contactu nocet. Veneni indolem aer aſſequitur, quodſi, deſtructivis, &, velut Autori placet, cultellatis ac ſecantibus, mixtus particulis, corpora pervadit atque corrumpit, veluti fit in peſtilentia. Etiamſi enim fuerint, qui ſua virium præſtantia atque aliquo tam corporis, quam animi, robore iſtum aeris impetum eludant, ſalvique maneant, ut aer contagii cauſa eſſe haud videatur; ab iſta tamen quorundam contra aeris inſultus reſiſtentia ad falſitatem opinionis, aerem peſtis cauſam propterea eſſe, concludi, neutiquam fas eſt, ſed illud tantum conſequitur, relativam ad ſingulos aeris eſſe contagionem. Solo contactu aer morbos inducit, ſi calore vitales ſuccos excoquit, fluidum diſſlat, reliqua inſpiſſat, ſales acuit, ut propterea epidemicos oriri oporteat morbos, febres ardentes, vertigines, languores, hæmorrhagias; ſi frigore motus ſanguinis vitalis opprimit, vel appulſu ſuo vulneribus nocet, aliove modo excretiones, morbum ſoluturas, ſtrangulat, plus tamen ad aeris intemperiem referuntur, atque vel ab illa, tanquam cauſa ſua, oriuntur, vel ab eadem impedimentum convaleſcendi atque ſymptomatum frequentiam accipiunt, *acuti* atque *peracuti*, utpote qui tranſpiratione ac ſudoribus tranſiguntur, hinc minimas quasvis aeris mutationes ægre ferunt. Chronici, ſeu diuturni, morbi, ſive ab origine tales fuerint, ſive ex acuto morbo degeneraverint, cum unus atque alter ad labem alicujus viſceris referatur, aerem quidem uti cauſam haud reſpiciunt, non

Hh hh tamen

Digitized by Google

tamen tales ſunt, qui impune cujusvis aëris allapſum ferre poſſint, qui iſtis corripiuntur, multumque interſit, ſub quo cœlo, qua anni tempeſtate, aliquis hoc, vel illo, morbo decumbat. De morbis tamen, aerem pro cauſa proxima agnoſcentibus, agere Autor ſecum conſtituit, quorum hiſtoria *Diſſertatione ſecunda* traditur; quod quando agendum in ſe ſuſcepit, ſe alias cauſas non excludere, dum primariam in aere quærit, ſtudioſe monet. Dicendi initium a morbis capitis fit, & primam paginam facit ophthalmia, rubor ſcilicet, dolor, ſæpe tumor, tunicæ illius, quæ palpebris atque albugineæ oculi communis eſt, hinc conjunctiva dicitur. Hujus morbi, quando epidemicus multisque communis eſt, cauſa proxima aer eſſe dicitur, humidus atque frigidus, aliquando, quod per Italiam forte frequens eſt, calidus. Omnem enim ophthalmiam aeri tribuere nollet; talis eſt, ſymptomatica quævis, quæ aliquem præcedentem morbum alium pro cauſa ſua agnoſcit, nec ſanguineæ iſtæ ophthalmiæ, quæ corporibus ſanguine vehementer diſtentis eveniunt, aerem ſui originem habent, cum nulli tempeſtati illa addicta ſit, ſed ſolæ epidemicæ atque catarrhales cum illachrymatione, ſeri per nares ſtillicidio, ſæpe cum angina, aliisque affectionibus, ſeri acriori tribuendis, ad aerem referuntur, hinc, non ſua tantum indole, ſed & medendi methodo, differunt. Sanguinea enim ophthalmia, utpote quæ impeditum ſanguinis per minima albugineæ vaſa progreſſum ſupponit, ſanguinem ex vena duci, vel cutem prope cervicem ſcarificari, imperat. Diluendus potu tenui ſanguis eſt, errantque illi, qui adſtringentibus, vel dolorem ſedantibus, levamen afferre cupiunt. Sed humida illa atque catarrhoſa, quam lippitudinem appellant, alia curandi ratione abſolvitur. Derivanda humorum eſt fluxio, repetitis hunc in finem alvi purgationibus. Nutriendum corpus optimi ſucci alimentis eſt, ſemotis illis, quæ acredinem humoribus inducere valent. Conſultum eſt, ſetaceum ſub cute cervicis trajicere, ſi diuturnus morbus eſt, aut fonticulos excitare in brachio. Aerem mutare, opportunum cenſetur, quo ille, purior, oculos blando ſuo allapſu demulceat; peregrinentur

Digitized by Google

nentur ægroti; in ſummis degant montibus. Conſulit Autor ſuis, prope ad Veſuvium, aut in agro Puteolano, domicilium figere. Deinde glutinantibus utendum eſt, ac leviter adſtringentibus, laudaturque hunc in finem gummi tragacanthæ, draconis, bolus Armena, tutia, lapis calaminaris ſub collyriorum formula. Alter capitis morbus, quem aeri Autor tribuit, *gravedo* eſt, a gravativo capitis ad frontem dolore dicta, quam congeſtiones seroſæ aliæ, circa oculos, aliaque ſenſoria, plerumque comitantur. Aer enim, ſi humidus calenti corpori incaute admiſſus eſt, ſive pondere ſuo tranſpirationem inſenſibilem cohibens, ſive humoribus vitalibus ſeſe immiſcens, progreſſum ſanguinis per minima vaſa cohibet, atque illas partes plus offendit, quæ illius allapſum paſſæ ſunt propius. Etiamſi autem chronicus ille morbus haud eſt, atque vel oborto narium ſeroſo ſtillicidio ſolvitur, vel halitu inſenſibili disjicitur; quodſi tamen diuturnum malum fuerit, ſique illi vertigo intercurrit, ut apoplexiæ metus ſubſit, conſultum eſt ad mentem Autoris, cauteriis excitare fonticulos. De *morbo attonito*, aut Stupore, ægritudine non adeo frequente, ſingularem condit hiſtoriam. Caput illis leve eſt, ut ſibi abeſſe illud putent, ſenſus hebeſcunt, triſtes ſunt, ſoli eſſe amant, memoria illis vacillat, intercurrunt breves lipothymiæ. Senibus frequens morbus eſt. Neutiquam tamen aer ſolus eſt, qui ſenſuum facultates ita opprimere poſſit, ſed varia viſcerum imi ventris vitia, maxime eorum, quæ ſub hypochondriis jacent, induratio, efficiunt, ut, data minima aeris in humidum mutatione, humores circa cerebri corticem ſubſiſtant, magno cum periculo, ne apoplecticus æger occumbat. Conſultum eſt, in aere ſereno vivere, balneis uti, corpus exercere motibus, animum habere ſtudiis & ſollicitudine liberum. Laudatur *Celſi* conſilium *Lib. I Cap. 4: Capiti nihil æque prodeſt aqua frigida. Itaque is, cui hoc infirmum eſt, per æſtatem id bene largo canali quotidie debet aliquandiu ſubjicere.* Vertiginem aeris inclementiæ Autor quoque tribuit ad mentem *Hippocratis*, qui, ventos auſtrales tenebricoſitatem ſecum attuliſſe, obſervavit, per Græciam. Fatetur tamen eruditus Autor, altius ſedere vertiginis cauſas, ſi chronica, vel periodica, eſt, quam ut cauſæ ali-

 cui

Digitized by Google

cui externæ ſoli tribui debeat. Tranſitorias tamen ac breves vertigines aeris vortex circa oculos motus excitabit rheda, vel nave vectis; hanc quies ſola curat. Sed eam, quam ventris plenitudo movet, evacuantium uſus mitigat; quam ſanguinis copia movet, venæ ſectio tollit; flatuoſam clyſter curabit, &, veluti uniuscujusque cauſa diſcrepat, alia etiam atque alia medela poſtulabitur. Aeris inclementia illis, quibus ſenſibile genus nervoſum conceſſum fuit, tinnitum quoque aurium & obauditionem, ſeu gravem auditum, producit, ſi catarrhus eſt, qui organa auditus opprimit, quod adeo novum non eſt, cum haud pauci ſint, qui pro aeris mutationibus clangores auris, tintinnabulorum ſonitus, aut fidium cantus, & id genus alia, percipiunt; poteſtque turbo aeris frigidi, incaute admiſſus, uno impetu auditus vigorem penitus dejicere, aut doloribus auris, ejusdemque fluxionibus, occaſionem præbere. Verum & aliæ cauſæ, ſi ab aere receſſeris, auditum lædunt: cerumen plenius, tumor meatus utriusque auditorii, cum utero, aut hypochondriis conſenſio, debilitas ex morbo, materiæ febrilis decubitus, atque ſenectus. Uniuscujusque obauditionis cura eo reſpicit, ut vel impedimentum tollatur, quod aerem ſonantem ad aurem accedere haud ſinit, vel robur nervorum obfirmetur, vel languor virium inſtauretur, pro quarum cauſarum vario reſpectu methodus quoque medendi variat. Arabes, cum tenax malum eſſet, ferrum candens proceſſui maſtoideo admovebant. Conſulit Autor, tubas prope ad aurem inflare, aliove modo magnos excitare ſtrepitus, maſticare acria, ſalivam in os concitare; ſi aer turbidus mali cauſa eſt, goſſypio tenuive lana aures farcire jubet. Tranſit ad coryzam, quam καταςαγμὸν, narium ſtillicidium, *Celſus* appellavit. Hæc acuta quandoque eſt atque febrilis, vel febrium comes, & quandoque maligna; ſæpe brevis, aliquando critica & ſalutaris, multisque optabilis viſa. Hac, ubi turbidum cœlum humidusque aer eſt, nihil ſolet eſſe frequentius. Hanc, uti multos alios morbos, ſuo ſpontaneo decurſui addictos, abſtinentia curat & quies, cum intermixto diluentium uſu, quibus ſudatiunculæ aliæque excretiones feroſæ procurari poſſint. Tuberculum, ſeu abſceſſus aurium, inflam-

flammato uno alterove folliculo muciparo, quorum plures meatum auditorium, ejusque tunicam, implent, naſcitur, acutus ſane morbus, quem acria comitantur ſymptomata, cephalalgia, delirium, febris, laſſitudo, illaque graviora ſunt, uti abſceſſus auri internæ propior eſt. Raro diſcutitur, vel deſiccatur, plerumque rumpitur, ſuumque pus vel meatu externo, vel interno, dejicit. Si ſummus dolor eſt, prodeſt ſecare venam. Deinde vapores ex herbis emollientibus, lacti incoctis ad aurem mittantur. Conducit oleum amygdalarum amararum, atque omne id, quod emolliendi vim obtinet. Morbis capitis, aeris intemperiem tanquam cauſam proximam agnoſcentibus, annumerat Autor hæmorrhagiam narium. Etiamſi enim illa ex internis quoque cauſis provenit, plethora, ſanguinis motu quovis aucto, aut ſolenni aliqua ejus evacuatione oppreſſa; fit tamen, ut aer ambiens illis, quibus nares ſanguini patent, fluxum moveat cruentum, atque haud raro acriori coryzæ, quando rodens humor tunicam narium internam vulnerat, hæmorrhagia narium intercurrit, nunc ſtillatitia, nunc effuſior, ac nunquam ſine febre, quam mitigat, ut propterea cauſa nulla adſit, propter quam illam conſtipari oporteat. A capitis morbis ad faucium procedit ægritudines, atque anginæ illius epidemicæ catarrhalis mentionem injicit, quæ haud dubitanter ab humidi frigidique aeris conſtitutione provenit, veluti exempla annua id ſatis ſuperque demonſtrant. Neque vero tantum idcirco fauces dolent ac tument, quod aer os ſubierit frigidior, quamvis & illud hac ratione accidere ſoleat ac poſſit, ſed aeris impetu totus corporis adſtringitur habitus, ut humores ad laxiores faucium glandulas redundare oporteat. Alia hujus catarrhalis, quam illius inflammatoriæ & ſanguineæ, curandæ eſt ratio. Inflammatoria venæſectionem poſtulat, hinc pediluvia tepida, gargariſmata, quæ æſtum reſtinguant ac diſcutiant, foris emplaſtra veſicatoria ad nucham, intus clyſmata, ſi deglutiri commode medicina nequit. Sed catarrhali ac ſeroſæ dictæ ſufficiunt, quæ laxam fibram ſtringunt, acre diluunt, ſudores provocant. Denique morbos thoracis exponit, quos epidemice graſſantes, vel ſparſim etiam apparentes, ab appulſu aeris hu-

Digitized by Google

midi frigidive exoriri, docet. Pleuritis, tam illa ſanguinea atque inflammatoria, quam ſeroſa ac ſpuria, vix unquam eveniunt aliter, quam, ubi vel frigus vaſa ſtrinxerit, vel calor diſlaverit humidum, ſi pleuritidem, quæ variorum morborum ſymptoma eſſe ſolet, excipias. Diſpar tamen utriusque curandi eſt methodus. Inflammatoria, niſi repetitis venæſectionibus, ſanari nequit, ſed catarrhalis, niſi plenus homo eſt, iſtas reſpuit. Peripnevmonia ſimiliter alia eſt ſanguinea ac inflammatoria, alia ſeroſa ac catarrhalis, neque aliter de his, quam de pleuritide, ſentiendum eſt, aliam ſcilicet ſpuriæ, quam inflammatoriæ, curandæ eſſe methodum, atque illam ſanguineam, maxime, ſi ſicca eſt omnique ſputo vacua, indigere venæſectione larga. Reliqua pharmaco utrique pleuritidi conveniunt; ſunt enim diluentia, atque, ſi dolor urget, anodyna, hinc, diapnoica. Tuſſis, raucedo, aeris turbidi indivulſi ſunt comites, nec quidquam in medendi methodo novi habent, quia fluxionum rationes ſequuntur in omnibus, voluntque dilui, tenuique ſudore diſcuti, habito cumprimis aeris regimine, quem eſſe oportet, blandum, modeſte calidum, ſubinde renovatum. Culta eruditi Autoris ubique eſt ſcriptio, meditatio profunda, medicamentorum parvus, aſt commodus, uſus, & medendi ratio exquiſitiſſima.

PRO EURIPIDE, ET NOVO EJUS ITALICO INterprete, Diſſertatio P. CARMELI, Sacr. Theol. Doctoris, & in Gymnaſio Patavino Publ. Profeſſoris.

Patavii, 1750, 8 maj.
Plag. 6½.

Diu dubitavimus, locumne in *Actis* noſtris libello faceremus, quem nulla pæne dos famæ commendat. Pertinet ad nugaces chartas, & atræ loliginis ſucco perfuſas, qualibus legendis, nedum recenſendis, operam non ſolemus impendere. Quia tamen exiſtimatio noſtra in diſcrimen venit, & docti alicujus Viri judicium, de *Carmelii Euripide* Græco Italico in his *Actis Anno 1748* proditum, indignis modis vexatum, & conviciis exagitatum fuit, nauta, quam homine erudito, dignioribus; deeſſe

eſſe nobis & Collegæ noſtro non potuimus, cum fuiſſent alias procul dubio aliqui exiſtimaturi, nos non contemtu illatam injuriam & ineptum hominem ulciſci, ſed tacite agnitum errorem diſſimulare. Aut non novit *Carmelius* inſtitutionem illorum, qui nobiſcum eodem in genere verſantur, id eſt, de novis libris, ad omnium oculos non pervenientibus, exponunt, aut iniquus profecto eſt, ſi laboris, cedro certe non digni, ampliſſimam tamen exſpectat flagitatque commendationem, & negantibus graviter ſuccenſet. Noſtrarum vero partium, omnibusque noſtrum ſimilibus eo connitendum, eſſe, ſemper duximus, ut de libris novis modeſtum quidem, ſed & verum, judicium, quale non decipiat hiantes & ignaros, non aduletur paucis quibusdam, ſed ſatisfaciat omnibus, omniumque ætatum examen ſuſtineat, feratur. Quod eo facilius atque ſecurius fit, quo ignotiores nobis, qui peregre vivunt, ſunt Autores librorum, de quibus identidem narrare inſtituimus. *Carmelio* certe ut detractum iremus, non illuſtre in literis nomen ejus, non invidia, non æmulatio, non privatæ nos contentiones impellebant. Neque profecto detractum ivimus homini, non magis inimico, quam amico, & prorſus ignoto, ſed proſpeximus futuro Patavini *Euripidis* emtori, ne neſcius pro theſauro, quod ajunt, carbones ſibi compararet. Diximus autem, neque pœnitet, ſed iterum affeveramus, *Euripide* Patavino, ſi non potuit carere Patavinum Gymnaſium, potuiſſe tamen orbem literatum, illique, qua par erat, excolendo diligentiæ non multum, eruditionis criticæ omnino nihil, ab Italo allatum fuiſſe, manu exaratos probæ notæ Codices eum inſpexiſſe nullos, nullum inde locum depravatum emendaſſe, ſed recoxiſſe, ſæpe cum ipſis vitiis typographicis, *Barneſianam* editionem, notas *Barneſii*, & aliorum, ab illo compilatas, denuo compilaſſe & corraſiſſe cum pulviſculo, in compendium miſiſſe, & Autoribus paſſim non nominatis, ſibi arrogaſſe, trivialia, & ipſis tironibus ultimi ſubſellii nota, cum tædio ſexcenties inculcaſſe, multis in locis æque inepte interpretatum fuiſſe, atque olim factum fuit, in ipſa denique linguæ Græcæ elementa graviter peccaſſe. Vera hæc quidem omnia ſunt, & tam

Digitized by Google

tam certo nobis explorata, ut, quamdiu plagula *Carmeliani Euripidis* ſuperſit, verendum non ſit, ne cauſa cadamus. Uſſit tamen Reverendum Patrem ingenua hæc profeſſio tantopere, ut, in ea refutanda tot chartas ſibi conſumendas eſſe, crederet, quibus aliud profecto nihil effecit, quam ut animi ſui abdita olim vitia, faſtum, quo pædagogus turget, immanem, impudentiam, adverſus recta monentes acerbitatem & odium implacabile, proderet, ſed & pridem a nobis conceptam de ipſo opinionem abunde confirmaret. Invitavit nos ejus libellus, cujus elogium modo recitavimus, ut *Euripidem* Patavinum paulo curatius, quam antea feceramus, inſpiceremus. Unde nobis conſtitit, ſententiam, olim pronuntiatam, multo, quam pro meritis, mitiorem eſſe. *Barneſium* ſibi delegit heroem, *Davus Chremete* ſuo dignus. Sputum ejus lingit. Secundum ab hoc veneratur *Stiblinum. Henr.* vero *Stephanum*, *Joſephum Scaligerum*, & *Guil. Canterum*, viros optime de Græco Tragico meritos, conviciis laceſſit, imperitos appellat, plagii accuſat. Nos ergo cæcos & deſipientes ab ipſo appellari, quid porro indignabimur? Tantis æquiparamur viris, ad quorum nomina literati aſſurgunt, præter *Carmelium*, omnes. Tot laudes, tot corollas, credamus, in nos conjectas fuiſſe, quot ille convicia jactat. Talis homo eſt *Carmelius*, cujus neque laudibus creſcant animi, neque vituperio cadant. At ille tamen pædagogus, qui, declinare & conjugare Græcas voces non doctus, *Euripidem* tamen edere & interpretari auſus eſt, eo modo, ut dignus ſit, quem tirones ſui ferulis de cathedra deturbent: criticæ artis oſor ille æque atque rudis, profeſſus contra inſanarum omnium lectionum patronus, in nos immani faſtu & turgida bile deſæviet? Agedum, objiciamus ipſi ſpeculum, e quo ſuam agnoſcat fœditatem; proferamus ex ejus *Euripide* ſcita inventa, quæ primus ipſe autor & ſuaſor in Grammaticam Græcam intulit. Eſt quidem inglorium, cum tali pari congredi, & hæc arma movere; proderit tamen hæc res eo, ut, ſi qui ſunt ejus ſimiles, minuti animi homines, conſcribillandi notulas, & commaculandi bonos Autores, cupidi, continere ſe deinceps, & modeſtius de ſe, rectiusque de aliis, exiſtimare, diſcant.

Prius

Digitized by Google

Priusquam vero id aggrediamur, in univerſum de Diſſertatione hac, pro *Euripide*, & Italo ejus interprete, conſcripta, dicendum hoc eſt, conſutam eſſe nugaci & difficili garrulitate, commentis trivialibus, & contradicendi, atque male ſana omnia tuendi, pertinacia. Cujus argumenta ſi referre omnia vellemus, abuteremur charta & otio noſtro Lectorumque, & cramben recoqueremus frigidam. Bene vereque obſervata, quale eſt illud de λογιότης *pag.* 57, (qua in re a nobis erratum fuiſſe, candide fatemur,) rara erunt in ſterquilinio grana, & vel ſic tamen e Lexicis, *Stephano*, *Scapula*, *Spondano*, & tali alio apparatu, congeſta. Vehementer quoque miramur, qui potuerit ipſum *Itali* appellatio, quam ipſi tribueramus, offendere, ut pro convicio interpretaretur (vid. *pag.* 15), & velut per ultionem adverſario bellum illud, *o mi Lipſienſis, ornatiſſime Lipſienſis*, objectaret. Cari nobis & in honore ſunt Itali, viri docti & de literis bene meriti; multumque Italiæ, quamvis *Carmelium* dederit, literæ tamen hæ debent. Facile Vir agnoviſſet, niſi animum ejus ira offuſcaſſet, Itali nomen a nobis variandi gratia tantum allatum fuiſſe, ne ſemper cum tædio *Carmelium* citaremus. Quid frequentius eſt, quid culpa magis vacat, quam Autores a patria citari, Anglos, Batavos, Gallos? Nemo autem doctorum hominum, quod ſciamus, ita inſaniit, ut de patria citatus indignaretur, & probrum ſibi crederet ingeri. Adverſarius certe *Carmelii* nomen Lipſienſis, quamvis natalibus noſtras non ſit, tam cupide tamen amplectitur, ut, ſatis & abunde gloriæ ſe conſecutum, credat, ſi Lipſienſibus, a Græcarum literarum ſtudio claris, *Camerariis*, *Oleariis*, *Fabriciis*, aliis multis, accenſeatur. Latinitatem porro adverſarii ſui adunco naſo faſtidit Italus (vid. *pag.* 65 & 102), tanquam ſi aut noſtras, ubi animum induxerit, & otio abundet, caſtigatius diſſerere haud noſſet, aut Itali dictio prorſus emaculata & nive purior eſſet. Dixerat noſtras Italicam non *interpretationem*, ſed *verſionem*. Id grande vitium eſt, & debebamus ab Italo demum diſcere, illam dictionem magis, quam hanc, Latinam eſſe. Poſſemus Collegam autoritate literatorum hujus ætatis hominum, & in ceteris Cel. *Dorvillii*, tueri, qui voce *verſio* pariter uſus eſt. At eſto, ſit vitioſa. Magisne eſt, quam *vetuſtium* Itali, pro *vetuſtorum*?

Digitized by Google

rum? Vid. ad *Euripid. Iphig. Taur. pag. 66; vetavi* pro *vetui Supplic. verſ. 230* & *1152; pendo animi* pro *pendeo? Trojana pulvis, pag. 11* hujus Diſſertationis; *ridere in ſtomacho* pro *ridere præ indignatione, pag. 9; ſtatuere mortem* pro *cædem alicujus decernere, pag. 64; quadantenus, pag. 102; exempla ſub manum ſunt* pro *ad manum, coram,* vel *ſub manibus, pag. 88; laudem aliis arripere* pro *præripere,* vel *eripere, pag. 72. Pag. 60* commendat *Lexicon Latinum, typis Seminarii Patavini accuratiſſime conſcriptum,* pro *excuſum.* Hæccine Latinitas *Tullio,* quam *Apulejo,* dignior? Plauſtra talium converreret quiſquiliarum ex Itali ſcriptis, quæ ſui non parcus laudator paſſim crepat, ſi quis ſe natum ſtercori coacervando putet. Sed age demum, aggrediamur id, quod inſtituimus, hominique, qui Poetas Græcos edere & interpretari poſſe viſus ſibi fuit, & noſtrates ignorantiæ rerum omnium reos agit, perſuadeamus, ut bona fide ſuam in Græcis literis ignorantiam agnoſcat, & ejus linguæ rudimenta ſedulo addiſcat. Intelliget tunc, quod ignorabat, cum *Euripidis Oreſtem* ederet, unde formetur *ξήνασα, verſ. 12,* nempe a *ξαίνειν.* Intelliget, *βούλει, vis, verſ. 94* non eſſe communis dialecti, neque *βούλῃ* extraordinarium, ut ipſe perhibet, ſed e contrario illud Atticum, hoc commune, eſſe. *Verſ. 254* corrupit Poetam, reponendo in textu *ταχὺς* pro *ταχὺ,* quod recte Scholiaſtes per *ταχέως* exponit. Propterea Scholiaſten reprehendit, & aſſeverat, *ταχὺς* ſæpe pro *ταχέως* reperiri. At exemplum non affert. Sed aridæ ſunt hominis notæ, &, ſi quæ allegat teſtimonia probandis Græcis vocibus, aut ſunt ex Hebræo Codice, (nam & hanc quoque jactat literaturam,) aut e *Stephani Theſauro,* aut a *Barneſio,* quem totum recoxit, petita. Patet ergo, hominem proſodiæ pariter atque Grammatices ignarum fuiſſe. *Verſ. 298* exponit *ἴσχαινε* per *λέπτυνε.* Sic quidem Scholiaſtes. Sed, ſi Græce iniet exiſſet *Carmelius,* monuiſſet, Scholiaſten in Codice ſuo *ἴσχναινε* habuiſſe. Id enim eſt *emacia.* Verum *ἴσχαινε* eſt *cohibe. Verſ. 712* format ab *Ἄργος* (urbis nomen eſt) in genitivo *Ἄργου* pro *Ἄργους.* Ignorabat ergo differentiam ſecundæ & tertiæ declinationis. *Verſ. 858 ὦ 'γών,* tanquam ſi ſic *ὁ ἀγών* contraheretur, & non potius *ὡ 'γών,* ſi uſurparetur, ut *ὡ 'πόλλων* pro *ὁ Ἀπόλλων.* Ignorabat ergo

trem

regulas contractionis. *Verſ. 887* conjicit δίχα μύθυς contra metrum.

Hæc ſcita ex ſolo depromta ſunt *Oreſte*. Percurramus reliquas ad *Rheſum* usque Tragœdias. Totidem enim, non plures, adhucdum his in oris vidimus. Ad *Phœniſſ. verſ. 329* declinavit μέλαινα in neutro plurali pro μέλανα. *Verſ. 419* non novit diſcrimen inter ἦ *ſane* & ᾖ *quemadmodum*. *Hippolyti verſ. 47* ſcribit ἀπολλεῖται pro ἀπολεῖται. *Verſ. 88* admiratur nugacem Scholiaſtæ etymologiam ἄναξ ab ἄνω τὴν ἀξίαν ἔχων. Eſt ab ἀνάκω, ἀνάκη, ἀνάγκη, ὁ ἀναγκάζων. *Verſ. 581* reddit cum *Barneſio* γεγωνεῖν *intelligere*. *Verſ. 639* ſcribit χρηστὸν γυναῖκα pro χρηστὴν, tanquam ſi diceret aliquis *bonum mulierem*. *Verſ. 884* novam cudit vocem δυσπαλλαχθεν, de qua nemo dixerit præter ipſum, quid ſibi velit. *Verſ. 923* recoxit vitium typographicum editionis *Barneſianæ* ἀναγκάσαι (pro ἀναγκάσαι), & ter repetiit in notis, aitque, quod prorſus inauditum, ν ephelkyſticum infinitivis addi propter ſequentem vocalem. *Verſ. 925* διὰ τῶν κακῶν ſcribit pro διὰ τὰ κακὰ: reddit enim *propter calamitates*. *Alceſt. verſ. 261* formavit novam vocem πρεώριος, pro ἄωρος, aut ſaltem πρόωρος. Aliam novam cudit ad *verſ. 546* ἀφεστικὸς, incertum pro ἀφέστιος, an pro ἀφεστηκὸς: & quidem in accuſativo plurali format ἀφεστικῦς cum circumflexo. *Verſ. 604* primam ſyllabam in θάρσος corripi poſſe autumat, ratiocinans forte ſic, quia α in θράσος corripitur, ita in θάρσος quoque corripi. *Verſ. 851* ignorabat, ὁδὸν ſubintelligi in dictione εἶμι τὴν κάτω. Ipſe enim vocem οἰκίαν ſupplet. *Verſ. 1021* rejicit optimam *Scaligeri* emendationem, credens, eam metro adverſari. Neſciebat itaque, ας in θρηνῆσας produci. *Andromach. verſ. 122* conjugat συνέζευσαν pro συνέζευξαν. Ad *verſ. 357* ſcribit τῷ βωμῷ καταφεύγοντες pro — προσκαταφεύγοντες *Verſ. 613* ἀφαίρω pro ἀφαιρέω. *Verſ. 931* γαμυσόλει pro ἐγαμοσόλει. *Supplic. verſ. 1041* ἐφρουρεῖται pro ἐφρουρεῖτο. *Verſ. 1191* format Ἀΐδα in nominativo, pro Ἀΐδης. *Iphigen.* in *Aulide verſ. 124* reprehendit *Scaligerum*. Sed debuerat demonſtrare, ἀμπλακεῖν λέκτρα (pro λέκτρων) Græcum eſſe. Compendium ὦ δέσποτ' Ἀγάμεμνον reſolvit ὦ δέσποτε, pro ὦ δέσποτα. Credebat enim, *Euripidis* lectores ad talia

obhæſuros eſſe, quæ tirones ultimi ſubſellii non morantur. Credebat quoque procul dubio, non δεσπότης in nominativo, ſed δέσποτες, dici, ut λόγος, λόγε, ita δέσποτος, δέσποτε. *Verſ. 389* conjugat μαίνης, a μαίνω ſcilicet, pro μαίνῃ, a μαίνομαι. Ubi neceſſitas ipſum coegit aliter aliquid formare, quam in textu coram ſe vidit expreſſum, ibi turpiter ſe dedit. Ridicula ſunt, quæ præceſſerunt, ſed, quod nunc occurret, flagitioſum eſt. Κεκλήμης format *verſ. 465* pro κέκλησαι. Credebat, quia κέκλημαι dicitur, ex eo porro formari κεκλήμης, κεκλήμεν, κεκλήμεθα, κεκλήμητε, κεκλήμασι. Quis in Profeſſore Patavino tantam ſapientiam quæſiviſſet? Hæc talia ſi apud nos quidem ludimagiſter ſcriberet, & typis ederet, pueri ovis putridis vultum ejus contunderent. *Verſ. 615* aliud dat non multo melius, νεανίδαι, pro νεάνιδες. *Verſ. 1598* credidit αἶρε & χώρει (ambo imperativi ſunt) imperfecta eſſe. Idem ipſi accidit *Iphigen. Tauric. verſ. 8*, & *Rheſ. verſ. 131*, ut δόκει, *exiſtima*, pro imperfecto *exiſtimabat*, ἐδόκει, acciperet. Elegans eſt ejus σπυδαὶ ἀλλῆλαι *Iph. Taur. verſ. 579*. Ejusdem Fabulæ *verſ. 609* λῆμα & λῆμμα pro eodem habuit, & *verſ. 1042* νότερος atque νότιος. Vertit enim illud *auſtralis*.

Sufficiant hæc pauca peritiæ in Grammatica Græca *Carmeliana* ſpecimina, quæ, niſi obiter tantummodo delibare maluiſſemus, potuiſſent magno numero augeri. Sed indignam nobis eam operam reputamus, quam inviti & eo tantum fine ſuſcepimus, ut arrogantis hominis naſum deprimeremus, Collegæ noſtro proterve inſultantis. Grammaticalia hæc minuta reputantur, & a profeſſione noſtra ſunt aliena; ludimagiſtro autem, qualis eſt *Carmelius*, ſcitu tam neceſſaria, ut absque dedecore ignorare nequeat. Jactabat hæc arma *Carmelius*, confidebat huic arci, provocabat adverſarium. Suis igitur armis ipſum contundi, ſua in arce debellari, juſtum erat, & invidia, ut ſperamus, carebit.

NOVA LITERARIA.

Celebre eſt Monaſticon Anglicanum, a *Rogero Dodsworth* & *Guilelmo Dugdale* conſcriptum, & Londini A. 1682 in fol. iterum evulgatum, ac *Joannis Marshami* Propylæo inſtructum.

Exſtat

Digitized by Google

Exſtat etiam Monaſticon Hibernicum, Angliee A. 1722, 8. ibidem impreſſum, adeoque ſoli Scotiæ talis liber adhuc deſuit. Hunc laborem ante complures annos Ratisbonæ in ſe ſuſcepit admodum Reverendus P. *Marianus Brokius*, Scoto-Benedictinus, eundemque nuper ad finem perduxit. Nos rem gratam Lectoribus noſtris facturi videmur, ſi conſpectum hujus Monaſtici hic inſeramus. Eſt autem hic:

Inſcribitur liber: Monaſticon Scoticum, ex Codicibus antiquis, membranis, & inſtrumentis, tum domeſticis, tum extraneis, collectum, complectens omnium Ordinum monaſticorum Abbatias, Prioratus, Cellas, Eccleſias, & domos, quæ olim in regno Scotiæ floruerunt, a tempore ſuſceptæ religionis Chriſtianæ, usque ad fatalem Monaſteriorum diſſolutionem, Autore P. *Mariano Brockio*, Scoto-Benedictino, ex Exemto & Conſiſtoriali Monaſterio ad S. *Jacobum* Scotorum Ratisbonæ, S. S. Theologiæ Doctore, & ejusdem ſacræ Facultatis in alma Univerſitate Erfurtenſi Aſſeſſore & Profeſſore Ordinario, nec non prædicti Monaſterii Priore & Seniore. *Cum in hoc Monaſtico Scotico antiquiſſima gentis illius Monaſteria proferamus, quorum hiſtoriam ipſa antiquitas penitus deleverat; neceſſario præmittenda erant quædam Prolegomena, ad tenebroſam antiquitatem dilucidandam, & hodiernos Scotos ab æmulorum livore vindicandos. Hinc totum opus in* tres Tomos *diſpertimus, quatenus in recenſendis veteribus illis monumentis rectus ordo & methodus obſervari poſſit.* Tomus primus *continet* tres *ſequentes* Partes, *in quibus remotas hodiernæ Scotiæ antiquitates ſcrutamur, circa quas modeſte diſputamus. Et quidem* prima Pars *complectitur omnia illa Prolegomena, quæ ad ſtatum veteris & hodiernæ Scotiæ cognoſcendum requiruntur, atque, in unum collecta, rite conſiciunt Propylæum totius operis, XII Diſſertationibus hiſtoricis conſtans, quibus obvia dubia, circa antiquæ gentis hiſtoriam ventilata, reſolvere conati ſumus, præter domeſtica documenta, etiam externis ſcriptoribus, præſertim Romanis, in auxilium vocatis. In* prima Diſſertatione *agitur de finibus veteris Scotiæ, cujus proin antiquos terminos in Auſtrum us-*

que ad Tinam *fluvium, & murum, vel vallum,* Hadriani, *extendimus; quamvis hodiernam Scotiam intra* Tuedæ *fluminis ripas reclusam concedamus.* Secunda Diſſertatio *tradit varias hodiernæ Scotiæ diviſiones, præſertim* in naturalem & politicam; *in qua ultima exhibentur tabulæ* Præfecturarum, *ſive* Vice-Comitatuum, *regni, vulgo* Schires; *itidem* urbium regalium, *ſive* Burgorum regiorum; *dein* Nobilitatis Scoticæ, *ſecundum varios dignitatum gradus, ubi reperiemus titulos Ducum, Marchionum, Comitum, Vicecomitum, & dominorum Baronum regni, vulgo* Lords. *Denique profertur Tabula omnium Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ſecundum diſtinctas diœceſes, a primæva erectione usque ad annum 1551; cui ultimæ Tabulæ adjungitur Catalogus omnium Eccleſiarum collegiatarum, diverſis temporibus, apud Scotos erectarum.* Tertia Diſſertatio *verſatur circa antiquos hodiernæ Scotiæ incolas, quam proin in* quatuor Sectiones *diſtribuimus. Inprimis enim agimus de* Romanis, *ſine quorum in inſulam adventu, Britanniæ hiſtoria ſpiſſis tenebris obvoluta jacuiſſet. Secundo loco collocamus* Mæatas, *ſive* mediterraneos Britones, *qui ipſam Nortumbriam, Cumbriam, & Weſtmoriam, veterum Scotorum patrimonium, inhabitabant, imo auſtrales hodiernæ Scotiæ regiones aliquando poſſidebant, quorum proin ſtatum ſub Romanis, & ipſis etiam diſcedentibus, indagamus. Inter tertiæ claſſis inquilinos proponimus* Pictos, *ſive* Cædonios, *quorum celebrem Monarchiam ab exordio ad ultimam exſtinctionem contemplamur, atque ex variis Chronicis & antiquis monumentis accuratam Regum ſeriem contexere conati ſumus. Denique loco ultimo conſtituimus* Scotos, *de quorum ortu & progreſſu in Britannia diſceptamus, confidenti molimine monſtrantes, quod* antiqui Scoti *exſtiterint veri & genuini borealis Britanniæ aborigines. In* quarta Diſſertatione *diſputamus de* libero & abſoluto imperio Scotorum in Britannia, *atque ex variis monumentis, tum domeſticis, tum exteris, imo ex ſinceris Diplomatibus, demonſtramus, antiquiſſimum Scotorum regnum nulli alteri imperio, vel populo, ſubjectum fuiſſe.* Quinta Diſſertatio *verſatur*

circa

circa tempus ſuſceptæ & propagatæ Chriſtianæ religionis apud Scotos, cujus primam propagationem referimus ad ætatem S. Victoris Papæ I *labente Seculo ſecundo, vel ineunte tertio, regnante Donaldo, Scotorum Rege.* Sexta Diſſertatio *tractat de* ortu & progreſſu vitæ monaſticæ apud Scotos & Pictos, *quam introduxerunt primi Chriſtiani doctores, ab antiquis appellati* Kiledei, *vel* Keledei, *a* cellis, *quas inhabitabant, & non a* cultu, *quem ibidem exercebant: nam* Kil *in antiqua lingua Celtica, ſive Scotica,* cellam *denotabat. Hinc veteres illi monachi male a ſequioribus ſcriptoribus nominantur* Culdei, *quaſi ipſi ſoli eſſent* Dei cultores. Septima Diſſertatio *exhibet* arctam diſciplinam monaſticam, *obſervatam ab antiquis illis Monachis, ſive* Kiledeis, *nulli certæ regulæ adhuc adſtrictis.* Octava Diſſertatio *explicat celebrem controverſiam, inter Scotos & Romanos Monachos olim initam, circa obſervationem Paſchatis, ubi probatur, Scotos non fuiſſe veros Quarto-Decimanos, ſed ſolummodo errore calculi a veritate deviaſſe.* Nona Diſſertatio *verſatur circa aliam controverſiam, inter eosdem Monachos ventilatam de* Tonſura eccleſiaſtica, *dum Romani* Scoticam *pro* Simonis Magi *tonſura, ſuam vero pro S.* Petri, *venditabant, cum tamen tempore Apoſtolorum nulla tonſura eccleſiaſtica in uſu fuerit.* Decima Diſſertatio *agit de* exordio & progreſſu regulæ Benedictinæ *in Britannia, etiamſi Picti & Scoti eandem non ſint amplexi ante Seculum octavum.* Undecima Diſſertatio *adducit præcipua & alias inconſueta Privilegia Monaſteriorum Scotorum.* Duodecima Diſſertatio *aſſerit* liberum regimen eccleſiæ *Scoticanæ, eamque ab omni Metropolitanorum Anglorum uſurpato, vel prætenſo, jure vindicare conatur: adductis in hanc rem plurimis Pontificum Romanorum, Regum, ac aliorum Epiſcoporum, Diplomatibus.* Secunda Pars *comprehendit antiquiſſima Monaſteria, quæ ab exordio nullius, vel incerti, Ordinis erant, & non niſi ineunte Seculo octavo ad Ordinem Benedictinum tranſierunt. Inhabitata plerumque ab ipſis* Kiledeis, *a Seculo tertio uſque ad undecimum:*

ſed

ſed deinceps vel in cathedrales, vel collegiatas, Eccleſias converſa, vel ſtrictioris obſervantiæ Monachis conceſſa. Tertia Pars *continet hiſtoriam omnium Cœnobiorum, quæ per Germaniam & Galliam a Scotis, & pro Scotis, fuerunt erecta; cui præmittitur levis velitatio in hodiernos Hibernos.* *In* Tomo ſecundo *exhibetur hiſtoria omnium Monaſteriorum, ſub regula S.* Benedicti *militantium, quæ Seculo undecimo & ſequentibus vel noviter erecta, vel jam dudum collapſa iterum renovata ſunt: nimirum* Monaſteria Benedictina, proprie ſic dicta: Cluniacenſia, Gironenſia, Ciſtercienſia, Sempringhamenſia, Prioratus Ordinis vallis caulium & Cartuſienſium. *Cuncta enim hæc Cœnobia* regulam S. Benedicti *pro primaria vitæ monaſticæ norma obſervarunt: licet eorum inſtitutores diverſas Conſtitutiones pro ipſis condiderint, & eorum Monachi habitu & moribus diſtincti, quaſi diſſimiles Ordines monaſticos repræſentaverint. Hinc de quolibet Ordine ſingulatim agimus, & ortum & progreſſum apud Scotos indagamus, atque haud inutiles obſervationes circa Hiſtoriam eccleſiaſticam adducimus. In* tertio Tomo *recenſemus Cœnobia, ſub regula S.* Auguſtini *militantia, nimirum Monaſteria* Canonicorum regularium, Præmonſtratenſium, Canonicorum S. Antonii, Miniſteria Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis, *ſive* de redemtione captivorum, *atque conventus* Dominicanorum, Franciſcanorum, & Carmelitanorum; *ſimulque domos* Templariorum, *aliorumque equeſtrium Ordinum.*

Non dubitamus, quin Bibliopola quidam Germaniæ, vel Scotiæ ipſius, in qua typographia ac res libraria mirifice jam floret, huic Operi excudendo eo facilius neceſſarios impenſurus ſit ſumtus, quo pluribus, iisque ineditis, Diplomatibus eſt refertum, & quo majorem Clariſſimi Autoris Diſſertationes Hiſtoriæ Scotiæ monaſticæ, & ejus antiquitatibus, accendent lucem. Optamus igitur Venerando Autori proſperrimam valetudinem, ipſique Operi felicem Lucinam.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCCLI.

POLYMETIS, OR AN ENQUIRY CONCERNING the agreement, &c.

hoc eſt,

POLYMETIS, SEU COMMENTARIUS DE CONſenſu inter priſcos Romanorum Poetas, & monumenta, etiamnum reſidua, antiquorum ſculptorum, pictorum, & cælatorum, quo oſtenditur, qua ratione hæc ſeſe mutuo illuſtrare queant, Autore JOANNE SPENCEO.

Londini, 1747, fol. maj.
Alph. 4, cum Tabb. æri inciſ. 41.

Autor hujus libri munere Profeſſoris Poetices per decem annos functus eſt in Univerſitate Oxonienſi, annos vero quinque, & quod excurrit, itineribus per varias Europæ partes faciendis impendit. Ut publico muneri, diu geſto, ſatisfaceret, in artis poeticæ indolem diligenter ipſi inquirendum fuit; ut vero ex itineribus longinquis & diuturnis fructum caperet tanto uberiorem, præſertim cum Romæ & Florentiæ temporis non exigua pars ipſi fuiſſet tranſigenda, reliquias veterum artificum Romanorum, ſculptorum, pictorum, cælatorum, etiamnum ſuperſtites, oculis avidis & curioſis ſic contemplatus eſt, ut ex eo ampla obſervationum ſeges ipſi ſubnaſceretur. Hinc oborta ipſi eſt cogita-

Digitized by Google

gitatio, utrumque hoc ſtudium, meditandi nempe Poetas Romanos, & ſollicite contemplandi antiquitatis monumenta, commode ſatis conjungi & comparari inter ſe poſſe. Tale conſilium huc usque neminem cepiſſe, aut ſaltem executum fuiſſe, Autor ſibi perſuadet; excipit tantum illuſtris *Addiſonii* Commentarium de re numiſmatica, ubi argumentum hoc tangitur, ideoque ipſe, rei huic manum admovendam eſſe, putavit. Totum Opus *Libris X*, *Dialogis* vero *XXI*, complexus eſt, & ab interlocutorum in his Dialogis principe, *Polymeti*, libro titulum hunc præfixit. Methodus vero hæc dialogiſtica ipſi tum ob alias rationes perplacuit, tum vero ideo cumprimis, ut argumento, a ſe electo, gratiam aliquam conciliaret, ac veluti vitam inderet, lectori vero faſtidium, inter legendum forte obrepens, minueret. Sed accedamus jam ad contenta *Dialogorum*.

Dialogo I Autor inſtituti ſui rationes exponit. Propoſitum nempe ipſi eſt, deſcriptiones Deorum, quæ apud *Poetas* Romanos reperiuntur, cum ſtatuis ac imaginibus eorundem Deorum antiquis, quæ ſuperſunt, conferre. Quem in finem, utque confuſionem quamcunque vitaret, illas tantum Deorum ſtatuas atque imagines examinandas ſumſit, quæ olim uſu in ſacris Italorum, ac ſigillatim Romanorum, receptæ erant.

Dialogus II de origine Poetices apud Romanos diſſeritur. Nobiliſſimæ hujus artis initia apud Romanos rudia admodum & impolita fuiſſe, conſtat. Prima, quantum novimus, Carmina, Romæ audita, fuere triumphalia & ſaliaria. Et in univerſum uſus carminum antiquiſſimorum omnis apud Romanos ad religionem & res ſacras relatus fuiſſe videtur. Ipſi quoque ludi ſcenici, & verſus in illis fuſi extemporales ac inconditi, ad placandum Numen inſtituti erant. Primus, ex cujus carminibus fragmenta ſuperſunt, & a quo ipſi Romani cultæ Poetices initia deducere ſolent, eſt *Livius Andronicus*, Poeta dramaticus. Hunc in eodem genere excepit *Nævius*, magiſtro ſuo major, qui hiſtoriam quoque belli Punici primi epico, aut hiſtorico, poemate perſecutus eſt. Eum non modo

do imitatus eſt *Ennius*, ſed tantum quoque excelluit, quantum *Livium Nævius*. Qui hos ſecutus eſt *Plautus*, unice ad ſcribendum Comœdias animum appulit, idque non ſine felici ſucceſſu. Imitatus hunc eſt *Cæcilius*, magnopere laudatus a *Cicerone*,& *Terentius*,quem ſermonis caſtitas ſingularis & nobilis ſimplicitas vehementer commendat. Dolendum eſt, *Afranii* Comœdias ad nos non perveniſſe. Judices enim idonei cenſuerunt, neminem ipſo *Menandrum* melius & felicius imitatum eſſe. Eodem tempore, quo Comœdiæ expoliendæ operam dederunt Poetæ præſtantes, *Pacuvius*, *Terentii*, & *Actius*, *Afranii* æqualis,in Tragœdiam excolendam,& ad aliquem perfectionis apicem deducendam,non infeliciter incubuerunt, usque adeo, ut *Pacuvium Cicero* ſummis Tragicis annumerare potuerit. Solet idem pictoribus præſtantioribus, quos Roma tulit, accenſeri. Comœdiæ Romanæ propago eorundem Satira exſtitit, Poema ipſis proprium & peculiare, in quo aliquid conatus eſt *Ennius*, *Lucilius* vero, Comicorum Græcorum in jocis captandis licentiam æmulatus, tantos progreſſus fecit, ut ipſi inventionis gloria adſcriberetur. Non ita diu poſt *Lucretius* Poeſin ad illuſtrandam Philoſophiam tranſtulit; *Catullus* autem Lyricos Græciæ Poetas verſibus Latinis exprimere anniſus eſt. De Poetarum horum omnium, qui primam Poetices Romanæ ætatem conſtituunt, meritis multa acute & erudite ab Autore obſervantur.

Dialogus III eſt de Poetices, apud Romanos florentis, ſtatu. Tempore tandem *Auguſti* Imperatoris, cum & hicce Princeps, & amicus ejus ſummus, *Mæcenas*, literis & eruditis mirum in modum faverent, ars quoque poetica Romanorum ſupremum perfectionis faſtigium contigit. Tulit illa ætas *Virgilium*, qui, editis primo *Bucolicis*, omnibus aliis, in hoc ſcribendi genere, palmam præripuit, mox vero deinde *Georgicon* Poema, opus elegantiſſimum, & numeris omnibus abſolutum, publici juris fecit. Ultimo loco prodiit ipſius *Æneis*, poema hiſtorico-politicum, quo videtur *Virgilius* novam imperii formam, ab *Auguſto* recens conſtitutam, Romanis commendare voluiſſe. Et, quoniam novam hanc imperii formam, ex vo-

luntate Deorum, multis nempe modis teſtata, deducit, ubique inſtituta Romanorum ſacra interſpergit, & ad horum ſcientiam plus ille unus confert, quam Poetæ reliqui Romani omnes, *Ovidio* tamen excepto. In opere hoc *Virgilius* Poetas epicos Romanorum omnes tanto antecelluit, quanto Græcos *Homerus*. *Virgilius* amicitiæ *Mæcenatis* primus commendavit *Horatium*, qui carmine lyrico omnes haud dubie gentis Romanæ vates longo poſt ſe intervallo reliquit, & ad gloriam Græcorum quam proxime acceſſit. Ad Satiram quoque Romanorum emolliendam & perpoliendam ſucceſſu tam exoptato operam ſuam contulit, ut laudes ejus poſthæc aſſequi prorſus nemo potuerit, niſi unus aliquis recentioris ætatis Poeta. Epiſtolas *Horatii*, quæ a Satiris vix differunt, & forte olim cum illis commune *Sermonum* nomen geſſerunt, Autor noſter ipſis etiam lyricis ejus Carminibus præfert. Polita illa ætate floruit etiam *Tibullus*, *Horatii* amicus, qui eandem inter Poetas elegiacos elegantiæ & caſtigatæ dictionis laudem meruit, quam inter Comicos conſecutus eſt *Terentius*. Ejus & æqualis & æmulus fuit *Propertius*; ſed, dum hic diverſa nimis virtutis poeticæ exempla imitanda ſibi propoſuit, factum eſt, ut illum perfectionis gradum non attigerit, quem alioqui potuiſſet aſſequi. *Ovidius*, qui cum duobus prioribus triumviratum Poetarum elegiacorum conficit, utroque nonnihil incultior & negligentior exſtitit. Inter opera ejus principatum tenent *Faſti*, ſecundus ab his locus debetur *Amorum* libris. Proximam laudem ſibi vindicant Epiſtolæ *Heroides*. Quæ ſequuntur reliqua, prioribus omnino deteriora apparent, quod imprimis de *Metamorphoſeon* libris judicandum. Poemata illius ejusdem ævi dramatica magno in pretio habita fuiſſe, nullo indicio colligi poteſt. Excipienda tamen *Ovidii Medea*, & *Varii Thyeſtes*, Tragœdiæ veteribus laudatæ, ſed dudum deperditæ. Ad ætatem *Auguſti* referendæ etiam *Spenceo* videntur *Phædri* Fabulæ, hoc quippe tempore compoſitæ, tametſi ſub imperio *Tiberii* demum in publicum prodierint, quod etiam elegans earum ſimplicitas, aliæque virtutes, ævo huic propriæ, ſatis teſtantur.

Sed

Digitized by Google

ſed de Fabulis his, etſi perquam terſo ſtilo conſcriptis, longe aliter judicare in hac urbe noſtra Virum quendam eruditiſſimum, vix opus eſt monere. De reliquis ætatis hujusce Poetis, qui ſuperſunt, aut ſupereſſe dicuntur, ac ſigillatim de *Manilio*, multo tenuius ſentit; de hoc etiam aliquo modo addubitat, an non pro recentioris cujusdam impoſtoris fœtu adulterino habendus ſit.

Dialogus IV eſt de Poeſeos Romanæ decremento. Sub Imperatoribus *Tiberio, Caligula,* & *Nerone*, cum omnia, quæ in priſcorum Romanorum inſtitutis, ſtudiis, & moribus, laude digna viſa erant, in deterius ruerent, virtutes etiam genuinæ eloquentiæ, & bonæ Poeſeos, paulatim defecerunt. Teſtantur ea de re *Lucanus* & *Perſius*, Poetarum, qui regnante *Nerone* floruerunt, principes, quorum prior, etſi ſententiis philoſophicis, & nonnunquam ſatis ſublimibus, abundet, continuo tamen immodice tumeſcit, ac plerumque declamatorem fere ac Sophiſtam magis agit, quam Poetam; alter vero potiorem inter Philoſophos, quam Poetas, locum meretur, & præterea obſcuritate ubique laborat intolerabili. Secuta ætas, quæ meliores vidit Imperatores, tulit etiam Poetas, ſi non optimos, laude tamen digniores illis, de quibus modo dictum eſt. Floruerunt illo temporis tractu *Silius Italicus, Statius, Valerius Flaccus.* Quos inter *Silius*, veluti tumida nimium *Lucani* Muſa territus, ubique fere humi repit, a meteoris & inani ſublimitatis affectatione penitus liber. *Statio*, etſi animus elatior non deeſſet, defuit tamen prudentia, quod ejus *Thebais* aperte nimis omnibus teſtatur. *Valerium Flaccum*, cujus *Argonautica* ultimam Autoris manum experta non ſunt, plerique in Poeſi epica uno tantum *Virgilio* inferiorem eſſe judicant, neque id immerito. Ex Poetis hujus ætatis dramaticis unus ſupereſt *Seneca*, ſub cujus nomine Tragœdiæ ad nos transmiſſæ ſunt decem. Sed ambigi non poteſt, quin illæ Autores habuerint & diverſos, & ævi ſequioris. *Martialis* Epigrammata laude merita defraudanda non ſunt. *Juvenalis* dici poteſt Poetarum Romanorum ultimus.

Dialogus V de initiis, progreſſu, & decremento, artium in-

ter Romanos, diſſerit. Roma ſatis diu artium omnium elegantiorum rudis experſque manſit. Secundo demum bello Punico rerum harum guſtus in urbem introduci cœpit. Illo ipſo quidem bello *Fabius Maximus*, cum Tarentum cepiſſet, ibique ſtatuas Deorum perpulchras, a præſtantibus artis ſtatuariæ magiſtris, ac ipſius *Lyſippi* manu, profectas, offendiſſet, Deos tamen hos iratos Tarentinis relinqui juſſit. Aliter *Marcellus* egit, occupata Sicilia, captisque Syracuſis, elegantiſſima Græcorum civitate, ſignis, tabulis, ac ſtatuis excellentibus, largiter ornata. Hæc enim civitatis illius ornamenta, veluti pinguiſſima devictæ Siciliæ ſpolia, Romam deportari juſſit. Quamvis autem tum Romanorum permulti, patriis moribus inhærentes, abſtinentiam *Fabii* etiam atque etiam laudaſſent; plerique tamen, ac præcipue juvenes, factum *Marcelli* valde probarunt, & ab eo tempore amor pulcherrimarum artium Romanos totus invaſit, indiesque majora cepit incrementa. Succeſſu temporis, Africa, Hiſpania, & ipſa tandem Græcia, Romam ornamentis hujus generis copioſis locupletavit. Et is laudabatur maxime a populo ducum bellicorum triumphus, qui tabularum, ſignorum, ac vaſium exquiſitiſſimorum, numerum largiſſimum Romam attuliſſet. Sic factum eſt, ut intra annos circiter ſeptuaginta a triumpho *Marcelli*, laudatiſſima vereque invidenda artis Græcorum monumenta, quæ per totum orbem antehac diſperſa fuerunt, Romam ad unam hancce urbem condecorandam quaſi convolarent. Neque etiam poſthæc conſuetudo illa deſiit, cujus exempla hic ſuppeditantur plurima. Hanc primam poſſis appellare ætatem, quæ usque ad *Julii Cæſaris* tempora pertingit, qua quidem ætate amor & admiratio harum rerum artiumque præſtantiſſimarum Romanos invaſit. Tempore *Auguſti*, cum alta pace frueretur Roma, ipſeque Imperator artibus omnis generis, ac his præcipue, de quibus loquimur, mirum in modum faveret, artifices eminentiores, pictores, ſculptores, & architecti, Romam invitati, urbem hanc monumentis artis ſuæ admirandis totam impleverunt, &, iis obſtetricantibus, Imperator *Auguſtus* urbem, quam lateritiam invenerat,

mar-

marmoream reliquit. Hæc dici poteſt ætas cultarum apud Romanos meliorum artium ſecunda. Poſt *Auguſti* ætatem, artes ſtatuaria & pictoria non quidem gradu adeo concitato a priſtina ſua perfectione deflexerunt; ſed ſucceſſive tamen paulatim magis magisque declinarunt, quod optimi Scriptores, qui ætatem illam ſunt conſecuti, monere non neglexerunt.

Dialogi, qui deinde ſequuntur, *undecim*, a *ſexto* usque ad *decimum ſeptimum*, verſantur in explicandis veterum Romanorum de Theologia, Diisque ſuis, opinionibus. *Dialogus VI* de *Jove, Junone, & Minerva; Dialogus VII* de *Neptuno, Venere, Marte, Vulcano, & Veſta; Dialogus VIII* de *Apolline, Diana, Cerere, & Mercurio; Dialogus IX* de *Hercule, Baccho, Æſculapio, Romulo, Caſtore, & Polluce; Dialogus X* de divinitatibus moralibus, præſidibus virtutum, actionum itidem, omnisque fortunæ hominum; *Dialogus XI & XII* de conſtellationibus, Planetis, annique tempeſtatibus; *Dialogus XIII* de Numinibus, aeri dominantibus; *Dialogus XIV* de Diis inferorum, agit. Omnia hæc ex antiquitatis penu, ejusque Scriptoribus maxime probatis, eruuntur, ac inſuper ingenioſe docteque explicantur. Numina ipſa ex monumentis antiquis melioribus & præſtantioribus, quæ ſuperſunt, oculis lectorum objiciuntur, & ſcrupuloſa diligentia examinantur, ac cum his deſcriptiones Deorum, quæ apud Poetas Romanæ gentis præcipuos reperiuntur, accurate componuntur. Nihil hic tritum, aut vulgare, occurrit. Omnia obſervationibus exquiſitis referta, ac veluti condita, ſunt, lectoremque talium deliciarum & cupidum, & peritum, languere nunquam ſinunt. Nobis non licet, Autorem doctiſſimum in vaſto hoc campo preſſo pede ſequi, etſi id, ſi inſtituti noſtri ratio permitteret, tum nobis, tum etiam, quod ſperamus, Lectoribus noſtris, voluptatis plurimum allaturum eſſet. Ut tamen conſtet Lectoribus, quodnam in hoc opere Autoris fuerit conſilium, & qua ratione illud executus fuerit, exempla nonnulla, uti illa ſe nobis offerent, in medium adducemus.

Dialogo VII repræſentatur *Veneris* ſtatua, qua jam dudum nihil celebrius eſt, Medicea, Florentiæ viſenda, cujus gra-

gratias elegantiasque omnes primo exponit Autor, illasque verſibus his exprimi docet a *Statio Theb. Lib. VI:*

Effulſere artus, membrorumque omnis aperta eſt
Lætitia; inſignesque humeri, nec pectora nudis
Deteriora genis; latuitque in corpore vultus.

Quibus jungit iſta *Plauti* in *Rudente Act. II Sc. IV:*

Proh Dii immortales, Veneris effigia hac quidem eſt!
Ut in ocellis hilaritudo eſt! Eja corpus cujusmodi,
Subvolturium - - - (illud quidem ſubaquilum volui dicere)
Vel papillæ cujusmodi - -

Et hæc *Lucilii:*

Hic corpus ſolidum invenies: hic ſtare papillas
Pectore marmoreo - - -

Et illa *Ovidii:*

Ipſa Venus pubem, quoties velamina ponit,
Protegitur læva ſemireducta manu.

Quæ tandem claudit hiſce *Plauti* in *Epidico Act. V Sc. I:*

Ab unguiculo ad capillum ſummum eſt feſtiviſſima.

Et fatendum eſt, conferenti verſus hos cum ſtatua *Veneris* Medicea, omnia mirum in modum congruere, valdeque appoſita eſſe.

Eodem *Dialogo* ſermo eſt de imaginibus *Martis*, quæ in ſignis antiquis, aut etiam nummis, cernuntur. Affertur inter alia nummus quidam, in quo apparet *Ilia*, vel *Rhea Sylvia*, virgo Veſtalis, humi cubans, pæne nuda, ſomnoque ſepulta. Super eam conſpicitur *Mars*, tanquam ex aere deſcendens, ac veluti in aere pendens, unde Autor, poſt illuſtrem elegantiſſimumque *Addiſonium*, verſibus hiſce *Juvenalis Sat. XI*, antea non bene intellectis, lucem egregiam infert:

Tunc rudis & Grajas mirari neſcius artes,
Urbibus everſis, prædarum in parte reperta
Magnorum artificum frangebat pocula miles,
Ut phaleris gauderet equus; cælataque caſſis

Romu-

Romulea ſimulacra feræ manſueſcere juſſæ
Imperii fato, & geminos ſub rupe Quirinos;
Ac nudam effigiem clypeo fulgentis & haſta
Pendentisque Dei, perituro oſtenderet hoſti.

Pendens Deus hic eſt *Mars*, in aere adhuc pendens, *Rheæ Sylviæ* imminens, ejusque pudicitiæ inſidias ſtruens, ut ex concubitu illo *Romulus* gignatur. Tam egregiam mutuamque operam ſibi præſtant ſculpturæ veterum, eorundemque carmina. Autori noſtro ingenioſo hinc occaſio ſubnaſcitur, de marmore quodam anaglypho, elegantiſſime ſculpto, multisque figuris ornato, quod Romæ exſtat, ſententiam ſuam exponendi. In illo apparet *Mars*, accedens ad mulierem, humi cubantem, & dormienti ſimilem. Circumdati hi ſunt integro Deorum concilio, quorum unusquisque notis ſibi propriis & characteriſticis facile dignoſcitur. *Juno* pronuba, quæ inter illos, ſed loco eminentiori & digniori, ſedet, ſatis indicat, nuptias hic repræſentari. Autor noſter conjicit, mulierem hanc, humi cubantem, eſſe *Nerienen*, quam Poetæ Romani antiquiores, *Ennius*, *Varro*, *Licinius Imbrex*, excitati a *Gellio Noct. Att. Lib. XIII Cap. 22*, & *Plautus*, uxorem faciunt *Martis*. Ea Autori videtur jacere, creata quidem, ſed anima necdum donata, quam ex manibus *Promethei* adſtantis acceptura demum eſſet. In hac explicatione multum utique ingenii ineſt, eaque magnam rerum iſtiusmodi peritiam prodit. Verum tamen illa, quod fateri cogimur, nobis nondum ſatisfacit. *Neriene* vix ac ne vix quidem Romanis ipſis nota erat. Nulla ejus, niſi in Sacerdotum indigitamentis priſcis, atque apud Poetas antiquiores & obſoletos fere, mentio occurrit, ex quibus tamen eandem, tanquam conjugem *Gradivi*, in ſcenam producit *Martianus Capella*, in principio Satirici. Numen iſtud cognitum erat nemini, niſi Poetarum illorum obſoletorum interpretibus, doctisque Grammaticis, quamvis etiam in his eſſent, qui nomen *Nerienes* fere ignorarent, aut ſaltem ancipites hærerent, utrum illa conjux *Martis* dicenda eſſet, quod ex *Gellio* intelligitur, Autorque noſter ipſe fatetur. Vix igitur crediderimus, nuptias Numinis tam ob-

Digitized by Google

obſcuri, & fere in univerſum, pauculis Grammaticis exceptis, incogniti, operæ pretium tuliſſe, ut iis celebrandis artifex, quisquis fuit, tantum ſtudii & laboris impenderet, easque in imagine adeo magnifica & pompoſa, &, auſimus addere, ſingulariter ingenioſa, repræſentandas eſſe duceret. Nobis dubium eſſe non poteſt, quin & hic *Martis* & *Rheæ Sylviæ* amores adumbrentur, quod comparanti marmor hoc cum nummo, de quo antea dictum, illico manifeſtum apparebit. Ut vero ex amoribus his, re ipſa furtivis & illicitis, tanto major in gentem Romanam, ejusque conditorem, *Romulum*, gloria redundaret, rem hanc artifex ſic repræſentat, tanquam de ea in concilio Deorum omnium deliberatum, *Marti*que, ex decreto Deorum, *Rhea Sylvia* in uxorem data, fuerit. Tales fere *Mercurii* cum Philologia nuptias in Satirico ſuo deſcribit *Martianus Capella*.

Dialogo VIII deſcribitur ſtatua celeberrima *Apollinis* Belvederenſis, quam etiam, pro more ſuo, æri incidendam curavit, nobisque dedit ſpectandam, Autor. Simulacrum, numeris profecto omnibus abſolutum, inter meliora & eminentiora in hoc genere antiquitatis monumenta, quibus ætas pepercit, ex confeſſione omnium, numerari debet. Quandoquidem autem vultus *Apollinis* in excellenti hoc ſigno non modo formæ pulchritudinem admirabilem, quæ *Apollini* propria erat, ſed etiam aliquid plus quam humanum, & vere divinum, præ ſe fert, judice *Spenceo*, ſignum iſtud etiam reliquis, quæ ſuperſunt, palmam præripere videtur. Omnia, quæ in *Apolline* laudant Poetæ Romani, ſigno huic mirifice conveniunt. Ceterum, cum *Apollini* ſuo Romani varia adſcriberent attributa, a quibus modo dicitur *Venator*, modo *Vates*, aut *Lyriſtes*, modo *rector Solis*, &c. qui omnes a ſe invicem certis quibusdam notis characteriſticis diſtinguuntur, ſimulacrum Belvederenſe nobis repræſentat *Apollinem Venatorem*, quem *Maximus Diſſertat. XXVI* (non, ut hic editum videmus, LXXII,) ita depingit, μειράκιον γυμνὸν ἐκ χλαμυδίου, τοξότην, διαβεβηκότα τοῖς ποσὶν, ὥσπερ τὸν θέοντα. *Deum, qui vultu & corpore florem juventutis præfert, totum fere nudum, niſi quod humero*

tenuis

temnis chlamys ſuperinjecta ſit, arcu & ſagittis inſignem, pedeſque currentis inſtar promoventem. Eundem *Virgilius* in his deſcribit, quæ ſtatuæ Belvederenſi egregio conveniunt *Æneid. Lib. IV*:

Ipſe ante alios pulcherrimus omnes
Infert ſe ſocium Æneas, *atque agmine jungit;*
Qualis ubi hybernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deſerit, ac Delum maternam inviſit, Apollo,
Inſtauratque choros, mixtique altaria circum
Creteſque Dryopeſque fremunt, pictique Agathyrſi.
Ipſe jugis Cynthi graditur; mollique fluentem
Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro.
Tela ſonant humeris. Haud illo ſegnior ibat
Æneas; *tantum egregio decus enitet ore.*

Dialogo XI conſtellationes cœleſtes, uti in pervetuſta Sphæra *Farneſia* effictæ conſpiciuntur, curate omni ex parte verſantur & exponuntur, atque cum Poetarum Romanorum ea de re verſibus componuntur, ut ex his omnibus intelligatur, quantum Sphæra hæc & a vetuſtioribus, & a recentioribus, differat.

Dialogi quinque ultimi in eo verſantur, ut oſtendatur Lectori diſquiſitionum hujuscemodi uſus & fructus. *Dialogus* igitur *XVII* de uſu hoc & fructu generatim diſſerit, docetque, inſpectionem illorum antiquitatis monumentorum, quæ in ſuperioribus expoſita fuerunt, omnium optime illuſtrare loca difficilia vetuſtorum Poetarum, quod interpretes illorum plerique & celebriores quidem nimium neglexerunt, unde factum eſſe videmus, ut ipſorum Commentarii, quantumvis ſupra modum diffuſi, ac multiplici etiam eruditione cumulati, vero tamen, qui in iis a plerisque ſpectatur, uſu omnino careant. Qua occaſione de requiſitis boni in vetuſtos Scriptores Commentarii multa afferuntur, quæ a cordatis lectoribus expendi merentur, ac inſuper vitia educationis juvenum in ſcholis vulgaribus traducuntur. Neſcimus tamen, an non hic quoque nonnulla examen maturius mereantur. Sed Au-

Digitized by Google

tor hæc potiſſimum ſcholis ſuis patriis in Anglia dicta eſſe cupit. *Dialogo XVIII* ſpecialius docet, quantum ex contemplatione antiquorum monumentorum proficere queant recentiores noſtri artifices, ubi ſubjectum aliquod allegoricum, vel ſymbolicum, pingendo, aut ſculpendo, aut alio quocunque modo fingendo, repræſentare volunt. Si quis veterum, hoc in genere, monumenta intueatur, deprehendet in illis ſummam ſimplicitatem & mirabilem perſpicuitatem. Symbola, quibus illi aliquid allegorice, aut emblematice, deſignant, talia ſunt, ut eorum vera ſignificatio, & uſus, non poſſint non illico agnoſci. Sic v. g. per bilancem indicant juſtitiam, fortitudinem enſe, temperantiam fræno, & ſic porro. Ab hac nobili ſimplicitate & perſpicuitate longiſſime recedunt utplurimum recentiorum noſtrorum artificum inventa, quæ ſæpiuſcule ænigmatibus inſolubilibus ſimiliora ſunt, quam ſymbolis, allegoricis quidem, ſed ex quibus tamen ſpectatores cordati erudiri, uſumque capere, debent, quod exemplis plurimis, nonnunquam ad ciendum riſum compoſitis, comprobatur. *Dialogo XIX* proferuntur vitia Poetarum recentiorum, ubi allegoriis indulgent, idque inprimis in Poemate aliquo Anglico multis & copioſe oſtenditur. *Dialogo XX* deteguntur vitia, ab interpretibus Anglicis, in vertendis antiquorum Carminibus, illisque ſigillatim locis, quæ ſubjectum aliquod allegoricum complectuntur, ſæpiuſcule commiſſa, eumque in finem interpretatio *Drydenii* Anglica *Virgilii* inprimis excutitur. *Ultimo* denique *Dialogo XXI* docetur, qua ratione opus tale, quale Autor hic in ſe ſuſcepit, ſi alius quis manus ipſi admovere vellet, mirifice amplificari, & ad majorem perfectionis gradum deduci, queat. Sed hæc in ipſo Autoris Opere legenda harum literarum ſtudioſis commendamus.

CAJUS SUETONIUS TRANQUILLUS, CUM animadverſionibus JO. AUGUSTI ERNESTI.

Lipſiæ, apud Jo. Wendlerum, 1748, 8.

Alph. 1 plag. 14.

Quan-

Digitized by Google

Quanquam *Suetonius* ingenii doctrinæque luce cum aliorum Virorum doctiſſimorum, tum inprimis *Burmanni*, τȣ̃ πάνυ, ita emendatus, explicatus, illuſtratusque, vulgo putatur, ut omnium aliorum ſtudia, in hoc Autore aliquid tentandi, reſtincta videantur; tot tamen non vitioſæ ſolum lectiones, ſed loca etiam, aut verborum, aut ipſarum rerum, difficultate laborantia, ab iis vel plane intacta relicta, vel non ſatis illuſtrata, erant, ut viro docto, & ingenii acuti, Latinæ linguæ, hiſtoriæ, antiquitatumque, ſatis perito, interpretandi denique facultatem longo uſu exercitationeque aſſecuto, non parva materia ſupereſſet. Itaque non egit rem actam *Jo. Aug. Erneſti*, Vir doctiſſimus, cum ſibi hunc Scriptorem recenſendum illuſtrandumque ſumſit. Id quomodo ei ſucceſſerit, e dicendis patebit.

In Præfatione, in qua obiter Vir quidam doctus, qui, ingenio otioque abuſus, in *Symbolis Bremenſibus* fidem *Suetonii* vanis & contortis ratiunculis, ab ignorantia cum ipſius linguæ, tum aliarum rerum, profectis, labefactare auſus eſt, breviter quidem, ſed graviter, convincitur, in ea igitur Præfatione Vir Celeberrimus docet, ſe hunc Autorem, quicum mature aliquam quaſi familiaritatem contraxerit, ſæpe diligenterque tractando in multis locis non ſatis, neque accurate emendatum, neque recte explicatum, neque dilucide illuſtratum, inveniſſe: neque tamen eam rem effecturam fuiſſe, ut de nova *Suetonii* editione cogitaret, niſi exemplaria *Graviana* editionis minoris, aut huic ſimilis, defuiſſent, quibus uti poſſet in hoc Scriptore adoleſcentibus enarrando. In recenſendo autem *Suetonio*, præter lectionis varietatem, a *Burmanno* e ſcriptis & editis notatam, adjumento fuerunt Viro Celeb. *Variæ Lectiones*, e Codice MSto in margine *Caſaubonianæ* editionis a *Cortio* ſcriptæ; quas varias lectiones, *Excerptorum Cortianorum* nomine laudatas, in multis ſibi profuiſſe, ipſe teſtatur. Præterea, cum jam in *Veſpaſiano* typis exſcribendo operæ exercerentur, nactus eſt a *Chriſtio*, Viro Clariſſimo, exemplum editionis *Gryphianæ*, A. 1539 curatæ, in quo lectiones quædam ad *Cæſarem*, *Auguſtum*, *Tiberium*, *Galbam*, & reli-

quos, manu docta erant notatæ, ex quarum indiculo, huic editioni ſubjuncto, intelligitur, eas eſſe e Codice ſcripto, eoque bono, cum delectu petitas. Hæc ſunt adjumenta, quibus in *Suetonio* perpoliendo Vir doctiſſimus uſus eſt: pleraque autem, & propemodum omnia, debet & ingenii felicitati, & judicii elegantiæ, doctrinæ denique exquiſitæ copiæ. His ſubſidiis inſtructus, tam feliciter in emendando, explicando, illuſtrandoque, hoc Scriptore verſatus eſt, ut pauca loca nunc eſſe putemus, in quibus hærere aliquis poſſit.

Animadverſiones, in quibus ſcribendis Vir Doctiſſ. tria inprimis ſpectavit, primo, ut, quem vocant, textum, quam fieri poſſet, emendatiſſimum exhiberet, deinde, ut verba locutionesque paulo difficiliores explicaret, tertio, ut res non ſatis claras illuſtraret, illæ Animadverſiones, inquam, optimæ frugis plenæ ſunt. Sed age, quædam ſpecimina exhibeamus, ut iis, quæ diximus, fidem faciamus. Ecce tibi primum quasdam *emendationes*, quæ ingenio ejus debentur. In quibus facile capitalis eſt illa in *Auguſt. Cap. 43: Non in foro modo* &c. qui locus ſane corruptus eſt, neque tamen ab ullo interpretum pro tali habitus, egregie in integrum reſtituitur, addito τῷ *Munera*, hoc modo: *Munera non in foro modo - - ſed in Circo & in ſeptis*, &c. quam emendationem & aliis rationibus, & monumenti Ancyrani autoritate, confirmat, eamque, quippe certiſſimam, in textum recepit. In *Claud. Cap. 19* in omnibus legitur: *Ex his alterum ab Auguſto precantibus aſſidue Marſis negatum, alterum, a Divo Julio* &c. Sed poſterius *alterum*, maxime vitioſum, etſi nulli Interpretum animadverſum, Vir Cel. merito ſuſtulit. In *Cæſar. Cap. 75* vulgo legitur *munus populi*, ubi τὸ *populi*, linguæ quippe adverſum, Vir Doctiſſ. delendum cenſet. Eandem ob cauſam delendum putat τὸ *ſe Cap. 86*, ubi vulgo: *neque voluiſſe ſe diutius vivere.* In *Octav. Cap. 15: Exſtiterunt, qui traderent, conſulto illum ad arma iſſe*, ubi τὸ *illum*, quocunque modo explices, nullum, niſi ineptiſſimum, ſenſum habet. Eleganter, igitur Vir Doctiſſ. emendat, *itum ad arma eſſe. Cap. 42: ut non minorem negotiantium, quam populi, rationem deduceret*, ubi legen-

legendum Vir Cl. putat *duceret*, cum *rationem alicujus deducere* vix ſit Latine dictum. *Cap. 68* pro vulgato ita legit: *Viden' cinædus orbem digito ut temperat*, inſerto τῷ *ut*, emendatione facili & eleganti. *Cap. 79*, *ſtaturam brevem, quam - - in memoriam ejus - - tradit*, quem locum, ab omnibus interpretibus pro corrupto habitum, a nullo autem correctum, Vir Doctiſſ. ita reſtituit, ut legat, *in memoria ejus*, ut titulus operis, quod *Julius* de *Auguſto* ſcripſerit, fuerit *memoria Auguſti*. In difficillimo illo loco *Calig. Cap. 26*, *decimas maturius dabat*, Vir Cl. legendum docet pro *decimas*, *teſſeras*. In eodem *Capite* alius locus depravatus corrigitur. *Cap. 52*, *ac denique humano*, ubi eleganter pro *ac* legit *nec*. In *Nerone Cap. 12* pro vulgato, *item pyrrhichas quaſdam*, legendum docet, *item ad pyrrhichas quaſdam*. *Cap. 20*, *excellentiſſimo cultu pueri*, ubi *Grævio* & *Burmanno* τὸ *pueri* delendum videtur, *Erneſti* autem legendum putat *excellentiſſima culti purpura*, recte & eleganter. In *Tito Cap. 5*, ubi vulgo, *cujus brevi compos, & ad perdomandam* &c. duplicem medicinam loco male affecto affert, aut *cujus brevi compos factus. Sed ad perdomandam* &c. aut, *compos factus eſt. Ad perdomandam* &c. In *Domitiano Cap. 4*: *ante pedes ei ſtabat puerulus concinnatus portentoſo parvoque capite*, quæ lectio ſane ſuſpecta. Parvum enim caput eſſe pueruIo, nano, quid mirum? Eleganter igitur Cl. *Erneſti* pro *parvo* legit *pravo*, hoc eſt, deformi ab aliquo vitio naturali, velut nimia magnitudine, inprimisque *acuto*, quale fuit Therſitis. *Cap. 17* vulgo eſt, *puer, qui curæ larium cubiculi*, &c. nullo ſenſu, ubi eleganter emendat Cl. *Erneſti*: *puer, qui aræ larium cubiculi* &c. *Cap. 18*, ubi vulgo, *ſcias nec gratius quicquam decore, nec brevius*, Doct. *Erneſti* pro *decore*, legit *decere*, hoc ſenſu, *nihil magis decet capillis, ſed nulla pulchritudinis pars citius perit*. In Libro *de Illuſtr. Grammat. Cap. 9* legitur vulgo *perialogos*, nullo ſenſu. Eleganter emendat Cl. *Erneſti*, *periautologos*, quod huic loco bene convenit. Neque minus præſentem medicinam Vir Doctiſſ. locis depoſitis, vocibus tantum transponendis, affert; v. c. in *Caſ. Cap. 43*: *Jus laborioſiſſime ac ſeveriſſime dixit*:

quæ

quæ verba haud dubie alieno loco poſita ſunt. Nam, quod ſequitur de repetundarum convictis, ſenatu motis, non pertinet proprie ad jurisdictionem. Quare docte & acute Cl. *Erneſti*, qui verba, *repetundarum convictos etiam ordine ſenatorio movit*, ad finem præcedentis *Capitis*, poſt vocem *mulcavit*, rejicit. Conclamatum illum locum in *Aug. Cap. 46: Excogitato genere ſuffragiorum, quæ de magiſtratibus urbicis decuriones colonici in ſua quisque colonia ferrent, & ſub diem comitiorum obſignata Romam mitterent*, feliciſſime Vir Doctiſſ. ſanitati reſtituit, ita transponendo: *e. g. ſ. quæ, de magiſtratibus, colonici, in ſua quisque colonia* (non Romæ, ut ceteri cives,) *ferrent, & decuriones ſub diem comitiorum o. R. m.* In *Tito Cap. 3* vulgo legitur: *Forma egregia, & cui non minus autoritatis ineſſet, quam gratiæ: præcipuum robur, quanquam nec procera ſtatura, & ventre paulo projectiore: memoria ſingularis*, ſenſu mire perturbato: quem locum Vir Cl. ita reſtituit: *Forma egregia, & cui non minus autoritatis ineſſet, quam gratiæ, quanquam neque procera ſtatura, & ventre projectiore. Præcipuum robur: memoria ſingularis.* Tales plures afferri poſſent, niſi modus eſſet adhibendus. Verum vel ex his Lector, harum rerum intelligens, cognoſcet, quomodo Cl. *Erneſti* in emendando verſetur. Hæ autem emendationes non ſolum in Animadverſionibus confirmantur, ſed etiam, quod inprimis frugiferum putamus, fontes corruptionum aperiuntur. Et hæ quidem ſunt emendationes, quas ſola ingenii ope, nullis auxiliis externis adjutus, Vir Eruditiſſimus fecit; aliæ præterea ſunt, quas ope Codicum, & inprimis *Excerpt. Cort.* protulit, v. c. in *Cæſare Cap. 50, 70, 76, 84;* in *Octav. Cap. 2, 35, 84, 87;* in *Ner. Cap. 38, 43;* in *Oth. Cap. 10;* in *Veſpaſ. Cap. 6,* & aliis locis. Quemadmodum vero a vitioſis lectionibus purgando, ita non minus defendendis lectionibus receptis pæne innumeris, cum ab aliis Viris doctis, tum inprimis *Burmanno*, ſollicitatis, profuit *Suetonio*; ex qua re cautio & religio in emendando, & lectionis copia, intelligi poteſt. Hujus quoque generis quædam ſpecimina exhibuiſſe juvabit, v. c. in *Cæſ. Cap. 49, a ſatellitibus eum in cubiculum*

regium

Digitized by Google

regium eductum, pro quo *Torrentius* & *Grævius* malunt *deductum*. Sed recepta recte defenditur hac ratione, quod hæc vox non referatur ad verba *in cubiculum*, ſed magis ad *triclinium*, ſeu *convivium*, quod confirmatur duobus locis *Suetonii* in *Aug. Cap.* 79, & *Calig. Cap.* 36. In eodem *Caeſ. Cap.* 79: *quanquam & plebi*, ubi *Torrentius* & *Burmannus* e Cod. MS. (quod etiam *Exc. Cort.* habent) legi vult *plebejo*, *Burmannus* etiam nomen hominis intercidiſſe putat, ratione commoti hac, quod univerſus populus regis nomen ſemper abhorruerit, neque toti plebi *Cæſar* potuerit reſpondere. Sed Noſter vulgatam defendit ita, ut dicat, per plebem hic intelligi tantum poſſe perditiſſimos ex plebe; dein, non mirandum, plebem, ad adulationem projectam, & antea, ut *Suetonius* dicit, novis & immodicis acclamationibus uſam, tale quid *Cæſari* dixiſſe, cum etiam Senatus adulandi ſtudio regios divinosque honores ei decreverit: denique, ſi de uno ſermo eſſet, *Suetonium* dicturum fuiſſe ſimpliciter *cuidam*, ut alibi ſæpe. In *Octav. Cap.* 2: *Ea gens - - inter Romanas gentes allecta*, ubi *Burmannum* offendit τὸ *gentes*, ſed defenditur conſuetudine *Suetonii*, ejusdem verbi præter neceſſitatem repetendi. *Cap* 34: *Hanc* (legem de maritandis ordinibus) *cum aliquanto, quam ceteras, ſeverius emendaſſet*; ubi *Heineccius* ad *L. Papiam Popp. pag.* 46 legi vult *ſeverius mandaſſet*; ſed hic oſtenditur, eam emendationem duplici nomine falſam eſſe, primum, quia *mandare legem* eſt contra linguæ rationem, deinde, quia *Suetonius* diſerte dicit, hanc legem cum aliis eſſe retractatam, & de novo ſancitam. In *Tiber. Cap.* 4, *abolitionem facti decernentibus*, reprehendit *Burmannus* vocem *abolitionem*, *Lipſius* etiam conjiciebat, legendum *oblivionem*, quod verbum de ἀμνηςία uſitatum. Sed Cl. *Erneſti* vulgatam recte tuetur, cum & *Quintilianus IX*, 2, inprimisque JCti, abolitionem de ἀμνηςία uſurpent, & crimina ipſa ſæpe *aboleri* dicantur, quæ non puniuntur. *Cap.* 12, *ut, ad velandam ignominiam, quaſi legatus ab Auguſto abeſſet*; ubi *Torrentius* & *Gruterus* malunt *Legatus Auguſti*, alii *Legatus Auguſto*: ipſe autem vulgatam, grammaticis rationibus non repugnantem, retinet, & explicat, *miſſus cum mandatis*. *Cap.* 65: *Quam vero inter hæc*,

Digitized by Google

non modo inviſus, ac deteſtabilis, ſed prætrepidus quoque, atque etiam contumeliis obnoxius, vixerit, ubi *Salmaſius*, *J. Fr. Gronovius*, & ſequax *Grævius*, delendum putant τὸ *contumeliis*, rati, vocem *obnoxius* hic poſitam ſimpliciter pro *ſolicito* & *anxio*. Sed Celeb. *Erneſti* omnino retinendam vulgatam docet, cum *prætrepidus* plus ſit, quam *obnoxius*, præterea *atque etiam* verbum gravius deſideret, tum denique ſequentia *Cap. 66*, quæ exempli cauſa afferuntur, & quidem ultimo loco, poſt timoris exempla, manifeſte doceant, contumeliarum hic, ubi res ſummatim proponitur, mentionem factam ultimo loco. In eodem *Capite* ſub finem vulgatam contra *Burmannum* & *Dukerum* defendit. In *Calig. Cap. 27*: *Catenis verberatum non prius occidit, quam offenſus putrefacti cerebri odore*, pro catenis *J. F. Gronovius* legendum cenſet *catomis*, quam lectionem recte rejicit, vulgata retenta, cum ei neque ſatis conveniat *cerebri* mentio, neque novum in tyrannis ſit, ut inauditis tormentis homines excrucient; porro loco *cerebri Jac. Gronovius* legi vult *tabi*, quod ipſum quoque jure rejicitur, cum tabum jam per ſe putrefactionem indicet. In *Ner. Cap. 4*: *Cenſorem L. Plancum via ſibi decedere Ædilis coegit*; ubi Viri docti quærunt, quomodo *Ædilis* ſummovere *Cenſorem* potuerit, leguntque adeo *Cenſorium*, quod recte rejicit Eruditiſſ. *Erneſti*, oſtendens, Ædiles habuiſſe lictores & ſummotionem, Cenſores non item.

Quæ ſpectant ad explicationem illuſtrationemque eorum locorum, in quibus & intelligendis, & exponendis, cum alii Viri docti, tum *Burmannus*, ὁ πάνυ, ſe torſerunt, hæc exempla ſunto. In *Cæſ. Cap. 16*: *Ac nihilo minus permanere in magiſtratu, & jus dicere, auſus eſt*, hæret *Pighius* ad A. 691, negatque, ſe ſcire, quam juris dicundi provinciam habuerit, niſi forte quæſtionem inter ſicarios e *Cap. 11*. Contra hæc oſtenditur, quæſtionem hanc ad præturam *Cæſaris* non pertinuiſſe, tum quæſtiones non eſſe, in vetere Latinitate, juriſdictionis, juriſdictionem tantum eſſe Prætoris urbani & peregrini. Ex his fit, ut *Cæſar* Prætor vel urbanus, vel peregrinus, fuerit, quia ei juriſdictio a *Suetonio* tribuitur. Etſi autem apud *Sue-*

tonium

tonium interdum etiam jus dicere de cauſis publicis occurrit, v. c. *Auguſt. Cap. 36*; tamen tantum de *Cæſaribus*, non ordinariis quæſitoribus, dicitur. In *Octav. Cap. 27*, *gratuito, aut levi fœnore*, ſi *gratuito* ad *fœnus* referas, exiſtet *fœnus gratuitum*, quod explicari poſſe, Viri docti negant. Itaque *Burmannus* ſubſtantive capit, ut *gratuitum* dicatur pro pecunia gratuita, ſeu ſine fœnore data; ſed rectius ibi Cl. *Erneſti, ego putem*, inquit, gratuito *ad* fœnore *referri; ſi non, ut per ſe dici poſſit* fœnus gratuitum, *at ut hic ferri poſſit, quia in levi fœnore latet notio pecuniæ, ſub levi fœnore datæ, ad quam* gratuito *refertur. Nam ea obſtrinxit eos, non fœnore ipſo. Ejuſmodi* συλλήψεις *apud Græcos & Latinos valde frequentantur. Cap. 28: Retulit etiam, ut colonis - - civitas adimeretur, quod per ambitionem & ultra præſcriptum data eſſet*; ubi hærent Viri docti, quid ſit *ultra præſcriptum*, nec *Burmannus* rem acu tetigit, cum, alios ſecutus, explicat de *nimis magno colonorum numero*. Sed colonorum numerus nulla lege definiri poterat. Igitur recte & eleganter Cl. *Erneſti* verba, *civitas colonis Novocomenſibus* ultra præſcriptum *data eſt*, explicat, *jus civitatis iis ſine idonea cauſa datum eſt*, idque indicant verba *per ambitionem*, hoc eſt, gratiæ tantum colligendæ cauſa. *Tib. Cap. 11: Forte quondam in diſponendo die, mane prædixerat, quicquid ægrorum in civitate eſſet, viſitare ſe velle.* Mirum eſt, quos fluctus in hoc ſimpulo moverint Interpretes. *Burmannus*, qui hunc locum difficilem & conclamatum vocat, aliorum conjecturis bene refutatis, affert aliam non meliorem, ut legatur *equorum*, pro quo intellectum ſit *ægrorum*. Sed audiamus Eruditiſſimum *Erneſti*, qui ſimpliciſſime & rectiſſime locum ſic interpretatur: *Suetonius exempla miræ civilitatis & officiorum, cum graculis ex æquo uſurpatorum, afferre vult. In hoc genere eſt haud dubie viſitare ægrotos. Ergo quondam, cum tempus diei mane diſponeret, dixit, ſe hodie ægrotos viſitare velle. Id intelligebant aliter, atque ipſe volebat, qui aderant. Nempe, quia non poterant in animum inducere, Tiberium ita ſe velle demittere, ut ædes cujuſque ægroti adiret, & ibi viſeret, putabant, eum ægrotos omnes afferri velle, ut viſere poſſet:*

itaque deſerri juſſerunt in locum publicum &c. Omnia nunc plana & perſpicua. Locum illum maxime impeditum in *Claudio Cap. 9, in vacuum lege prædiatoria venalis pependerit*, quem nullus interpres expedire potuit, recte ſic explicat, ut dicat, præſcriptam fuiſſe prædiorum *Claudii* auctionem, ſed id factum tantum eſſe contumeliæ & ſollicitudinis injiciendæ cauſa, non ut auctio fieret, neque auctionem prædiorum conſtituta die factam. In *Ner. Cap. 16; Vetiti quadrigariorum luſus* &c. Hunc locum Interpretes corruptum putarunt, adeoque, ſe non intelligere, faſſi ſunt. At Noſter eleganter ita interpretatur: *Mos invaluit paulatim*, inquit, *ut quadrigariis, poſt præſtitam in Circo operam, liceret vagari per urbem, præmiola paſſim petere, atque veluti per jocum auferre, ſi quid poſſent*, unde idem Vir Doctiſſ. explicari poſſe putat illum locum, non minus obſcurum, *in victoria quadrigarium*, apud *Cic. Fragm. Orat. in Toga candida*. *Cap. 32: Dictaque omnia, quibus modo delator non deeſſet, tenerentur;* ubi *Burmannus* nodum in ſcirpo quærit. Negat enim, Latine *delatorem* jungi *rei*, dubitat porro, an facta *lege teneri* dicantur, &, utrumque tantum de hominibus dici, putat. Sed, in utroque falſum eum eſſe, oſtenditur locis *Ciceronis Verr. II, 28, & Agrar. III, 1.*

Excurſus ad calcem adjecti ſunt *XXXV*, de quibus aliquid dicendum videtur. *Primo* igitur defenditur *Suetonii* locus *Cæſ. Cap. 20* de actis ſenatus populique, quæ a *Cæſare* inſtituta dicuntur, adverſus eos, qui e fragmentis notis, ut putantur, actorum, *Cæſare* antiquiorum, fidem *Suetonii* in ea re oppugnant, oſtenditurque pluribus, id quod jam *Weſſelingio*, V. C. & *Dukero* in mentem venit, ea fragmenta eſſe ſpuria, nec ante *Cæſarem* ulla acta eſſe confecta. *Exc. II* explicatur notio jurisdictionis, qualis ſub Cæſaribus fuit, cum antea in *Clave Ciceroniana* demonſtratum eſſet, qualis libera republica fuiſſet. *Exc. V* oſtenditur, *regiam theatri Aug. Cap. 31* nihil eſſe niſi porticum, ſeu baſilicam. *Octavo* agitur de *acroamatis*, oſtenditurque, id nomen de perſonis tantum dici veteribus. *Decimo* defenditur locus *Suetonii Tib. Cap. 26* de tertio Conſulatu *Tiberii*,

usque

Digitized by Google

usque in Idus Majas geſto, qui pugnare creditur cum inſcriptione apud *Gruterum XXVI*, *9*, oſtenditurque, *Suetonio* eſſe ſermonem de tertio *Tiberii* Conſulatu in principatu geſto, qui diverſus a tertio illo, quem cum *Germanico* ſecundum Conſule geſſit. *Exc. XII* conciliatur *Suetonius Tib. 37* cum *Tacito Ann. III*, *60*, qui, *Tiberium*, dicit, modum aſylis præſcripſiſſe, cum *Suetonius* vim moremque aſylorum abolitum dicat, quod vulgo ita accipiunt, quaſi plane ſublata fuerint aſyla, quod ſecus eſſe oſtenditur e conſuetudine Latine loquendi. *Exc. XV* late & accurate agitur de comitibus *Caſarum*, in quibus explicandis vulgo non ſatis diſtincte verſantur Viri docti. *Exc. XXI* plane docetur in *Calig. Cap. 20*, neque aſticos, neque atiacos, ludos locum habere, ſed iſelaſticos, ut aliis jam viſum, & quales iſelaſtici ibi intelligendi, nempe Iſthmici. *Exc. XXII* de ſolariis agitur ad *Claud. Cap. 10*, refelluntur que Viri docti, inprimis *Burmannus*, qui ibi e lectione Codicum quorundam *ſcolarium* corrigi volunt *ſcalarium*. Docet Vir Doctiſſ. *ſcalarium* ne quidem Latinum verbum eſſe, & fruſtra in Lexicis id verbum firmari e *Vitruvio V*, *6*, ubi ſunt ſcalaria, ſed a ſingulari *ſcalare*, non *ſcalarium*, quod ſola *Gloſſarii Labb.* autoritate nititur. Scolarium haud dubie eſt vitioſa ſcriptura pro *ſolarium*. Nam ſæpe in libris ſcriptis *ſc*. pro *ſ*. in verbis quibusdam ſcribitur, quod e modo pronuntiandi ortum, quo librarii utebantur. *Exc. XXIII* oſtenditur ad *Claud. Cap. 20*, *Claudium* omnino Fucini lacus emiſſionem abſolviſſe, quod quidam negarunt, inducti inſcriptionibus antiquis, quibus id *Nervæ* tribuitur. Non meminerat tum Vir Doctiſſ. id jam demonſtraſſe *Fabrettum* in libello *de Fucini emiſſario*. *Exc. XXVII* late oſtenditur, *Tit. Cap. 9* veram lectionem eſſe *ferramenta*, non *ornamenta*; *Exc. XXVIII*, in *Domit. Cap. 17* legendum eſſe, ut voluit *Ferrarius*, *dolonem*. Sed rationes Viri Doctiſſ. commemorare accurate non licet, nec cetera omnia, quæ in ceteris *Excurſibus* traduntur.

COMMENTARII ACADEMIÆ SCIENTIARUM Imperialis Petropolitanæ. Tomus IX, ad Annum 1737.

Digitized by Google

Petropoli, typis Academiæ, 1744, 4 maj.
Alph. 2 plag. 16, Tabb. æn. 17.

Quæ in præſenti *Tomo* continentur Celeberrimorum Virorum ingenii & induſtriæ monumenta, ea ita comparata ſunt, ut, ſive materiarum varietatem & ſelectum, ſive inventorum, hic luci expoſitorum, dignitatem, ſive experimentorum & obſervationum præſtantiam, ſpectes, is nulli præcedentium *Voluminum* ſecundus videri poſſit. Quare, cum ad laudes ejus, hoc ipſum dixiſſe, ſatis ſit, ſtatim ad penitiorem ejus notitiam Lectoribus noſtris impertiendam nos accingimus. Primum locum occupat *Claſſis mathematica.* In ea
Pag. 1. agmen ducit 1) *Jo. Bernoullii Diſſertatio hydraulica de motu aquarum, per vaſa, aut per canales, quamcunque figuram habentes, fluentium.* Quamvis hæc Diſſertatio, propter novam penitus & eximiam, quam Vir ſummus ex ipſis genuinis Mechanicæ principiis primus deduxit, motus fluidorum theoriam, ſingularem prorſus apud Mathematicos attentionem mereatur; tamen, cum ea, una cum *Parte* ipſius *ſecunda*, jam in Viri hujus Celeberrimi *Operum Tomo IV* ſit edita, ejusque in horum recenſione a nobis mentio ſit facta (vid. *Nova Acta Erud. A. 1744 Menſ. Majo pag. 166 ſeq.*) ulteriori ejus expoſitione
50. nunc ſuperſedemus. Progredimur itaque 2) ad *L. Euleri* Schediasma *de communicatione motus in colliſione corporum, ſeſe non directe percutientium.* Equidem quæſtio de colliſione corporum, tam elaſticorum, quam non elaſticorum, jam a pluribus, iisque inclytis, Geometris eſt pertractata; ſed ita, ut non niſi caſus maxime particularis ſit conſideratus, quippe in quo ponitur, lineam, centra gravitatis duorum corporum jungentem, non ſolum per contactum tranſire, ſed & utrique ſuperficiei in hoc contactu normaliter inſiſtere, ut in corporibus ſphæricis fieri ſolet. Problema igitur generalius concepit Cel. præſentis Diſſertationis Autor, & inquiſivit, quid accidat, ſi duo corpora ſe quomodocunque oblique percutiant. Hujus itaque tres caſus præcipuos, gradu maxime inter ſe differentes, conſtituit. Vel enim utraque recta ex centris gravitatis duo-

Digitized by Google

duorum corporum ad contactum ducta eſt ad planum per contactum tranſiens perpendicularis; vel una ſaltem recta ex unius corporis centro gravitatis huic plano eſt normalis; vel denique utraque recta in planum hoc oblique incidit. Quod ad methodum attinet, qua ſolutionem executus eſt Cel. Autor, primo quidem ad actionem corporum in ſe invicem diſtincte concipiendam in puncto contactus ſubſtituit elaſtrum, quod vi ſua utrumque corpus urgeat; unde eſſentialis intelligi poteſt corporum, vel elaſticorum, vel non elaſticorum, differentia, prout vel elaſtrum ſe reſtituit, donec in priſtinum ſtatum pervenerit, vel, quando in ſtatum maximæ compreſſionis redactum eſt, vis ejus ſubito evaneſcere ponitur. Reducta hoc modo actione corporum in colliſione ad potentias ſolicitantes, res eo redit, ut generatim effectus ejusmodi potentia in corpus quodvis determinetur; cui negotio cum vulgaria Mechanicæ principia (quibus corpora tantum ut puncta ſpectantur) non ſufficiant, alia, eaque nova, a ſe detecta, adhibet Vir Clariſſimus; etſi ipſum eorum fundamentum hic explicare non inſtituerit. Poteſt autem motus in corpore a potentia oriundus eſſe duplex, vel progreſſivus, quo centrum gravitatis gaudet, vel gyratorius, quo totum corpus circa hoc centrum convertitur, idque circa axem, aut fixum, aut mobilem. Eos vero motus hic tantum conſiderat, qui in eodem plano fiunt, ideoque ſupponit, centra gravitatis corporum, & punctum contactus, motusque directiones, in eodem plano horizontali jacere, ac præterea ſectionis cujusvis horizontalis centrum gravitatis in eadem verticali eſſe ſitum, quo ipſo axis gyrationis ſemper eſt immobilis, & cum hac recta coincidens. His poſitis, ipſa declarat principia, quibus ad præſens inſtitutum utitur. Primo itaque ſumit, corpus omne motum ſuum progreſſivum retinere eundem, quomodocunque gyratorius mutetur, & vice verſa gyratorium conſervare, quacunque ratione immutetur progreſſivus. Quando vero alteruter a potentia externa alteratur, id quomodo fiat, ſic definit: Si corporis puncto cuicunque applicetur potentia, ea in motum progreſſivum haud alium habebit effectum, ac ſi tota maſſa

cor-

corporis in centro gravitatis eſſet concentrata, eique potentia datæ æqualis & parallela applicaretur; unde is per notiſſimam legem mechanicam de actione potentiæ in punctum obliqua facillime definitur. Ad motum vero gyratorium quod attinet, concipiantur ſingulæ corporis particulæ multiplicatæ in quadrata diſtantiarum ſuarum ab axe rotationis, quorum factorum omnium ſumma ſit $= S$; dicatur diſtantia puncti, cui vis applicatur, ab hoc axe $= f$, ejusque celeritas angularis $= \frac{u}{f}$, ſinus autem anguli, quem directio cum recta ad axem ducta efficit, $= m$, eritque a potentia p tempuſculo dt productum celeritatis angularis decrementum $\frac{du}{f} = \frac{mfpdt}{S}$. Principia, modo allata, nunc applicat V. C. ad ſecundum & tertium caſum corporum, ſe percutientium. Primus enim hiſce principiis non indiget, quippe in quo potentia & per centrum gravitatis tranſit, & nullum motum gyratorium producere poteſt. Utroque caſu conſiderat corpora & elaſtica, & non elaſtica; &, quomodocunque moveantur ante occurſum, definit eorum poſt colliſionem motum tam progreſſivum, quam, ſi quem habeant, gyratorium. Methodo autem uſus eſt peculiari, qualem jam ante ad vulgares colliſionum leges eliciendas adhibuit. Denique inquirit, an etiam in obliquis hiſce colliſionibus eadem virium vivarum quantitas ante & poſt conflictum maneat; qua de re invenit notatu dignum, quantitatem motus quidem mutari, virium vero vivarum eandem omnino conſervari, novo principii hujus cum firmiſſimis Mechanicæ fundamentis conſen-

Pag. 77. ſus argumento. *Ge. Wolfg. Kraftius* 3) *Specimen Algebræ, ad Architecturam militarem applicatæ*, ſiſtit. Laude omnino digniſſimum eſt eorum inſtitutum, qui iis doctrinis, quæ circa praxin verſantur, theoriam admovere, hujusque ope eas partim ad majorem certitudinis gradum evehere, partim ea, quæ non niſi tentando reperiri ſolent, certis fundamentis ſuperſtrue-

ſtruere conatur. Attamen inficias iri nequit, hunc conatum non ſemper ex voto ſuccedere, duplici incommodo ſucceſſum impediente. Aut enim tot tantæque ſeſe offerunt circumſtantiæ, ſibi invicem permixtæ, quas ad certas leges revocare, vel Analyſi ſubjicere, laborem haud ſuperabilem requirere videtur; aut, ſi ad eum facilitandum quasdam ſaltem circumſtantias in computum ducere inſtituamus, reliquæ neglectæ non ſolum errori notabili locum relinquunt, ſed & ſæpe accidit, ut, quæ ex illis deducta ſunt, hiſce contradicant, adeoque prorſus ſtare nequeant. Accidit tale quid in præſenti Diſſertatione, in qua Cl. Autor conſtructionem propugnaculorum talem, ut maximum quoddam in iis obtineatur, inveſtigare conſtituit. Eum nempe finem præ reliquis proponit, ut ſpatium, ipſo propugnaculo contentum, ſit, quantum fieri poteſt, capaciſſimum. Ad hoc vero obtinendum requiritur, ut certæ lineæ, vel anguli, aſſumantur pro datis, quorum cum plures in munimento occurrant, haud ſtatim patere videtur, quasnam eligere expediat. Primo igitur ponit, datum eſſe majorem munimenti radium, faciemque & alam longitudine, nec non eam poſitionem alæ, ut producta occurrat radio in angulo cognito (qui, ſi ala cortinæ normalis ſtatuatur, æqualis eſt dimidio angulo ad centrum,): quærit autem angulum propugnaculi, qui efficiat ſpatium, linea, extremitates alarum, quæ cortinis adjacent, jungente, incluſum, omnium ſui generis maximum. Ex formula, per vulgares regulas calculi differentialis prodeunte, computavit angulos pro variis laterum numeris in methodo Batava antiqua. Ita e. g. pro quadrato prodit $= 102°$, pro Pentagono $= 106°$, pro Hexagono $= 109$ &c. Sed fatendum, propugnacula, hac ratione conſtructa, multo majori laborare incommodo, quam ut tolerari queant; facies nempe aut plane nullam, aut multo minorem, quam par eſt, defenſionem ab aliis ſuis oppoſitis accipiunt, quod primis muniendi principiis ſtatim contrariatur. His igitur rejectis, aliam viam iniit Autor: Ponantur nempe data Polygoni exterius & normalis ex centro in illud demiſſa; in hac ergo aſſumendum erit punctum, a quo ad extremitates lateris

Digitized by Google

ductæ lineæ poſitionem facierum definient, quo facto, linea defenſionis ac ipſa facies longitudine poſſunt ſtatui tantæ, quantum videbitur optimum. Manifeſtum autem eſt, tres rectas, radium, & duas lineas defenſionis, conſtituere triangulum, cujus partem efficit propugnaculum dimidium. Quærit ergo punctum in normali tale, ut hoc triangulum, ideoque ipſum propugnaculum, fiat maximum. Inſtituto calculo, prodit ea pars normalis, e centro demiſſæ, quæ perpendiculum dici ſolet, $= \frac{414}{1000}$, ſeu proxime $\frac{2}{5}$ totius normalis. Unde quidem facillima emergit conſtructio, ſed novo ſimul defectu laborans, cum nempe angulus propugnaculi prodeat perquam acutus, & quidem hoc acutior, quo magis augetur numerus laterum. Sunt itaque ea, quæ huſce methodis inventa ſunt, ita comparata, diffitente nequaquam ipſo Autore, ut nihil ad ipſam Architecturæ militaris emendationem utilitatis exinde redundare videatur. Quæ cum ita ſint, tamen inutilem prorſus operam in iis exponendis navaſſe haud cenſendus eſt Autor; cum in ſcientiis non eas ſolum vias, quibus ad veritatem pergitur, ſed &, quæ ad eam non deducunt, noſſe expediat, ne in his calcandis cum magno laboris & temporis diſpendio fruſtra verſemur. Sequenti Diſſertatione *L. Eulerus* 4) *de conſtructione æquationum differentialium inventa* exponit. Monet primo, ſi æquatio differentialis non ſit algebraice integrabilis, adeoque per quadraturas, vel rectificationes, conſtructio ejus quærenda ſit, id methodis conſuetis fieri non poſſe, niſi ipſa ſit tantum primi gradus, & præterea ſeparabilis. Aliam itaque methodum adhibendam eſſe, ſi vel ipſa ſit non ſeparabilis primi gradus, vel altiorum graduum; qualis fluit ex ejus methodo pro infinitis curvis ejuſdem generis, in his *Comment. Tom. VII* explicata, cujusque uſus jam in conſtructione æquationum per rectificationem Ellipſeos *Tomo præcedenti* oſtenſus eſt. Ejus palmaria momenta jam patent ex iis, quæ in recenſione *Tomi VII* diximus. Æquatio nimirum ad curvas infinitas ejusdem generis, vel *modularis*, dicitur, quam præter coordinatas xz etiam recta quædam a, pro una curva conſtans, ſed pro diverſis variabilis, quæque *modulus* audit, ingre-

Pag. 85.

greditur. Si jam æquatio inter xza ſit algebraica, hæc ipſa quoque erit modularis. Sed, ſi non detur æquatio curvæ algebraica, ſed ſit $z = \int Pdx$, ubi P functio quævis ipſarum $x\ a$ & conſtantium, & quæratur æquatio modularis, hæc primum peculiari modo eruenda eſt. Cum enim in integratione ipſius $\int Pdx$ conſideranda ſit a ut conſtans; hic contra quæritur æquatio differentialis primi altiorumve graduum, in qua præter xz etiam differentialia variabilis a inſint. Quod quomodo fieri poſſit, in *Diſſertatione* citata oſtenſum eſt. Continebit autem æquatio hæc modularis duas tantum variabiles, quoties z, vel x, per a datur. Sed quoque patet, tunc eam ſemper poſſe conſtrui ope æquationis $z = \int Pdx$, adeoque per quadraturas. Nam vi hujus, quoties z, vel x, per a datur, determinabitur ſemper altera x, vel z, per a; id eſt, pro quavis variabili alterutra, pro lubitu aſſumta, dabitur altera, in quo conſiſtit æquationis conſtructio. Id ergo agit in præſenti Cel. Autor, ut, quænam æquationes differentiales primi altiorumve graduum, ope æquationis hujus formæ $z = \int Pdx$ (ex qua nempe ceu modulares derivantur,) poſſint conſtrui, inquirat. Hunc in finem aſſumit talem æquationem $z = \int e^{ax} Xdx$, in qua X functionem ſolius x & conſtantium denotat; & quærit, qualem valorem X habere debeat, ut æquatio modularis vel primi, vel ſecundi, &c. gradus evadat. Et quidem, ſi tantum primi gradus prodeat, fatendum eſt, eam ejus eſſe formæ, ut etiam regulis conſuetis ſeparari queat, unde, hanc methodum pro iis adhibere, opus non eſſe videatur. Pergit itaque ad valores ipſi X tales tribuendos, ut æquatio modularis reſultet ſecundi gradus. Hanc iterum ad primum variis artificiis reducit, adeoque æquationem differentialem primi gradus exhibet, methodis cognitis nulla ratione tractandam, ſed quæ dicto modo non ſolum generatim conſtrui, ſed & caſibus particularibus algebraice integrari, poteſt. Sub ea quoque comprehenditur æquatio, a Comite *Riccato* quondam propoſita, ac inter Geometras notiſſima, cujusque conſtructio univerſalis exhibetur.

 Sed,

Digitized by Google

Sed, cum hæc omnia ſint ita comparata, ut pro inſtituti noſtri ratione breviter adumbrari nequeant, & præterea Lectorem requirant, qui primum ipſam methodum pro æquationibus modularibus ſibi familiarem reddiderit, jam quidem plenius a nobis explicari haud poſſunt.

Pag. 98. Idem Vir Cel. 5) *de Fractionibus continuis* diſſerit. Monet primo, duo inprimis in Analyſin recepta eſſe, ad exprimendas quantitates difficulter aſſignabiles, ſerierum genera, quorum unum continua additione ſubductioneve, alterum multiplicatione, terminorum formatur. His merito adjungendum tertium, ubi termini diviſione continua connectuntur. Quod etſi parum adhuc fuerit excultum; varia tamen Autor in ejus cum inventione, tum uſu, notatu digna deprehendit, ſuasque obſervationes, ad doctrinam iſtam ulterius perficiendam maximo adjumento futuras, hic exponere, operæ pretium duxit. Dicit has ſeries *fractiones continuas*. Earum forma generalis hæc eſt:

$$a + \cfrac{\alpha}{b + \cfrac{\beta}{c + \cfrac{\gamma}{d + \&c.}}}$$

quod ita ſcribemus: $a + \alpha : (b + \beta : (c + \gamma : (\delta + \&c.)))$. Denotat nempe quantitatem integram a, + fractione, cujus numerator α, denominator vero conſtat ex integro b, & fracto, cujus numerator β, denominator vero iterum integer c, & fractus, atque ita porro in inf. quantitates α, β, γ, &c. *numeratores*, alias vero b, c, d, &c. *denominatores*, appellat. Primus ejusmodi ſeriem adhibuit Vice-Comes *Brouncker*, (ut ex *Walliſii* Operibus conſtat,) ad exprimendam nempe rationem areæ circuli ad quadratum diametri, quam invenit, ut 1 ad $1 + 1 : (2 + 9 : (2 + 25 : (2 + 49 : (2 + \&c.))))$ ubi numeratores ſunt quadrata numerorum imparium, denominatores 2. Ea autem utiliſſima eſt harum ſerierum indoles, ut ipſarum valor vero proximus, limitesque, intra quos conſiſtit, aſſignari queant. Eſt enim a valor juſto minor, $a + \alpha : b$, juſto

juſto major, $a + \alpha : (b + \beta : c)$, iterum vero minor, atque ita porro; unde, quo longius continuatur, eo propius vero acceditur. Hinc quoque, reducendo has expreſſiones ad fractiones ordinarias, formari poteſt ſeries, hoſce valores ſucceſſive exhibens, cujus progreſſio facile perſpicitur, & quæ citiſſime convergit; quod quomodo fieri poſſit, Autor fuſe perſequitur. Quemadmodum vero ſic fractiones continuæ poſſunt ad ordinarias redigi; ita viciſſim hæ poſſunt in illas mutari. Sic fractio $A : B$, dividendo A per B, ut ſit quotus a, reſiduum C, & dividendo iterum B per C, ut ſit quotus b, reſiduum D &c., evadet $= a + 1 : (b + 1 : (c + \&c.))$. Quare, cum per præc. poſſit ſeries valorum fractionis continuæ, vero continuo propiorum, concinnari, exinde ſolvetur Problema: Datam fractionem communem, ex numeris permagnis conſtantem, convertere in ſimpliciores, quæ ad illam tam prope accedant, quam fieri poteſt, numeris non majoribus. Hujus exempla quædam elegantia afferuntur, e. g. ratio peripheriæ ad diametrum $355 : 113$ convertitur in hanc ſeriem $\frac{3}{1}$, $\frac{22}{7}$, $\frac{355}{113}$; docetur, qua ratione anni biſſextiles intercalandi ſint, ut cum motu ſolis optime congruant. Si enim annus tropicus ſtatuatur $= 365^d, 5^h, 49', 8''$, exceſſus ſupra 365 dies erit $5^h, 49', 8''$, cujus ratio ad 24^h eſt $5237 : 21600$, unde exacte intervallo 21600 annorum 5237 biſſextiles conſtituendi forent; ſi autem deſiderentur periodi minores, habebitur ſeries $\frac{136}{33}$, $\frac{268}{65}$, $\frac{400}{97}$, &c. quarum tertia ad computum expeditiſſima, docet, inter 400 annos debere eſſe 97 biſſextiles, ut re vera in Calendario *Gregoriano* fit. Pergit Autor ad varias expreſſiones in fractiones continuas transformandas, e. g. $\sqrt{2} = 1 + 1 : (2 + 1 : (2 + 1 : (2 + \&c.)))$, ubi denominatores conſtituunt progreſſionem arithmeticam; quod idem valet de poteſtatibus numeri $e = 2,718281$ &c. cujus logarithmus hyperbolicus eſt unitas, e. g. $e = 2 + 1 : (1 + 1 : (2 + 1 : (1 + \&c.)))$. Cum autem progreſſio illa ſit modo continua, (ut in exemplo priori,) modo interrupta, (ut in poſteriori,) docetur methodus,

 fra-

fractionem continuam poſterioris generis in aliam prioris mutandi, & vice verſa; idque, quantacunque ſit numerus denominatorum, reliquos interrumpentium. Finem imponit huic Diſſertationi uſus fractionum continuarum in reſolutione æquationum differentialium. Oſtenditur enim, illarum ope integrationem æquationis $ady + y^2dx = x^{\frac{-4n}{2n+1}}dx$, reduci ad integrationem hujus $adq + q^2dp = dp$, ubi $p = (2n+1)\, x^{\frac{1}{2n+1}}$, q autem exprimitur ex pxy per fractionem continuam. Exinde quoque demonſtrari poteſt, (quod antea tantum per inductionem collegerat) omnes poteſtates ipſius e exprimi fractionibus continuis, quarum denominatores ſunt in progreſſione arithmetica. Denique docetur, generatim fractionis continuæ, in qua denominatores progreſſionem arithmeticam quamvis conſtituunt, valorem pendere a reſolutione æquationis differentialis hujus formæ $dq + q^2dr = nr^{n-2}dr$, quam redire ad notiſſimam æquationem *Riccatianam* manifeſtum eſt, pro qua caſus integrabiles ab Analyticis determinati ſunt. Sequitur 6) *Frid. Moula, de Maximis in figuris rectilineis* diſquirens. Fatemur, nobis haud adeo mirum videri, applicationem calculi differentialis ad figuras rectilineas a nemine, adhuc publice eſſe expoſitam, cum hæc materia nemini, in hoc calculo tantillum exercitato, difficultatem parere poſſit; nullique dubitamus, Autorem præſentia Problemata tantum exercitii gratia, & in uſum tironum, conſcripſiſſe. Interim, etſi nihil novi reſpectu methodi in iis occurrat, poterunt tamen aliis quoque hunc in uſum inſervire, ne, dum illis in Analyſi forſan indigent, ea denuo ipſi computare opus habeant. Verſatur vero totum negotium in determinandis areis maximis figurarum, ex datis laterum, vel angulorum, conditionibus. Incipit a triangulis: Si dentur duo latera, ut area fiat ma-

Pag. 138.

maxima, debent ea componi ad angulum rectum; ſi latus unum & ſumma reliquorum, utrumque debet æquari ſummæ hujus dimidio; ſi latus & angulus oppoſitus, vel perimeter & angulus, conſtruendum eſt triangulum circa hunc iſoſceles; ſi denique perimeter, ex eo efficiendum eſt æquilaterum. Pergit ad quadrilatera: ſi dentur quatuor ejus latera, maximam habebit aream id, quod circulo inſcribi poteſt. Hac occaſione demonſtrat duo Theoremata de quadrilatero; tradit etiam formulam pro inveniendo radio circuli circumſcriptibilis ex datis lateribus $a, b, c, d, r = \surd\,(ab + cd)(ac + bd)(ad + bc) : \surd(a + b + c - d)(a + b - c + d)(a - b + c + d)(-a + b + c + d)$. Si dentur tria latera cum angulo duobus ipſorum comprehenſo, tertium diagonali normaliter applicandum eſt; ſi detur unus reliquorum, vel ſi dentur tria latera, devenitur ad æquationem cubicam; ſi duo latera, reliquorum ſumma, hæc fiet hujus dimidia; pariter, ſi vel unum & trium reliquorum ſumma detur, quæſita latera capienda ſunt inter ſe æqualia. Denique Polygona conſiderat. Si quidem dentur omnia latera, illud circulo inſcriptibile eſſe debet; ſi unum latus & reliquorum ſumma, vel ſumma omnium, valent dicta de quadrilatero; unde tandem concludit, polygonum quodvis regulare, adeoque & circulum, inter omnes figuras iſoperimetras eſſe maximum. Ceterum patet, pleraque, hic allata, Problemata ne quidem calculo analytico indigere, ſed vel a priori ſtatim, vel tamen facili Analyſi mere geometrica, poſſe detegi. Audiamus nunc 7) *Eulerum, varias obſervationes circa ſeries infinitas* exponentem. Pag. 160. Series, quas Vir Cel. hic proponit, ſingularis prorſus ſunt indolis. Quæ enim huc usque ab Analyticis conſideratæ ſunt, in his vel terminus generalis aſſignari poteſt, adeoque quivis terminus ex numero ſuo datur, vel ſaltem ejus valor ex præcedentibus aliquot terminis definitur; horumque alterutrum etiam ad inveniendam earum ſummam methodis adhuc notis requiritur. Contra hic allatæ ſeries nullam legem progreſſionis agnoſcunt; nihilo minus tamen earum ſummæ determinari poterunt. Primus ejusmodi ſeriem reperit

Digitized by Google

perit Cel. *Goldbachius*, noſtroque cum Autore communicavit, quæ etiam ipſum ad præſentes obſervationes deduxit. Ab hac igitur initium facit, noſtrisque adeo Lectoribus haud ingratum fore confidimus, ſi de ſummatione ejus Theorema cum Demonſtratione huc transferamus, cum & ipſa ſe mira ſua ſpecie commendet, & ad ſequentia intelligenda plurimum faciat. Sit nempe ſeries in infinitum continuata: $\frac{1}{3} + \frac{1}{7} + \frac{1}{8} + \frac{1}{15} + \frac{1}{24} + \frac{1}{26}$, &c. cujus denominatores unitate aucti dant omnes poteſtates omnium numerorum integrorum, ſeu cujus terminus quivis

$$\frac{1}{m^n - 1}$$

exprimitur per $m^n - 1$, denotantibus m & n numeros integros unitate majores. Erit ejus ſumma $= 1$. Ponatur enim $x =$ ſummæ ſeriei harmonicæ $1 + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4} + \frac{1}{5} + \frac{1}{6}$ &c. Jam, cum ſit $1 = \frac{1}{2} + \frac{1}{4} + \frac{1}{8}$, &c., ſubducetur hæc ab illa, fitque $x - 1 = 1 + \frac{1}{3} + \frac{1}{5} + \frac{1}{6}$ &c.; unde jam ex denominatoribus excluſi ſunt binarius, ejusque poteſtates omnes. Eadem ratione ſubducantur ſequentes ſeries $\frac{1}{2} = \frac{1}{3} + \frac{1}{9} + \frac{1}{27}$, &c., $\frac{1}{4} = \frac{1}{5} + \frac{1}{25}$ &c. atque ita porro, & ſublatis terminis omnibus in membro dextro prodibit: $x - 1 - \frac{1}{2} - \frac{1}{4} - \frac{1}{5}$ &c. $= 1$, ſeu $x - 1 = 1 + \frac{1}{2} + \frac{1}{4} + \frac{1}{5}$ &c., ubi patet, denominatores, unitate auctos, præbere omnes numeros, qui non ſunt poteſtates. Quare, ſi præſens ſeries ſubducatur ab initio aſſumta $x = 1 + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4} + \frac{1}{5} + \frac{1}{6}$ &c., relinquetur $1 = \frac{1}{3} + \frac{1}{7} + \frac{1}{8}$ &c., cujus denominatores unitate aucti dant omnes numeros, qui ſunt poteſtates. Q. E. D. His præmiſſis, plura tradit Theoremata circa ſummas ejusmodi ſerierum, haud minus elegantium, quæ inprimis ad tria genera redeunt. Aliæ enim oriuntur (ut præcedens) additione, vel ſubductione, terminorum, quorum denominatores generantur, certâ quadam lege ex poteſtatibus numerorum; ita e. g. ſeries: $1 - \frac{1}{8} - \frac{1}{24} + \frac{1}{28} - \frac{1}{48} - \frac{1}{80}$ &c. cujus denominatores ſunt omnes numeri pariter pares, unitate vel majores, vel mi-

nores,

nores poteſtatibus numerorum imparium, quorum illi habent $+$, hi $-$, ſumma reperitur $= \frac{\pi}{4}$ denotante π peripheriam circuli ad diametrum 1. Aliæ contra formantur multiplicatione terminorum, e numeris primis genitorum; e. g. ſumma ſeriei $\frac{2.\,3.\,5.\,7.\,11.\,13.\,17}{1.\,2.\,4.\,6.\,10.\,12.\,16}$ &c. cujus numeratores ſunt omnes numeri primi, denominatores vero iidem unitate minuti, æquatur ſummæ ſeriei harmonicæ $1 + \frac{1}{2} + \frac{1}{3} + \frac{1}{4}$ &c. Aliæ denique generantur additione, vel ſubductione, terminorum, quorum denominatores a numeris primis certa conditione originem trahunt. Ita e g. ſequens ſeries ſimplicitate ſua ſe commendat: $1 - \frac{1}{2} + \frac{1}{3} - \frac{1}{4} - \frac{1}{5} + \frac{1}{6} - \frac{1}{7} - \frac{1}{8} + \frac{1}{9} + \frac{1}{10}$ &c. ubi omnes numeri primi habent $-$, compoſiti vero tale ſignum, quale ipſis competit ex multiplicatione primorum; cujusque in infinitum continuatæ ſumma eſt $= 0$. Quæ omnia ſerierum ſummationi & transformationi novam prorſus lucem accendere, non eſt, quod multis prædicemus. Progredimur 8) ad Diſſertationem *Dan. Bernoullii de variatione motuum a percuſſione excentrica.* Percuſſionem excentricam definit, quando normalis, ad corporis ſuperficiem per punctum impulſus ducta, non per centrum gravitatis tranſit. Verſatur ergo circa eandem materiam, quam ſupra Cel. *Eulerum* pertractaſſe notavimus. Tales varo hypotheſes præſenti Problemati inducit, ut primo ponat, motum fieri ſuper plano horizontali perfecte levi, axemque rotationis ipſi eſſe normalem, ut & directionem impulſus in plano horizonti parallelo, per centrum gravitatis tranſeunte (quo idem maneat axis rotationis); denique ipſam percuſſionem fieri in inſtanti. His poſitis, conſiderat totum corpus tanquam diviſum in infinita ſtrata horizontalia, eaque omnia ponit quaſi unita in plano per centrum gravitatis, adeo ut nunc percuſſio duorum corporum redeat ad percuſſionem duarum figurarum quarumvis & quomodocunque inæqualiter gravium, Pag. 207.

motu tam progreſſivo, quam rotatorio, motorum. Primo igitur quærit, ſi figura talis alicubi percutiatur, hinque motum gyratorium circa punctum aliquod acquirat, qualis maſſa toti figuræ in puncto impulſus debeat ſubſtitui, ut acceleratio eodem modo fiat. Reperit nempe, ſi corporis, e puncto illo gyrationis ſuſpenſi, quæratur centrum oſcillationis, cujus ab eo diſtantia ſit $= t$, centri gravitatis autem diſtantia $= r$, & diſtantia puncti impulſus $= a$, maſſa figuræ $= M$, maſſam ſubſtituendam fore $= \frac{rt}{aa} M$. Hinc jam ipſe motus ex legibus percuſſionis ordinariis definiri poteſt. Si vero nunc ponatur figura libera, ſeu nullibi fixa; res eo redit, ut primo inveniatur punctum gyrationis, quod ſibi ipſa primo percuſſionis momento eliget (quodque *punctum ſpontaneæ rotationis* dicere meminimus *Jo. Bernoullium* in *Operum Tomo IV*). Conſiderat primo caſum ſimpliciſſimum, ubi loco figuræ ponitur recta utcunque inæqualiter gravis; punctumque quæſitum definit ex eo fundamento, quod, eo aſſumto, inertia totius lineæ debeat eſſe minor, quam ſi utcunque alibi aſſumatur; unde ipſum prodit nil aliud, quam centrum oſcillationis, linea in ipſo puncto impulſus ſuſpenſa. Exinde jam determinat motum virgæ cujusvis, ab alia quavis percuſſæ, poſito utriusque motu & progreſſivo, & rotatorio quocunque, ſive ſint elaſtica, ſive non elaſtica. Simul, omnibus in caſibus eandem virium virarum quantitatem conſervari, oſtendit. Denique hactenus allata traducit generatim ad percuſſionem duarum figurarum quarumvis, in plano libere mobilium, adeoque & corporum quorumvis; ſicque Problema ſub hypotheſibus primo poſitis generaliſſime ſolutum ſiſtit. *Bernoullio* ſuccedit *Eulerus*,

Pag. 207. 9) *Solutionem Problematis geometrici circa Lunulas, a circulis formatas*, exhibens. Problema hocce a Cel. *Goldbachio* quondam eſt propoſitum, ejusque mentio fit in Cel. *Dan. Bernoullii Exercitationibus mathematicis*, Venetiis editis. Poſtulatur nempe, ut in duabus Lunulis, quæ a duobus circulis, ſe mutuo interſecantibus, formantur, duæ rectæ æquales ita appli-

plicentur, ut a Lunulis areas æquales abſcindant. Ejus ſolutio ibi exhibetur non ſolum particularis tantum, ſed & ſynthetica, mereque geometrica, imo ipſa Analyſis algebraica ad id prorſus inepta ſtatuitur. *Quod Analyſeos incommodum*, ait Cel. Autor, *etſi in pluribus Problematis geometricis allegari ſoleat; tamen mihi quidem non tam Analyſi, quam Analyſtæ, imputandum videtur.* Hoc quidem optime ipſo facto in præſenti Problemate oſtendit, idque non modo Analyſi algebraica ſolutum ſiſtit, ſed & hanc geometricæ multum præferendam, propter generalem quam largitur, ſolutionem, declarat. Ad ideam vero ſolutionis, quantum inſtituti noſtri ratio permittit, adumbrandam, attendatur, tria in Problemate deſiderari: primo ipſos circulos, dein ſitum eorum mutuum reſpectu interſectionis, denique modum applicandi rectas æquales, areas etiam æquales abſcindentes. Cum vero areæ hæ ſint mixtilinea, partim e ſectoribus, partim e rectilineis, compoſita, & deſideretur ſolutio algebraica; patet, eam procedere non poſſe, niſi ſeparatim & ſectores & rectilinea ſibi invicem æquentur. Hinc habentur tres conditiones Problematis palmariæ. Primo enim æquandi duo ſectores, poſtea duo rectilinea ex binis triangulis compoſita, denique duæ rectæ abſcindentes. Priori ergo ut ſatisfiat, patet, dictis radiis circulorum *C*, *c*, ſemiſſibus chordarum ſectores ſubtendentium reſpective *B*, *b*, fore $c^2. A. \mathit{ſin}. b : c = C^2. A. \mathit{ſin}. B : C$, ad rad. *1*; unde requiritur, ut ratio $c^2 : C^2$ ſit numeri ad numerum, quo poſito, per formulam pro multiſectione anguli facile reperitur æquatio inter *c*, *b*, & *C*, *B*. Hujus itaque ope poterunt in duobus circulis inæqualibus, quorum areæ ſunt ut numerus ad numerum, conſtrui ſectores æquales, quod ergo infinitis modis licet exequi. Jam pro duabus reliquis conditionibus facile ex reſolutione triangulorum reperiuntur tres æquationes, quas ingrediuntur quatuor novæ incognitæ, unde earum duabus eliminatis, reſtat æquatio pro duabus reliquis, quo ipſo Problema denuo indeterminatum redditur; &, cum ea æquatio ſit localis ad circulum, dare etiam infinitæ ejus ſolutiones pro datis duobus circulis ante

oculos

Digitized by Google

oculos ponuntur. Solutione Problematis ſic generatim effecta, conſiderantur aliqui caſus ſpeciales; ut ſi recte ponantur inter ſe parallelæ, qui ſolvitur per Lunulas quadrabiles, atque is eſt, quem laudatus *Bernoullius* ſolutum dedit; item ſi eæ ponantur ſibi invicem normales. Idem *Eulerus* denique 10) *de variis modis, circuli quadraturam numeris proxime exprimendi*, commentatur. Primo eos, qui hactenus a diverſis Autoribus in uſum vocati ſunt, examini ſubjicit. *Archimedea* methodus, quæ per polygona inſcripta & circumſcripta procedit, admodum quidem naturalis eſt, & digna tanti viri ingenio; ſed propter multoties repetendas radicis quadraticæ extractiones operoſiſſima, quæ cum numero laterum continuo augentur, adeo, ut ejus ope nullo modo ſperare liceat inventionem rationis diametrum inter & peripheriam, quam hodie usque ad *127* figuras decimales poſſidemus. Magis ergo expedita eſt ea, quæ ſeriebus utitur. Duo autem requiſita ejusmodi ſeries habeant, neceſſe eſt. Non enim ſolum debent eſſe valde convergentes, adeo ut pauci tantum termini veritati jam ſatis prope accedant; ſed & ſinguli termini non nimis debent eſſe compoſiti, ut facile computari poſſint; quamobrem eæ præſertim reliquis antecellunt, quarum terminus quivis, computato præcedente, facile in promtu eſt. Cum itaque geometricæ inprimis hac prærogativa gaudeant; erit ſeries, qua arcus per tangentem exprimitur, (& in qua termini progreſſionis geometricæ tantum per numeros impares dividuntur,) ad hunc uſum accommodatiſſima. De hac ergo inprimis disquirit Noſter. Cum autem ſit arcus $= t - \frac{t^3}{3} + \frac{t^5}{5} - \frac{t^7}{7}$ &c. ad radium *1*, peripheria facile inveſtigaretur, ſi ſumatur tangens, per radium rationaliter expreſſa, cujus etiam arcus cum peripheria ſit commenſurabilis. Talis quidem, eaque ſola, eſt *tang.* 45°, unde prodit ſeries *Leibnitiana* $1 - \frac{1}{3} + \frac{1}{5} - \frac{1}{7}$ &c.; quo autem tam parum convergit, ut plures quam 10^{50} termini colligendi ſint, ad rationem diametri & peripheriæ usque ad *100* figuras decimales repe-

Pag. 222.

reperiundam, qui labor eſſet inſuperabilis. Reſtat ergo, ut ſumatur tangens irrationalis quidem, unico tamen termino conſtans, cujusmodi tantum duæ, *tang.* $60^\circ = \sqrt{3}$, & *tang.* $30^\circ = 1 : \sqrt{3}$; quarum vero prior ſeriem divergentem præbet, ideoque poſterior ſola uſu venit. Hujus etiam ope actu computata eſt ratio diametri ad peripheriam usque ad 74 figuras exacta, tótumque negotium, poſtquam ſemel $\sqrt{3}$ ad totidem figuras extracta eſt, ad continuam diviſionem redit. Hac occaſione monſtrat Autor Cel. compendium, quo ejusmodi ſerierum ſumma levi opera computari queat. Si nempe tangens ſit $= \frac{1}{p}$, & jam termini numero n in unam ſummam collecti ſint, quæ ſit $= S$, fore, poſito n pari, arcum $= S + \frac{1}{p^{2n-1}\,(2n\,(1+p^2)+p^2-1)}$ quam proxime, quem valorem patet eo fore exactiorem, quo plures jam termini actu collecti ſunt. Pergit nunc ad propria inventa exponenda, quibus nempe continetur via expeditiſſima, rationem diametri ad peripheriam, ope ſeriei tangentium, absque ulla radicum extractione computandi. In eo autem verſatur artificium, ut arcus, cujus tangens $= 1$, reſolvatur in duos pluresve arcus, quorum tangentes rationales; qui, etſi peripheriæ incommenſurabiles, tamen conjunctim arcui 45° æquantur; unde, quia tangentes ſunt unitate minores, ipſe hic arcus per ſeries convergentes elici poterit. Ponatur e. g. $A.\,t.\,1 = A.\,t.\,\frac{1}{a} + A.\,t.\,\frac{1}{b}$, unde fit $b = \frac{a+1}{a-1}$; ſumto ergo $a = 2$, eſt arcus 45° = ſummæ arcuum, quorum tangentes $\frac{1}{2}$ & $\frac{1}{3}$, ſeu ſummæ harum ſerierum: $\frac{1}{1.\,2} + \frac{1}{3.\,2^3} + \frac{1}{5.\,2^5}$, &c. & $\frac{1}{1.\,3} + \frac{1}{3.\,3^3} + \frac{1}{5.\,3^5}$ &c.; quarum ope ſi arcus deſideretur ad 100 figuras decimales, colligendi ſunt 154 ter-

termini, quorum ſumma per formulam paulo ante traditam arcum quam proxime exhibet. Iisdem veſtigiis inſiſtendo poterunt hi arcus iterum in alios reſolvi, quippe, cum ſit $A.\ t.\ \frac{1}{p} = A.\ t.\ \frac{1}{p+q} + A.\ t.\ \frac{q}{pp+pq+1}$, erit $A.\ t.\ \frac{1}{2} = A.\ t.\ \frac{1}{3} + A.\ t.\ \frac{1}{7}$, unde arcus $45^\circ = 2\ A.\ t.\ \frac{1}{3} + A.\ t.\ \frac{1}{7}$, atque ita porro. Exhibentur quoque aliæ ſeries, quibus arcus facillime per tangentem definitur. Denique oſtenditur methodus, arcum quemvis in ſeriem infinitam arcuum, ipſum componentium, reſolvendi. Ita e. g. $A.\ t.\ 1 = A.\ t.\ \frac{1}{2} + A.\ t.\ \frac{1}{8} + A.\ t.\ \frac{1}{18}$ &c. ubi denominatores ſunt dupla quadrata numerorum naturalium. Additur theorema haud inelegans, Cyclometricum: poſito nempe ſinu toto = 1, eſſe arcum quemvis $A = \text{ſin.}\ A \times \text{ſec.}\ \frac{1}{2} A \times \text{ſec.}\ \frac{1}{4} A. \times \text{ſec.}\ \frac{1}{8} A$ &c. quod logarithmo arcus ex logarithmis ſinuum & ſecantium inveniendo inſervire poteſt, cujusque demonſtratio petitur ex formula: $\text{ſin.}\ A = 2\ \text{ſin.}\ \frac{1}{2} A \times \text{coſ.}\ \frac{1}{2} A$. Atque hic finis eſt *Claſſis mathematicæ.* Quæ reliquæ ſunt *Claſſes, phyſica & hiſtorica,* earum notitiam proximo *Menſe* Lectoribus noſtris ſumus exhibituri.

NOUVO METODO PER CURARE SECURAMENTE ogni Canchero coperto, &c.

hoc eſt,

NOVA METHODUS SECURE CURANDI OMNEM Cancrum occultum, & ſpeciatim glandulas mammarum ſcirrhoſas aliasque corporis; cui accedunt Epiſtolæ, quæ curæ illius ſucceſſum indicant, opera JOSEPHI MARIÆ QUADRO, Academici Excitati.

Venetiis, apud Joannem Tavernin, 1750, 4.
Plag. 13.

Equidem nulla per corpus humanam glandula eſt, vel contextus aliquis glanduloſus, quin indurari, hinc can-

orum

crum occultum concipere intra ſeſe, valeat; potiſſimum tamen huic gravi morbo mammæ muliebres ſubjacent. Harum anatomie *Capite primo* ſiſtitur, neque unam fortaſſe, uti *Whartonus* putat, glandulam eſſe, quæ corpus mammæ conficiat, docetur, ſed innumeras minores glandulas, vaſis ac pinguedine intertextas, organon illud conficere, ex ejus ſtatu morboſo, quo variæ glandulæ, a reliquis ſanis diſtinctæ, indureſcunt, comprobatur. Cum alia vaſa arterioſa, venoſa, atque nervea, quibus mammariorum nomen eſt, tum quoque vaſa lymphatica, mammarum laxæ ſubſtantiæ intercurrunt, quæ, ad normam omnium vaſorum lymphaticorum, per glandulas trajecta, ubi illarum humor craſſeſcit, atque transjici nequit, cauſæ ſunt, propter quas glandulæ mammarum tument atque indurantur. Ductus autem lactiferi, undique verſus papillam mammæ directi, admirabili naturæ opere naſcenti fœtui lac, ex optimo matris ſanguine elaboratum, ſuggerunt. Quo difficilior adeoque trajectus humorum per minimas miliares glandulas eſt, eo facilius, aggregato ſenſim craſſo liquido, tenuiſſima iſta corpuſcula tument, inque nodos duros, vita omnique circulo humorum privatos, quos Cancrum occultum appellant, excreſcunt, quos adeoque, veluti partem mortuam, putredo corripit, ut non partes tantum obſtructæ cadaveris ritu in ſaniem acrem rodentem ſolvantur, ſed toti quoque homini certa hinc pernicies, niſi mortuum a ſano ſeparetur, immineat. Hanc doctrinam *Caput ſecundum* continet. Lentum illius feralis morbi incrementum eſt, ſecundum *Caput tertium*, atque materies quædam, veluti primum Cancri ſeminium, in ſinu glandulæ unius, vel alterius, ex multis, quæ mammam componunt, occultatur, glandula minima ſenſim in piſi magnitudinem excreſcit, necdum doloris eſt particeps; quapropter ab ægrotis plerumque negligitur, donec obſcuro aliquo dolore ſeſe manifeſtet, quod ante haud fit, quam glandula diſtenta filamenta nervea affligat, unde dolor eſt ſenſim gravior, & glandula, hactenus ſaltem ſcirrhoſa, aut indurata, in verum tranſit cancrum, occultum, qui tam colore livido, veniſque tumentibus, quam ſenſu acerbo devorantis materiæ,

ſeſe

Digitized by Google

ſeſe manifeſtat. *Capite quarto* de Cancro aperto agitur, qui ulcus eſt rodens, & ſanas etiam partes abſumens, poſtquam materia, hactenus glanduloſo incluſa folliculo, illum diſrupit, ſuamque in latum diffudit virulentiam. Tunc, cum immani dolore devoratur caro ſana, accedit febris lenta, ſenſimque abſumit hominem. Eo autem plus magisque ſecundum *Caput quintum* mammæ huic morbo ſubjacent, quo intricata magis illarum textura eſt, quoque plus ad duritiem humor lacteus, ſi ille in tubulis exilibus galactophoris ſubſiſtit atque quievit, inclinat. Eſt etiam, ſecundum *Caput ſextum*, unius fœminæ præ altera ad nodos mammarum, hinc ad cancros, propenſio, uti vitæ genus, victus, aliæque cauſæ externæ, variant, maxime autem immobile vitæ genus, quod delicatæ mulieres ducunt, illarum glandulas humoribus ſuis impervias reddit. Sunt etiam ſecundum *Caput ſeptimum* cauſæ ſexui fœminaeo propriæ, quibus efficitur, ut illis mammæ præ aliis glandulis maligno humore impleantur. Sive enim menſium fluxus illis deficiat, ſive lac illis grumeſcat, ſive thoracem, formæ ſtudio, ſibi vehementer conſtringant, omnibus his modis cauſa ſcirrhi ac cancri obnaſci poteſt ſoletque. *Octavo Capite* indicationes formantur, ad inveniendum remedium opportunæ. Diluendi ſunt humores externis, utendum eſt diſcutientibus, tam internis, quam externis. Laudantur ad uſum internum amaricantes plantæ, atque illæ omnes, quæ ſucco gaudent acri volatili, quas antiſcorbuticas vulgo appellant. Laudantur etiam medicamenta, quæ ex antimonio fiunt, & aliqua utilitas mercurialibus quoque remediis tribuitur. Externus medicamentorum uſus efficaciora comprehendit reſolventia. Sunt, qui emplaſtro de cicuta, oleo Philoſophorum, terebinthinæ balſamo, aliisque ejusmodi remediis, nodos mammarum recludere tentant. Sed inanis labor eſt, plusque ejusmodi medicamentis malum exaſperatur, quam tollitur. Proinde *Capite nono* de efficaciore medicina, qua glandula, cancro tacta, exſcinditur, ſermo motus eſt. Quamvis autem hæc unica ſit, licet aſpera, ad ſalutem via; haud tamen deſperat Autor, inveniri poſſe remedium, quod incruento modo duros

ros mammarum nodos diſſolvere poſſit. *Decimo* demum *Capite* nova medicina, quæ duros mammarum nodos ſolvere poſſit, editur, aqua *Tæda*, ſeu decoctum piceæ, abietis ſcilicet illius, cujus coni deorſum ſpectant. Ita enim capimus; nam plura de admirando ſibi viſo ſpecifico illo Autor haud prodidit: profitetur autem, hanc aquam non illam eſſe, quam *Berclei* ex reſina abietis coqui juſſit, quaque per Germaniam multi tanquam reſolvente utantur eximio, ſed ejus præparandæ modos prorſus eſſe ſingulares. Ne aſſerto fides deeſſet, annectuntur Epiſtolæ, quæ, medicamenti novi effectus ſingulares eſſe, teſtantur.

HIERONYMI TARTAROTTI, ROBORETANI, DE Epiſcopatu Sabionenſi S. Caſſiani, Martyris, deque S. Ingenuini, ejusdem urbis Epiſcopi, actis, ad ANTONIUM ROSCHMANNUM, J. U. L. & Oenipontanæ Bibliothecæ Cuſtodem,
Epiſtola.

Venetiis, typis Jo. Baptiſtæ Pasquali, 1750, 8.
Plag. $7\frac{1}{2}$.

Ediderat Doctiſſ. *Roſchmannus* Conjecturas de Epiſcopatu Sabionenſi, quas ipſe ad *Tartarottum* miſerat, hujus judicium ſubituras. Is, ut amici deſideriis faceret ſatis, mentem ſuam ita expoſuit, ut, plus eum veritati, quam amicitiæ, dediſſe, abunde appareat. Laudat, quæ laudanda, taxat contra, quæ ipſe veritati minus conſentanea judicat, atque id facit dicendi genere liberiori, nec, pro re nata, locis ac ſalibus abſtinet. In iſtiusmodi ſcriptionibus argumentum non continua pertractatur ſerie, ſed hinc inde quædam excerpuntur, ac examini ſubjiciuntur. Illa igitur non ita facile in compendium mitti poſſunt; quædam tamen vel guſtus gratia huc afferemus. Primum eccleſiæ Sabionenſis antiſtitem Noſter *Ingenuinum* nominat; *Roſchmannus*, *Caſſianum*, & alios, præceſſiſſe, contendit. Prius conſtat autoritate *Anonymi*, vulgati a *Mabillonio*, qui exſerte *Ingenuinum primum Præſulem* appellat, cujus

 teſti-

Digitized by Google

Pag. 1-7. teſtimonium in tuto locat. Adhæc *Prudentius Caſſianum*
omnino præterit, quod non feciſſet, ſi Sabionenſi ſedi un-
7-8. quam præfuiſſet. Quos contra *Roſchmannus* Autores citat,
vel ſunt recentioris ætatis, ut *Bartholomæus Tridentinus*, Se-
culi XIII Scriptor ignobilis, cujus errores notabiles ſatis indi-
cantur, & *Petrus Calo*, Foſſoclodienſis, qui Seculo XIV in
vivis fuit, cujus verba ex MStis, quæ Venetiis aſſervantur, in
medium adducuntur, vel ſunt libri chorales, uti dicuntur, li-
turgici, breviaria, calendaria, lectiones, orationes, hymni, car-
mina, & hujus generis alia, quibus quam parum fidei ſit ha-
8-17. bendum, lepide oſtendit. Ipſa eccleſiæ Brixinenſis *officia pro-*
pria ante *Ingenuinum* non alium præter *Caſſianum* agno-
ſcunt, quorum tamen tres, vel quatuor, nominaverat *Roſch-*
mannus. Neque ex *Ambroſii Epiſtola LXIII* ad Eccleſiam Ver-
cellenſem, nec ex ſchiſmaticorum Epiſcoporum ad *Mauri-*
tium Epiſtola, ubi de urbis Brixinæ primis incunabulis & ori-
gine diſceptatur, quidquam pro hac cauſa effici poteſt. Per
eccleſiam *Beconenſem* in literis ſchiſmaticorum *Belunenſem*
17-34. intelligendam eſſe, docet. Nominaverat *Roſchmannus Matur-*
ninum & *Lucanum*, *Ingenuino* anteriores. Quod ad priorem,
provocaverat ad acta Synodi Gradenſis, celebratæ, ut creditur,
A. 579, ſed, hæc ſuppoſititia eſſe, demonſtratur, quod ipſum
etiam ab aliis jamdum eſt oſtenſum, &, ſi etiam admittatur,
genuina eſſe, ex *Andr. Dandulo rerum Italic. Tomo XII* doce-
tur, *Martianum* quendam Presbyterum, qui loco *Ingenuini*
ſubſcripſerit, comparere, quod ipſum etiam judicat de *Mater-*
nino Sabionenſi in actis Synodi Mantuanæ, ubi pariter *Mar-*
tianus intelligendus. Quæ objiciuntur de tempore adminiſtra-
ti ab *Ingenuino* Epiſcopatus, ſcilicet hac ratione ultra 40 an-
34-42. nos in ſede ipſi dandos eſſe, pariter diluit. Idem pronuntiat
de *Lucano*, illum, invitis antiquis monumentis, a *Phil. Ferra-*
rio, recentioris ævi ſcriptore, in ſerie Epiſcoporum ante *Inge-*
nuinum poni; inde ad autoritatem Anonymi *Mabillonii*, cui
42-51. etiam hic fidem adhibet, ſtabiliendam progreditur. Tandem
docet, quæ de *Caſſiano* perhibeantur, quod ſcilicet, ad doctri-
nam Evangelii miſſus, ad vile ludimagiſtri munus ſe demiſerit,
pue-

Digitized by Google

pueroſque & puellas legere ac ſcribere docuerit, conſiſtere minus poſſe. Si porro *Caſſiano* prima doctrinæ cœleſtis in iſtis oris promulgatio, & muneris epiſcopalis adminiſtratio, in acceptis ſit ferenda; plura longe ipſi templa procul dubio fuiſſent erecta & dedicata, quod exemplis *Zenonis* Veronenſis, & *Vigilii* Tridentini, it comprobatum. Inde ſe convertit ad acta *Ingenuini*, eaque cum antiquioribus documentis confert. Ipſe ſchiſmatis propter tria capitula reus peragitur, qua tamen non obſtante culpa, cum aliis, eidem accuſationi obnoxiis, Sanctis eſt annumeratus. Qua occaſione controverſiam iſtam de tribus capitulis copioſe enarrat, &, quam multa eidem a recentioribus, qui fidem non mereantur, fuerint affiċta, ediſſerit. *Paulus Diaconus Lib. III Cap. 3* ipſum Sanctorum choro inſeruerat; quæritur igitur, quo jure titulus hic ipſi conveniat. Miracula ipſi adſcribuntur, & adhuc ad ipſius tumulum fieri dicuntur. Sed anquirendum, num veri nominis ſint miracula, &, ſi quidem talia re vera ſint, inde tamen nondum ſanctitatis prærogativa in illum conferri poteſt. Sit receptus in Sanctorum numerum, venerationem ipſi atque cultum decreverint, altaria excitaverint, templa dedicaverint, illud tamen privato eccleſiæ Brixinenſis ſtudio, non accedente ſupremi Pontificis ſuffragio, eſt factum, quod ipſum & aliis contigit. Verum enim vero ad honorem *Ingenuini* augendum amplificandumque facit plurimum, quod ipſius nomen in Martyrologio Romano inveniatur. Diſceptatur igitur, qui factum fuerit, ut hic honos ipſi fuerit habitus. In prioribus Martyrologiis nulla ipſius injicitur mentio; quare, poſt aliquot demum Secula nomen ipſius illis illatum fuiſſe, probabile eſt admodum, & ſuſpicio non eſt vana, id demum per *Bellinum*, Patavinum, Eremitanæ familiæ alumnum, factum fuiſſe. Subjiciuntur poſtremo quædam de Martyrologio Romano, doceturque, nondum omnes illius nævos eſſe deterſos, itemque diſputatur, num *Ingenuinus* vivus ſchiſmati renuntiaverit.

Pag. 51 - 56. 57 - 61. 61 - 96. 96 - 108. 108 - 114. 114 - 119.

DISCORSO ISTORICO - CRONOLOGICO - DIPLOMATico di F. BERNARDO MARIA DE RUBEIS, &c.

hoc eſt,

COMMENTATIO HISTORICA, CHRONOLOGICA, & diplomatica, de Membrana antiqua Veneta, ad FLAMINIUM CORNARUM, Senatorem; Autore F. BERNARDO MARIA DE RUBEIS, Ordinis Prædicatorum.

Venetiis, apud Simonem Occhium, 1749, 8.
Plag. 4½.

Celebratiſſima ſunt eruditiſſimi Autoris de Hiſtoriarum monumentis, iis maxime, quibus rerum, in civitate Chriſtiana geſtarum, memoria poſteris commendata fuit, merita, quæ elegantiſſimo hoc opuſculo ipſe inſigniter auxit. Conſcripſit id eo conſilio, ut ſententiam, de controverſia quadam, ab *Henrico Dandulo*, Gradenſium ſacrorum Præſule, Patriarchæ titulo dignitateque conſpicuo, prolatam, literisque conſignatam, illuſtraret, ac, quæ ibi deprehenduntur, varias difficultates feliciter explicaret. Memorata quidem charta typis jam deſcripta, & a *Ferdinando Ughello* in *Tom. V Italiæ ſacræ pag. 1371* translata fuit; aſſervatur tamen in tabulario ædis, *Mariæ & Donato* conſecratæ, atque in inſula Murianenſi poſitæ, exemplum ejus egregium, manu, ſumma cura rectaque & legitima ratione, exaratum, quod diligentius inſpexit Cl. *de Rubeis*. Quo certioribus documentis inter omnes convenit, excellere eum cognitione diplomaticæ artis; eo magis admiranda eſt ejus modeſtia
Pag. 4. prudentiaque, qua, ſibi ſoli credendum eſſe, non putavit, ſed alios quoque præſtantiſſimos viros, & in his maxime *Apoſtolum Zenum* atque *Anſelmum Coſtadonium*, de difficilioribus argumenti ſui quæſtionibus conſuluit, ut erectiori animo ſententiam ſuam de illis pronuntiaret. Exorſus eſt orationem a *Diplomatis* initio, quod hac temporis nota abſolvitur:
5, 6. *anno domini milleſimo centeſimo, quinquageſimo ſecundo, menſis Januarii, indictione prima*, atque ad eam tres obſervationes doctiſſimas adſcripſit. Primo loco conjecturam profert, vocem *ſecundo* non menſis diem ſignificare; ſed rejiciendam adhuc eſſe ad anni numerum, atque monet, incuria libra-

librariorum ſæpenumero in antiquis chartis ita depravatum eſſe anni numerum, ut relata ſint ad menſem, quæ proprio jure ad annum pertinent. Deinde recte animadvertit, haud alienum id eſſe a medii ævi inſtitutis, ut menſis tantummodo indicetur, prætermiſſa diei nota, hancque opinionem non ſolum *Mabillonii* teſtimonio, ſed quamplurimis etiam Diplomatum, quæ adduxit, clauſulis, abunde confirmavit. Denique, Pag. 11.
cum ſatis perſpexiſſet, *indictionem primam* cum anno Chriſtiano 1552 minus cohærere, ſed reſpondere potius anno 1513, eleganter reſpondet, diſcrepare Venetorum computandi rationem a communi Chriſtianorum computo, ita ut anni auſpicium non Calendis Januarii, eo quippe tempore, quo ſanctiſſimus Servator in lucem editus eſſe creditur, ſed die 25 Martii, quo conceptionis Chriſti colere ſolemus memoriam, faciant, hincque annos a *nativitate* ab annis ab *incarnatione* diſtinguant. Quare neceſſe eſt, ut, quæ a Venetis Januario menſe anni 1152 ſcripta ſunt, ea omnino ad annum 1153, ſicque *indictionem primam*, ſpectent. Fuſius hæc cum enarraſſet, pergit Noſter ad locum, ubi exaratæ ſunt hæ literæ, quippe qui his verbis: *Rivoalti in noſtra aula*, deſignatur. *Rivoalti* nomine 20.
ea tempeſtate ipſa Venetorum urbs utebatur; nec mirum, quod Gradenſis Præſul Venetiis ſit commoratus. Teſtimonia enim nobis conſervata ſunt, Gradenſem Patriarcham Seculo XI mutaſſe ſedem, eamque fixiſſe Venetiis. Primatis Dalmatiæ 23.
titulo non videmus *Henricum* in Diplomate ornari, ſiquidem, biennio interpoſito, illum ei impertivit *Alexander III*, P. R. In ipſis literis primum exponitur, oblatam fuiſſe *Henrico breviarii chartulam, factam anno incarnationis ejusdem noſtri redemtoris milleſimo quinquageſimo tertio menſis Januarii, indictione ſeptima*, quam temporis notam itidem ex more Veneto, ſupra explicato, eſſe interpretandam, Cl. Autor obſervat. Cum in iſta charta eccleſiæ S. *Cypriani*, cui cum pa- 25.
rocho templi S. *Mariæ* lis erat, fiat mentio, eam primariæ commemoratæ ædi ſubjectam fuiſſe, annalium teſtimoniis comprobat, ac ſimul erudite oſtendit, de autoritate chartæ nihil detrahi poſſe, propterea, quod vitia nonnulla ſermonis, 31.

Digitized by Google

in αὐτογράφῳ commiſſa, poſteriori manu, quæ ſupra dictum
Pag. 35. exemplum exaravit, fuerint emendata; quid? quod ne interpolationes quidem hujusmodi monumentorum fidem dubiam reddere queant, præcipue quando facile cognoſci & dijudicari poſſunt. Differit porro de imprecandi formu-
39. la: *ſub anathemate patrum & cum Juda traditore Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit damnatus*, ac ad quæſtiones, quæ in hiſtoria trium *Dominicorum*, qui Seculo XI Gradenſia ſa-
44. cra gubernarunt, dubiæ & controverſæ ſunt, ſolide reſpondet, eaque addit, quæ ad recte definiendam ætatem *Joannis Saponarii* & *Petri Badouarii*, itidem Patriarcharum Gradenſium, faciunt. In explicandis *Henrici* literis cum progreditur, tum ſubſcriptiones, iis ſubjectas, commemorat, ac notat, illas ſuppeditaſſe quinque Epiſcoporum nomina, ab *Ughello* quidem prætermiſſa, addita tamen a *Coleto*, cui novam præſtantiſſimamque operis illius editio-
47. nem acceptam ferimus. Inter illos, qui ſubſcripſerunt his literis, *Dominicus*, *eccleſiæ S. Bartholomæi Vicarius*, vel ea de cauſa dignus eſt, in quem animus advertatur, quod *Vicarii* titulo utatur, qui rectoris fani, S. *Bartholomæo* dicati, proprius eſt, ſicque de dignitate hac contentio ſit, quam ex incorruptis antiquitatis monumentis expedite componit.
50. Ea, quæ ſequuntur, ad ipſam chartam, de qua diſceptatur, non pertinent, ſed ad ἀπόγραφον, ſupra laudatum. Hujus enim fides ut ſupra omnem dubitationem collocetur, neceſſe eſt, neque negare poſſumus, celeberrimum Virum ea omnia diligentiſſime enarraſſe, quibus ſententia ejus confirmatur, ac, confutatis argumentis oppoſitis, ſapientibus omnibus & antiquitatis peritis facile probatur.

NOVA LITERARIA.

Quam nuper illuſtriſſima, quæ Petropoli floret, Scientiarum Academia publice ſuſpendit tabulam, hanc Lectoribus noſtris ſpectandam hic legendamque exhibemus:

Eliſa.

Digitized by Google

Eliſabetha Auguſta, omnium Ruſſorum Imperatrix, ſuæ benignitatis radiis hodiernæ luci nova largitur lætitiæ argumenta; quorum primum, toti Imperio, præſertim vero Academiæ noſtræ Scientiarum, gratisſimum, fauſta nititur occaſione celebrandi nominis ſacratisſimæ Majeſtatis memoriam. Alterum, toti orbi erudito utilisſimum, eſt præmium, quod hodie auſpiciis Auguſtæ, Academiæ ſcientiarum protectricis clementisſimæ, adjudicabitur. Academiæ ſcientiarum enim Præſes illuſtrisſimus, præpotens minoris Ruſſiæ Hetmanus, Cyrillus Gregorii F. *Comes* Raſumowski, *ut gloria Academiæ magis ac magis amplificaretur, juſſu Auguſtæ ſtatuit, ſingulis annis argumentum, attentione acutisſimorum ingeniorum dignum, eruditis exſolvendum proponi. Academia igitur, ad mandatum hoc exequendum expedita, in conventu publico A. 1749 Aſtronomis & Geometris hanc propoſuit quæſtionem enodandam, cum præmio 100 Ducatorum annexo:* An omnes inæqualitates, quæ in motu Lunæ obſervantur, theoriæ *Newtonianæ* ſint conſentaneæ, nec ne; & quænam ſit vera theoria omnium harum inæqualitatum, unde locus Lunæ ad quodvis tempus quam exactiſſime poſſit definiri. *Complura quidem ſcripta hac occaſione Academia accepit, omnia vero, cum quæſtionis vim plane non percepiſſe videantur, in nullo fere habenda ſunt numero præ Diſſertatione, hanc gerente ſententiam:*

- - - Qua cauſa argentea Phœbe
Paſſibus haud æquis graditur, cur ſubdita nulli
Hactenus Aſtronomo numerorum fræna recuſet,
Cur remeant nodi, curque auges progrediuntur.
Edm. Hallej.

Quam Academia, hoc in conventu ſolenni, palmarem, ejusdemque Autorem, Virum celeberrimum, ſuisque titulis condecorandum, Alexium Clairaut, *Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis membrum, præmio dignisſimum, declarat; quippe qui, occultisſimam Lunæ theoriam in apricum producens, ad quæſtionem optime reſpondet. Cardo enim hujus quæſtionis potisſimum in motu Apogei Lunæ verſatur, quod quotannis per ſpatium 40 grad. circiter ſecundum ordinem ſignorum progredi obſervatur, omnes autem, qui adhuc theoriam* Newtoni *ad motum*

motum Lunæ accommodare ſunt conati, pro motu Apogei annuo non ultra 20 grad. inde elicuerunt, quorum calculus quoque tam firmiter comprobatus videbatur, ut ob hanc ſolam circumſtantiam iſta theoria phænomenis adverſari merito putaretur. Verum, hanc concluſionem erroneis principiis eſſe innixam, Autor iſtius eximiæ Diſſertationis evidentiſſime demonſtravit, ita ut nunc quidem nullum dubium ſuperſit, quin theoria Newtoni *motui Apogei Lunæ egregie ſatisfaciat; unde ſimul intelligitur, hanc quæſtionem, uti eſt maxime lubrica, ita quoque profundiſſimæ eſſe indaginis, ejusque enodationem in theoriam Aſtronomiæ maximi momenti incrementa certo eſſe allaturam. Quod ad reliquas, quæ in motu Lunæ obſervantur, inæqualitates attinet, nunquam adeo fuit dubitatum, quin eæ theoriæ* Newtonianæ *ſint conſentaneæ, etiamſi ob ſummam calculi difficultatem eas inde luculenter derivare non licuerit. At hic quoque Diſſertatio laudata plurimum præſtitiſſe eſt cenſenda, dum ex theoria plures adhuc incognitas motus Lunæ inæqualitates deduxit, quæ tamen cum 100 Obſervationibus, quæ huic Diſſertationi ſunt annexæ, ſatis bene conſentire videntur. Prudenter vero Celeberrimus Autor fecit, cum theoriæ laudatæ Tabulas ad loca Lunæ ſupputanda non adjecit; recte enim intellexiſſe videtur, obſervationes, quas in promtu haberet, vel habere potuiſſet, pauciores eſſe, quam quæ ad lunares numeros ſtabiliendos ſufficiant. Hi enim non niſi longa multarum obſervationum ſerie, ab Aſtronomis petenda, definiri queunt. Academia jam, ut lege nobilis hujus inſtituti agat, Phyſicis pro præmio 100 Ducatorum Anni 1753 impetrando ſequens ſolvendum proponit Problema:* Separationem auri ab argento, ope aquæ regiæ inſtituendam, ex phyſicis & chymicis principiis explicare: aptioremque methodum, quæ minore opera & pretio ad hæc duo metalla ſecernenda indiget, oſtendere. *Diſſertationes, idiomate ſive Ruſſico, ſive Latino, ſive Germanico, ſive Gallico, exaratæ, ante diem 1 Junii Anni 1753 Illuſtri Cancellariæ Academiæ Imperialis, nomine Autoris, more recepto, in ſchedula obſignata, Diſſertationi, ſententia quadam inſignita, annexa, expreſſo, inſcribendæ ſunt.*

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno MDCCLI.

HISTOIRE GENERALE DES AUTEURS ſacrés, &c.

id eſt,

HISTORIA GENERALIS SCRIPTORUM SACRORUM & Eccleſiaſticorum, quæ complectitur ipſorum vitam, catalogum, examen criticum, judicia, chronologiam, analyſin & recenſionem diverſarum editionum operum ipſorum; præcipua illorum dogmata, quod ad doctrinam moralem & diſciplinam eccleſiaſticam; hiſtoriam Conciliorum, tum generalium, tum particularium, itemque ſelectum actorum Martyrum; Autore R. P. REMIGIO CEILLIERIO, Benedictino Congregationis S. Vanni & Hydulphi, Priore titulari conventus Flaviniacenſis.

Tomus XIII.

Pariſiis, proſtat apud Paulum du Meſnil, typographum, 1747, 4 maj.

Alph. 4 plag. 10.

Quam induſtriam atque doctrinam Rev. *Ceillierius* Lectoribus priorum Operis præſentis *Voluminum* probavit, eandem in nova hac *Parte* gaudentes agnoſcimus. Ex hoc igitur *Volumine*, more noſtro, ſeriem ſcriptorum & rerum ſuccincte dabimus. *Cap. I* exhibet Autor vitam *Cæleſtini*, qui ad ſedem

Digitized by Google

Pontificiam evectus eſt A. 422, cui & in cauſa *Apiarii* negoti-
um cum Eccleſia Africana interceſſit. Ipſius mandato A. 430
Concilium Romæ eſt convocatum, in quo ſententia *Neſtorii*
eſt condemnata. Ex ipſius Epiſtolis quædam in medium addu-
cuntur. Mortuus eſt d. 6 Aprilis A. 432. *Cap. II Art. I* producitur
Pag. 1-37. *Joannes Caſſianus*, Thrax ortu, natus circa A. 360. Ægyptum,
vitam ſolitariam ſectaturus, A. 390 adiit, & per ſeptennium
in illa hæſit. Inde A. 404 a *Chryſoſtomo* Diaconus eſt conſe-
cratus, ipſique cuſtodia theſauri, & cura vaſorum ſacrorum,
concredita. *Gennadius de Script. Eccl. Cap. 67* teſtatur, ipſum
Maſſiliæ Presbyterum eſſe factum, quod pro certo affirmari
37-40. nequit. Id conſtat, ultimos eum vitæ annos ibidem traduxiſſe.
Patrocinabatur erroribus *Pelagii;* quare ſcripta ipſius multos
excitarunt motus. Scripſit etiam adverſus *Pelagium* circa A.
428. Deceſſit poſt A. 433. Colitur in nonnullis eccleſiis, ſpe-
ciatim in Abbatia S. *Victoris* Maſſiliæ, ubi ejus etiam reliquiæ
41, 42. oſtenduntur, Sancti inſtar. *Art. II §. 1* ſcripta ipſius enarran-
tur, & præcipua momenta exhibentur; *§. 2* diſſeritur de ipſius
collationibus, *§. 3* de ſeptem libris de incarnatione Chriſti
contra *Neſtorium*, quos conſignavit hortatu *Leonis*, poſt Epi-
ſcopi Romani, ſed non tantam ingenii, judicii, & doctrinæ,
vim adhibuit, quantam adhibere potuiſſe judicabatur. Vide-
tur opus hoc ad finem perduxiſſe ante A. 431. Subjiciuntur
quædam de ſcriptis ipſius ſpuriis. *Par. 4* expromitur judicium
de ſcriptis ipſius; nominantur etiam editiones operum illius. In
42-137. ſcriptis ſuis doctrinam de gratia non juſto eum explicare ordine,
Autor cenſet, hoc tamen in ipſius favorem dici poſſe: ſi quando
afferat opiniones nonnullorum ſolitariorum minus certas abs-
que reprehenſione, ipſum tamen ex adverſo adducere ſenten-
tias contrarias, veritati conformes, ſine earum impugnatione.
138-146. *Cap. III Art. I* de S. *Nilo*, Presbytero & ſolitario montis Si-
nai, diſſeritur. Is non Conſtantinopoli, uti *Nicephorus* vult, ſed
Ancyra, ſaltem Galatia, oriundus fuit. Videtur præfectus fuiſſe
Conſtantinopoli, illuſtri ſatus familia, multis abundaſſe opibus,
& eloquentia valuiſſe. Vivebat in conjugio, & duplicem ſuſtulit
prolem. Sed poſt conjugem, domum, familiam, opes, ami-

cos,

Digitized by Google

coſ, parentes, miſſos fecit, ſeque in montem Sinai recepit, pietatis exercitiis vacaturus, aſſumto filio *Theodulo*. Cum A. 404 *Chryſoſtomus* in exilium eſſet miſſus, literas dedit ad *Arcadium* Imp. queſtus de injuria illata viro ſancto. Cum Saracenorum manus, monaſterium aggreſſa, nonnullos, interque illos *Theodulum*, captivos abduxiſſet, hunc *Theodulum* redemit Epiſcopus Eluſienſis, qui, cognita indole & virtute juvenis, ipſum in uſum eccleſiæ eduxit, eundemque poſt patri reddidit, cum ante ipſum Presbyterum conſecraſſet. Vixit adhuc circa A. 430, poſt mortem Sanctorum cœtui adſcriptus. *Art. II* diſſeritur de ejus ſcriptis, *§. 1* de libro de vita monaſtica; *§. 2* de exercitio virtutis, & fuga vitiorum; *§. 3* de libro de ſpontanea paupertate; *§. 4* de quibusdam aliis ſcriptis, etiam ſpuriis; *§. 5* de ipſius Epiſtolis. *Artic. III* declaratur ipſius doctrina circa præcipuas veritates Chriſtianæ religionis, additurque recenſio diverſarum editionum operum *Nili*. *Caput IV* eſt de actis martyrii ſolitariorum montis Sinai. Virtus & pietas eorum laudibus tollitur, & hiſtoria crudelitatis Saracenorum, adverſus hos exercitæ, enarratur. Horum memoria in monte Sinai feſto die anniverſario celebrata eſt, & in eccleſia Græca & Latina renovatur d. 14 Jan. *Caput V* de *Leporio*, Presbytero eccleſiæ Hipponenſis, inſcriptum eſt. Gallum natione fuiſſe, eſt probabile. Cum ex Gallia in Africam trajeciſſet, & errores *Pelagii* abjuraſſet, Presbyter eſt conſtitutus, atque errores, quibus ante deditus erat, in retractationis ſuæ actis condemnavit. *Caput VI* de *Acacio*, Epiſcopo Beroeæ in Syria, *Paulo Amaſeno*, & *Joanne Antiocheno*, exponit. *Acacius* natus fuiſſe videtur circa A. 322. Sacerdos factus, venit Romam, ibidemque, præſente *Damaſo*, Papa, veritatem duarum naturarum in Chriſto defendit. Quo anno Epiſcopus Beroeenſis fuerit conſtitutus, certo definiri nequit. Hujus artibus potiſſimum eſt factum, ut *Chryſoſtomus* ſede ſua & urbe fuerit ejectus. Diem obiit ſuum circa A. 434. Notitia Epiſtolarum ipſius datur. De *Paulo Amaſeno*, ipſiusque actionibus, deinde commentatur Autor, ex cujus Epiſtolis quædam excerpuntur. *Joannes Antiochenus* fuit ſucceſ-

Pag. 147-157. 157-182. 182-192. 192-195. 195-207. 208-213. 213-218.

Qq qq 2 ſor

ſor *Theodoti* in ſede Antiochena, & initio quidem omnia munia exacte explevit. Fuit ex præcipuis fautoribus *Neſtorii*, & *Cyrillo* multas faceſſivit moleſtias. Juſſus eſt etiam in hac ipſa cauſa ſe ſiſtere Imperatori *Theodoſio*, qui ei, *Neſtorii* partes tuenti, aures non præbuit. Deceſſit, uti creditur,
Pag. 218-228. A. 441, vel 442. *Cap. VII* de *S. Sixto*, Pontifice, agit. Fuit is natu Romanus, Pontifex creatus circa A. 432 d. 26 Jul. Mortuus fuiſſe vulgo creditur circa A. 440 d. 18 Aug. Ex ipſius literis potiſſima excerpuntur. *Caput VIII* eſt de *Cyrillo*, Patriar-
229 - 241. cha Alexandrino. Hic erat *Theophili*, Patriarchæ Alexandrini, ex ſorore nepos, qui ipſum, quod vero eſt propius, ante A. 403 in Cleri numerum recepit, quo mortuo, aliis contradicentibus, in ipſius locum legebatur, & d. 18 Octobr. A. 412 in ampliſſimum hoc munus ſuum immittebatur. Poteſtate ſua nimio rigore uſus, & aliquando limites juris ſui tranſiluiſſe, obſervatur. Novatianis occludebat templa, vaſa & utenſilia in illis rapiebat, ipſorum antiſtites omnibus bonis ſuis ſpoliabat. Judæos ob tumultum excitatum Alexandria expellebat. Ut *Chryſoſtomi* nomen diptychis Epiſcoporum reſtitui pateretur, induci non potuit. *Neſtorium* primum quidem monuit, ab errore ut deſiſteret, poſt in Concilio Epheſino, quod d. 7 Jun. A. 431 eſt apertum, condemnavit, ac munere ſuo dejecit. Qua ex re ipſi haud exiguæ natæ ſunt moleſtiæ. Ab adverſa enim parte, cujus caput erat *Joannes Antiochenus*, ipſe & *Memnon*, tanquam turbarum autores, & quoniam 12 anathematiſmi hæreſin redolerent, ſunt condemnati & depoſiti; quam ſententiam *Theodoſius* præventus confirmavit, ut etiam in cuſtodiam fuerit datus *Joannes*, poſt, re accuratius cognita, reſtitutus. In vivis eſſe deſiit A. 444 d. 9, vel, ut
241 - 253. alii volunt, d. 27 Jun. *Art. II* recenſentur ipſius ſcripta, quorum hiſtoriam Autor præmittit, inquirens in hiſtoriam & tempus ſcriptionis ſingulorum, ſimul præcipua momenta exhibens, editiones illorum indicans, &, quæ in iisdem omiſſa
253 - 370. ſint, demonſtrans. *Art. III* doctrinam *Cyrilli* de præcipuis dogmatibus Chriſtianæ religionis exponit, &, propriis ipſius
370 - 408. verbis ſubjectis, confirmat. *Cap. IX* de *Neſtorio*, Archiepiſcopo

Con-

Conſtantinopolitano, differit. Is non fuit Antiochenus, uti quidam arbitrantur, ſed Germanicienſis, quod fuit oppidum Syriæ Euphratenæ, obſcuris ortus natalibus. Antiochiæ haud mediocrem literarum elegantiorum notitiam ſibi paravit. Multa erat ipſi facilitas ex tempore dicendi, vox grata & ſonora, vita inculpata, & morum ſanctimonia haud vulgarem exiſtimationem ſibi acquirebat. In veſtitu modeſtus, alienus a turbis, in vita ſobrius, in lectione Scripturæ & bonorum Autorum aſſiduus. Notant autem ſcriptores illius tempeſtatis, ipſius virtutem tantum fuiſſe ſpeciem quandam externam, quo aliis ſe commendaret; plus eum dediſſe auribus, quam ut viam ſalutis monſtraret, eloquentia ipſum inflatum, veteres Scripturæ interpretes neglexiſſe, fuiſſe hominem vanum, violentum, exigui judicii, ſeque ab affectibus ſuis abripi paſſum, magis deditum auro & argento, quam veritatibus Scripturæ. A. 428 eligebatur Epiſcopus Conſtantinopolitanus, atque d. 10 Apr. inaugurabatur, de eoque initio multa ſibi bona homines promittebant, prudentiores autem judicabant, ipſius zelum in hæreticos eſſe nimium. Quinto die ab inauguratione ſua juſſit Arianorum ædes ſacras everti, qui, deſperatione ducti, ignem ſubmiſerunt, qui vicinas ædes corripuit, inque cineres redegit, unde & *Ariani* & Catholici ipſum *incendiarium* dictitarunt. Ipſe *Theodoſio* ſuaſor exſtitiſſe judicatur, ut d. 30 Maji A. 428 legem publicaret, qua hæreticis interdicebatur, ne quem ſacris initiarent. *Pelagianis* tamen, quod ad doctrinam de viribus liberi arbitrii, favere eſt viſus. Poſt, ubi ſententiam ſuam de duabus in Chriſto naturis divulgaſſet, in Concilio Epheſino eſt condemnatus, deque gradu ſuo dejectus; quam ſententiam tandem approbavit *Theodoſius*, eundemque Oaſin, quorſum vulgo facinoroſi deportabantur, in exilium miſit, in quo tandem miſere exſpiravit. Scripta ipſius, paucis exceptis, juſſu *Theodoſii* Pag. 409-
igne ſunt abolita. *Cap. X* agit de *Alexandro*, Hieropolitano, *Par-* 422.
thenio, *Joanne*, Germanicienſi, *Maximino*, Anazarbenſi, *Andrea*, Samoſateno, *Eutherio*, Thyanenſi, *Dorotheo*, Marinopolitano, *Himerio*, Nicomedienſi. *Alexander* Hierapolitanus erat

Digitized by Google

unus ex pervicacibus aſſeclis *Neſtorii;* qua de cauſa conſortio eccleſiæ eſt excluſus, cujus partibus etiam reliqui addicti
Pag. 423 - 440. erant. *Cap. XI* diſſerit de *Helladio*, Tarſenſi, *Meletio*, *Mopſueſteno*, *Epiphanio*, Alexandrino, *Tranquillino*, Antiocheno, *Heſychio*, Caſtabalenſi, *Iba*, Edeſſeno, *Irenæo*, *Photio*, *Abibo*, & *Hypatia*, qui omnes pariter contentionibus *Neſtorianis* fuerunt impliciti, ex quorum literis notatu digniora ex-
440 - 454. cerpuntur. *Cap. XIII* de *Memnone*, Epheſio, *Rhegino*, Conſtantienſi, *Alypio*, Presbytero Conſtantinopolitano, *Maximiano*, Epiſcopo ejusdem urbis, Abbatibus *Dalmatio*, *Baſilio*, & *Euſebio*, Dorylenſi, commemorat. *Memnon*, urbis Epheſinæ Epiſcopus, vir fuit integritate in fidem veram & ſcriptis inſignis. In cauſa *Neſtoriana* ſe cum *Cyrillo* arctiſſime conjunxit, quocum etiam multa dura eſt perpeſſus. Mortuus ante A. 444. *Rheginus*, Epiſcopus Conſtantiæ, metropoli Cypri, fuit, ſupereſtque ejus Sermo invectivus, habitus in Concilio Epheſino. *Maximianus*, ſucceſſor *Neſtorii* in ſede Conſtantinopolitana, pacem in eccleſia orientali reſtituere ſtatuit. Poſteaquam per biennium & aliquot menſes munere ſuo functus eſſet, de vita deceſſit A. 434 d. 12 April. *Alypius*, paſtor Conſtantinopolitanus, *Cyrillo* addictus fuit. *Dalmatius*, ante miles, poſt, omnibus relictis, vitæ monaſticæ ſe dedit, & quoniam alios virtute antecedebat, ſuperior monaſterii eſt factus. *Baſilius*, Diaconus & Archimandrita, cum audiviſſet, *Neſtorium* de Chriſto tradere ea, quæ in orthodoxorum cœtibus adhuc audita non erant, ipſum privatim adiit, ut mentem ſuam explicaret; ſed is, plenus ira, ipſum in carcerem conjiciendum curavit, quem vero poſt dimiſit. *Euſebius*, cognomento Dorylenſis, ante cauſarum patronum egit Conſtantinopoli, negotiis etiam Imperatoris eſt adhibitus. *Neſtorio* ſe acerrime oppoſuit, factus Epi-
455 - 469. ſcopus Dorylenſis. *Cap. XIV* de S. *Arſennio*, ſolitario Ægyptio, exponit. Illuſtri prognatus fuit familia, atque inde a juventute ſua literis Græcis atque Latinis, itemque ſcientiis, probe imbutus. Hunc *Theodoſius* præfecit filiis ſuis, *Arcadio* & *Honorio*, quo illos erudiret & moderaretur, eratque apud Imperatorem, & in aula, magna in dignatione, opibusque abundabat.

Digitized by Google

bat. Verum, pertæſus vitæ aulicæ, in ſolitudinem abiit, mortuus circa A. 445. *Caput XV* dicatum eſt S. *Proclo*, Archiepiſcopo Conſtantinopolitano. Natus eſt circa A. 390. Juvenis admodum factus eſt Lector in eccleſia Conſtantinopolitana, poſt Diaconus & Presbyter, tandem *Theodoſius* Imperator ipſum A. 434 in locum *Maximiani* Antiſtitem Conſtantinopolitanum declaravit. In munere ſuo multa uſus eſt manſuetudine, etiam erga hæreticos, ratus, hac ratione illos melius ad eccleſiæ ſocietatem reduci poſſe. Apud *Theodoſium* gratia plurimum valebat. Vivere deſiit A. 445; alii nominant A. 447. Triſagion inſtituiſſe dicitur. *Cap. XVI* docemur de *Capreolo*, Epiſcopo Carthaginienſi, & *Vitali*. *Capreolus* eſt ex celeberrimis doctoribus eccleſiæ Carthaginienſis, invitatus ad Concilium Epheſinum; quoniam vero ob difficilia tempora venire non poterat, miſit literas, in quibus mentem ſuam explicuit. *Caput XVII* eſt de *Victore*, Poeta Chriſtiano, S. *Orientio*, Epiſcopo Auxenſi, *Evagrio*, Presbytero, & *Paulino*. *Claudius Marius Victor*, aliquando nominatus *Victorinus*, Maſſiliæ forte natus, ibi ſaltem Rhetoricam docuit. Vir pius, & a ſeculi luxu alienus, hiſtorias Scripturæ metri legibus adſtrinxit. Viventium numero eſt exemtus poſt A. 425. S. *Orientius* quo tempore vixerit, ſcriptores diſſentiunt. Parentibus paganis, uti videtur, procreatus, multos, Epiſcopus factus, ad Chriſtianam traduxit religionem. Tempus mortis ipſius ignoratur. *Evagrius* reliquit diſputationem inter *Theophilum*, Chriſtianum, & *Amonem*, Judæum. *Cap. XVIII* de S. *Hilario*, Epiſcopo Arelatenſi, diſſeritur. Hic natione fuit Gallus, in lucem editus circa A. 401. Juvenis in literis elegantioribus probe fuit eruditus. Opibus abundabat, quibus juvenis ad luxuriem abutebatur, ſed ſtudio atque precibus *Honorati* ad meliorem frugem reductus, bona fratri ſuo vendidit, &, quæ inde redierat, pecuniam inter pauperes diſtribuit, atque in ſolitudinem ſe contulit. Epiſcopus Arelatenſis factus eſt A. 429. Huic quidem muneri ſuo omni ex parte facere ſatis eſt anniſus; nihilo tamen minus apud *Leonem*, P. R. gravium criminum eſt inſimulatus. Vivendi finem fecit A. 449. Vitam ipſius conſignavit *Honoratus*,

Pag. 463-471.
472-495.
496-501.
496-522.

tur, Epiſcopus Maſſilienſis, qui floruit A. 494. Ex ipſius Homi-
liis, Epiſtolis, & aliis ſcriptis, præcipua momenta enotantur.
Pag. 523 - *Caput XIX* præcipua continet S. *Eucherii*, Archiepiſcopi Lugdu-
538. nenſis, & *Salvii*, Epiſcopi Octodurenſis. *Eucherius* matrimoni-
um contraxerat cum fœmina quadam nobili, cui nomen erat
Gallæ, ex qua duos ſuſcepit filios, ſed poſt mundo valedixit.
Epiſcopus Lugdunenſis creatus eſt ante A. 441. Multos ſui
temporis Epiſcopos doctrina, eloquentia, virtutibus, vicit.
Fato eſt functus A. 449 Scripta ipſius, tum genuina, tum
ſuppoſititia, enarrantur, ſimulque operum ipſius editiones in-
539 - 564. dicantur. *Cap. XX* de *Vincentio* Lirinenſi, Presbytero & Mona-
cho, inſcriptum eſt. Lirinenſis dicitur, quo ab aliis ejuſdem no-
minis diſtinguatur; Gallus fuit gente. Primum militiam ſecu-
tus, inde vitam monaſticam eſt amplexus; nec eſt dubium, quin
in monaſterio Lirinenſi vixerit. Denatus eſt circa A. 450. *Ca-*
564 - 584. *pitis XXI* argumentum præbet S. *Pœmenius*, Abbas in Ægypto,
non tam ſcriptis, quam pietate, clarus. Vitæ monaſticæ nomen
dedit una cum ſex fratribus ſuis circa A. 391. Mors ipſius contigit
A. 451. Sancti inſtar colitur tum in Eccleſia Latina, tum Græca,
584 - 589. eique dies 27 Aug eſt ſacer. *Cap. XXI* de S. *Pulcheria* virgine,
& *Eudocia*, Imperatrice, diſſerit. Illa erat filia *Arcadii* Impera-
toris, & ſoror *Theodoſii* junioris, nata d. 19 Jan. A. 399. Ob
prudentiam ſuam Auguſta declarabatur d. 4 Jul. A. 414.
Pietati multum ſtuduit. Fato eſt functa circa initium A. 454,
omniaque bona ſua pauperibus reliquit. Ipſius memoria co-
589 - 597. litur in Eccleſia Latina pariter atque Græca d. 10 Sept. *Eu-*
docia, ante dicta *Athenais*, nomen hoc adoptavit, cum *Theodo-*
ſio juniori matrimonio jungeretur. Favebat ante *Eutychi*,
ſed, mortuo marito A. 450, Hieroſolymam abiit, pietatis
exercitiis vacatura, ubi partes *Eutychianorum* reliquit. Mor-
597 - 599. tem oppetiit A. 460 d. 20 Octobr. *Cap. XXII* de S. *Iſidoro Peluſio-*
ta, Presbytero & Abbate, nos docet. Vixit ab A. 356 Peluſii in
monaſterio, in quo virtutibus ita excelluit, ut aliis eſſet ex-
emplo. *Neſtorianiſmo* & *Eutychianiſmo* ſe omnibus viribus
oppoſuit, & impedivit, ne in Ægypto radices agerent. In vi-
vis eſſe deſiit circa A. 449. Scripta plurima, quæ ad poſte-
ritatem

Digitized by Google

ritatem transmiſit, recenſentur. De Epiſtolis ejus hoc fert judicium: utile dulci eum miſcuiſſe, præcepta ſalutaria brevibus quidem verbis, ſed multa cum ſuavitate & elegantia, proponere, ſtilum nativa ſe pulchritudine absque affectatione commendare, modum, quo proponat, eſſe facilem, cogitationes nobiles & ſublimes. *Cap. XXIII* ſiſtitur *Marius Mercator.* Hujus non meminit *Gennadius* Maſſilienſis, qui tamen æqualis ipſi fuit, nec qui poſt eum notitiam Scriptorum eccleſiaſticorum dederunt. Ex ipſius ſtilo, qui aliquid duri habet, judicatur, ipſum Afrum fuiſſe. In urbe Roma, vel illius vicinia, vixit A. 417 & 418, quo tempore cum *Julianus*, & alii *Pelagianorum* primipili, contra gratiam Jeſu Chriſti diſputarent, opus aliquod pro defenſione doctrinæ hujus compoſuit, quod, cum ad *Auguſtinum*, Hipponenſium præſulem, miſiſſet, ille non ſolum approbavit, verum etiam ipſum excitavit, ut in inſtituto ſuo pergeret. Diſputavit quoque adverſus *Neſtorianos.* Vixit absque ullo munere eccleſiaſtico ad A. 449. Omni occaſione demonſtravit ingentem pro doctrina puriore fervorem, nec adverſariorum impetum reformidavit. Ita tamen judicat Rev. Autor: *Si adverſarios ſuos minori acrimonia, & majore moderatione, tractaviſſet, ſe ſuamque cauſam commendaviſſet magis, cum veritas absque conviciis & verborum ſtrepitu defendi poſſit. Sed enim affectuum vehementia in cauſa fuit, cur ſtilum minus ſuum temperaret, &, quibus verbis utendum eſſet, non ſatis expenderet.* Caput *XXIV* de *Philoſtorgio,* Hiſtorico, exponit. Hujus nec ſcriptores coævi, nec ſequentes ad *Photium* usque, meminerunt. Circa A. 364 natum fuiſſe, probabile eſt admodum. *Eunomianis* contra Catholicos favebat. Scientiis probe fuit cultus, Philoſophia naturali, Hiſtoria, Geographia, Poeſi, Medicina, Matheſi, & Aſtronomia; præterea multum verſatus fuit in antiquorum ſcripris; ſtudium etiam ſuum ad oraculorum divinorum ſcrutinium tranſtulit. Vixit adhuc A. 425. Hiſtoriam ſuam conſignavit, quo illos, qui æternam Filii deitatem defenderunt, exoſos redderet, quos proin continuo ſugillat, *Arianæ* factionis duces, *Euſebium Nicomedienſem*, *Theophilum Indum*, alios,

Pag. 600 - 640.

640 - 659.

alios, multis ornans elogiis. In gratiam *Arii* multa eſt commentus; quare *Photius* ipſum *mendacem* appellat. Hiſtoriæ ipſius compendium tantum habemus, & illud ſatis amplum, quod excerpſit *Photius*, unde & quædam afferuntur. *Capite XXV*
Pag. 659 - 669. agitur de *Socrate*, *Hiſtorico*. Circa A. 380 lucem vitæ primum adſpexit Conſtantinopoli. Cauſas primum in foro egit, unde nomen *Scholaſtici* ipſi adhæret, quod tamen neque antiqui, neque *Photius*, ipſi tribuunt. Precibus *Theodori* motus, ad Hiſtoriam eccleſiaſticam condendam ſe accinxit, in qua quid præſtiterit, Autor noſter luculenter docet. Stilo ipſius non multum elegantiæ ineſt, & videtur ſibi propoſuiſſe, res in civitate Chriſtiana notabiles ſcribendi genere magis perſpicuo, quam culto, ad poſteritatem transmittere. Fatetur quidem, ſe operam dediſſe, ne quid a veritate alienum afferret, verum fides ipſi in omnibus haberi nequit. In enarrandis dogmatibus accuratus non eſt, & nonnullis videtur *Novatianorum* cauſæ
669 - 688. patrocinatus. *Caput XXVI* pertinet ad *Sozomenum*, *Hiſtoricum*. Non Salamine, oppido Cypri, oriundus fuit, ſed in Palæſtina, & quidem in agro Gazenſi, natus. Miraculis S. *Hilarionis* ad Chriſtianam religionem traductus fuiſſe dicitur. Palæſtina relicta, Conſtantinopolin ſe contulit, ibidemque cauſarum patronum egit, unde nomen *Scholaſtici* ipſi datur. Duplex opus hiſtoricum edidit, primo Compendium, ab adſcenſione Chriſti in cœlum usque ad A. 323, quod periit, deinde opus majus, in *IX Libros* diſtributum, in quo enarrare conſtituerat res in eccleſia geſtas ab A. 324 usque ad A. 439, ſed ultra annum 415 non eſt progreſſus, illud vero integrum ad nos non pervenit. In ipſius hiſtoria habentur res multæ notatu dignæ, ſed quas ex *Socrate* transſcripſiſſe videtur, quod potiſſimum dici poteſt de illis, quæ de *Novatianis* commentatur. *Novatianos* tamen tanquam ſectam ſeparatam ab orthodoxis ſpectavit; laudavit igitur virtutes externas, quas in *Novatianorum* doctoribus de-
689 - 706. prehendit. *Cap. XXVI* de *Philippo Sidete*, & *Joanne Eutychiano*, *Hiſtoricis*, commentatur. *Philippus Sidetes*, oppido Pamphiliæ oriundus, inde a juventute ſtudiis literarum operam dedit, & numeroſam omnis generis librorum collegit Bibliothe-

cam.

cam. Cum *Chryſoſtomo* arctam coluit amicitiam, & in eccleſia Conſtantinopolitana functus eſt munere Diaconi, hinc factus Presbyter, aliquando etiam ad Epiſcopatum petitus, ſed conatu irrito. Opus hiſtoricum conſignavit dicendi genere Aſiatico, fuſo & luxuriante, quod in *XXXVI Partes*, unamquamque autem *Partem* in diverſos *Libros*, diviſit, multasque res inutiles immiſcuit. *Joannes Eutychianus* Hiſtoriam Eccleſiaſticam, *Libris V* comprehenſam, edidit, ab A. 428 ad 477, quibus *quinque* alios adjecit, quorum notitiam non habemus. *Cap. XXVIII* differit Autor de *Conciliis Ravennatenſi, Carthaginienſibus, Hipponenſi, Conſtantinopolitano,* & *Romano; Cap.* Pag. 706-708.
XXIX de *Conciliis Alexandrino, Epheſino,* & nonnullis aliis, 709-715.
quæ convocata ſunt in cauſa *Neſtorii; Cap. XXX* de *Conciliis* 716-774.
Rivenſi, Arauſionenſi, Vaſonenſi, Arelatenſi, & *Veſontionenſi.* 775-779.
Subjungitur Index rerum notatu digniorum.

RECENSIO TOMI IX COMMENTARIORUM Petropolitanorum continuata & finita.

Conf. *Nova Acta Menſis Novembris* hujus *Anni pag. 945 ſeq.*

De *Voluminis* hujus *Claſſibus phyſica* & *hiſtorica* nunc verba facturis, in illa primo ſeſe offert *Ge. Wolfg. Kraftii de Thermometris Diſſertatio experimentalis.* Quo plura occurrunt in indaganda corporum natura & effectibus phænomena, ad quorum inveſtigationem exacta gradus caloris, vel frigoris, cognitione opus eſt; eo majorem inſtrumenta, huic fini accommodata, Thermometra, ab iis, qui Phyſicam experimentalem colunt, attentionem, atque in his perficiendis ſolertiam, jure meritoque deſiderant. Quæ huic uſui inſervire poſſunt, varia non contemnenda affert Clariſſ. præſentis Diſſertationis Autor. Monet primo, Thermometra mercurialia omnium quidem maxime ad obſervandum gradus & frigoris gradum eſſe accommodata, nondum tamen ad ſummum, omnique exceptione majorem, perfectionis gradum deducta. Duo autem inprimis indicat, quibus adhuc laborant, incommoda, ſed non indicat ſolum, verum & reme-

Digitized by Google

dium ad ea removenda affert. Primo nondum extra omnem erroris metum poſitam exiſtimat proportionem inter duo volumina maſſæ mercurialis, aquæ fervidæ, & gelaſcenti, impoſitæ; cum tamen uterque hic gradus optime pro fixa Thermometrorum menſura aſſumatur, ut exinde Mercurii, in quovis gradu hærentis, dilatatio ſtatim absque moleſtiori computo cognoſci, atque Thermometra univerſalia conſtrui, poſſint. Ad hanc igitur curatius indagandam ſumſit globulum aureum, cujus diameter eſſet *0, 048* pedis Rhen. &, cum ejus pondus tempore quodam frigido inveniſſet *464* gran., eundem immerſit Mercurio, aquæ gelaſcenti immiſſo, ejusque pondus reſpectivum reperit $88\frac{1}{2}$ gran. Simile experimentum etiam in aqua ebulliente inſtituit. Jam pro determinanda hinc diviſione Thermometri, primo formulas generales condit. Sit nempe Mercurii in Thermometro volumen in aqua ebulliente $= V$, ejusdem in alio quodam minori caloris gradu locati volumen $= v$, ſitque Thermometrum ita in gradus dividendum, ut numeri adſcripti condenſationem voluminis, in aqua ebulliente acquiſiti, denotent in partibus decies milleſimis dicti voluminis, ponaturque talis quidam numerus adſcriptus $= \frac{n}{10000}$. Unde, quia condenſatio eſt ratio differentiæ Voluminum ad volumen majus conſtans, erit ea $= (V - v) : V$, quam cum numerus adſcriptus denotet, erit $n = 10000 - 10000\, v : V$, & $V : v = 10000 : 10000 - n$. Hac igitur ratione $V : v$ ad legitimum loco Mercurii, aquæ gelaſcenti impoſiti, numerum adſcribendum opus eſt. Determinat vero hunc numerum n ope experimentorum allatorum quam proxime $= 150$, adeo ut Mercurius in aqua gelaſcente condenſatus ſit parte $\frac{150}{10000}$, ſeu $\frac{3}{200}$ voluminis, quod in ebulliente habuerat; unde prodit $V : v = 200 : 197$, qualem etiam Cl. *Deliſle* adhibet. Ceterum ipſe non negat, experimenta hæc eſſe adeo ſubtilia, ut minimus error differentiam aliquot graduum producere queat. Difficultas altera

in

in eo conſiſtit, quod vitrum ipſum, quo Mercurius includitur, a calore expanſionem, a frigore contractionem, patiatur, quo fiat, ut ipſa altitudo Mercurii paulo aliter, quam absque hac variatione, prodeat. Hanc vero ita levari poſſe putat. Conſtat nempe, Thermometro aquæ calidæ ſubito immiſſo, Mercurium primo momento deſcendere, dein vero adſcendere, & contrarium in gelida accidere; utrumque vero ſubitaneæ dilatationi & contractioni Mercurii deberi. Poteſt autem utroque caſu ſpatium adſcenſus, vel deſcenſus, facile experiundo definiri; unde, ſi obſerventur præterea altitudines, in quibus Mercurius conſiſtere videtur, deturque volumen cylindri Mercurio pleni, & ſectio tubuli, poterit exinde, propter pondus Mercurii utroque caſu æquale, formula effingi, per quam ex datis modo dictis definiri poſſunt denſitates veræ, adeoque volumina Mercurii; quam ipſam formulam Autor noſter exhibet. Sequuntur 2) *Joſ. Weitbrechtii Obſervationes Anatomicæ, ad hiſtoriam & actionem muſculorum labiorum, oſſis hyoidis, faucium, linguæ, laryngis, pertinentes.* De uſu muſculi quadrati colli, qui platyſma myoides dicitur, in diverſa abierunt Anatomici, aliis eum motui labiorum, aliis maxillæ, inſervire aſſerentibus, utrumque vero ipſi vindicari poſſe, facta ad terminos ejus, horumque ſtatum fixum, debita attentione, oſtendit Noſter. De elevatoribus labii inferioris propriis duo notat: primo eos hoc officio, quod ipſis tribuunt *Santorinus* & *Albinus*, fungi non poſſe, cum potius labium deprimant, & maxillam verſus adducant; dein confundendos non eſſe cum elevatore labii inferioris proprio *Cowperi*, cui potiori jure elevatio menti competat. De muſculi digaſtrici forma, ſitu, officiis, varia obſervat. Ductum excretorium in homine pro ductu communi, ad glandulam ſublingualem & maxillarem pertinente, habendum eſſe, putat; & oſcula excretoria, ab *Heiſtero* delineata, non e glandula illa ſublinguali prolongata, ſed ab aliis quibusdam glandulis ſolitariis, quales labiales eſſe ſolent, provenire. Muſculum ſtylohyoidem alterum frequentius, quam vulgo putatur, adeſſe, adeoque in muſculorum cenſum, ceu ordinarium, merito recipiendum Pag. 249.

eſſe, monet. Plurima etiam haud contemnenda de muſculis uvulæ, linguæ, atque pharyngis, circa quos admodum ambiguæ ſunt Autorum ſententiæ, affert, de quibus omnibus ſigil-
Pag. 269. latim dicere, inſtituti ratio haud permittit. Idem 3) *Obſervata varia in ſectione juvenis, cujus manus & pedes monſtroſi erant, A. 1735 facta*, exponit. Deformatio membrorum, in homine iſto conſpicienda, eo inprimis rediit: in manu dextra geſſit non niſi pollicem unumque digitum, in ſiniſtra pollicem & duos digitos, in utroque pede pollicem digitumque unum; harum extremitatum articulationes incurvatæ fuerunt, adeo ut digiti non niſi ceu ſcarabæorum cornua verſus ſe inclinari potuerint; in inceſſu uterque pes genuflexionem vix admiſit; utrumque femur attolli quidem, ſed dextrum ſaltem abduci, ſiniſtrum tantum adduci, potuit. Quænam igitur, facta ejusdem ſectione, tam in oſſibus, quam muſculis manuum pedumque, a ſtructura naturali aliena deprehenſa ſint, ſigillatim enarrat Autor, iis, qui de indagandis monſtrorum originibus laborant, uſui futura. Pergit Vir laudatus
275. 4) ad *explicationem difficiliorum experimentorum circa adſcenſum aquæ in tubos capillares*. Conſtare, credimus, Lectoribus noſtris ex recenſione *Tomi* horum *Commentariorum* præcedentis, tradidiſſe ibi Virum Cel. theoriam notiſſimi phænomeni de adſcenſu aquæ in tubos capillares, ex principio attractionis methodo valde ſimplici ac eleganti deductam. Faſſus erat in illius Diſſertationis fine, reperiri quædam experimenta explicatu difficiliora, quin imo ex parte theoriæ iſti primo intuitu contraria; quibus igitur diſcutiendis in præſenti operam navat. Ad tres autem potiſſimum claſſes ea reducit, quorum alia verſantur circa tubulos cylindricos, alia circa conicos, alia circa ſiphones. Quod primo ad *cylindros* attinet, monet, eandem ſemper altitudinem, ideoque & quantitatem, aquæ in tubo elevari, ſive ſit continua, ſive, aere interjecto, quomodocunque in portiones dirimatur, idque non minus vi theoriæ, quam experimentorum, conſequi. Si itaque experimenta quædam huic legi contrarientur, externam quandam cauſam adeſſe, neceſſe eſt. Tale quid accidit, ſi tubus,

tubus, ex vitro paulo craſſiori conflatus, aquæ immerſus, extrahatur inde; tum enim, facta avulſione, aqua intra eum primo quidem paulo deprimitur, dein vero ad majorem, quam debet, altitudinem reſilit, guttula orificio inferiori adhærente. Oſtendit autem, ipſam hanc guttam tunc deſcenſum aquæ impedire, & præterea augmentum iſtud altitudinis certis includi limitibus. Refutat *Muſſchenbroeckium*, aeris bullulas, aquæ interjectas, hanc ad majorem altitudinem elevare poſſe, ſtatuentem. Porro ſententiam ejusdem Phyſici examini ſubjicit, quod tubi eo altius aquam in ſe rapiant, quo ſint longiores, ideoque elevatio aquæ a tota tubi longitudine oriatur; quæ, ſi vera eſſet, totam omnino Autoris noſtri theoriam everteret. Non autem ſolum experimenta contraria *Carrei*, *Bülſingeri*, & propria, affert, quibus, altitudinem aquæ a longitudine tubi neutiquam pendere, evincitur; ſed &, ipſa experimenta *Muſſchenbroeckiana* ſibi ipſis haud probe conſtare, imo alia ſententiæ ſuæ favere, oſtendit. Pergit ſecundo ad *tubos diametri inæqualis*, docetque, aquam ſemper vi majore attrahi a peripheria anguſtiore, quam ab ampliore, ideoque ab illa ad majorem altitudinem ſuſtineri poſſe, ſemper vero altitudinem aquæ pendere a diametro peripheriæ, cui ſuprema illius ſuperficies proxime adhæret. Hinc occurrit dubiis, ac ſi aqua in tubis conicis ad majorem minoremve, quam debeat, altitudinem aſſurgeret, prout baſis major vel deorſum, vel ſurſum, convertitur; ac, omnia iſta phænomena in tubis diverſæ capacitatis, ſive aer interjectus ſit, ſive non, probe cum theoria conſpirare, demonſtrat. Denique *ſiphones* contemplatur. Varia in iis occurrunt phænomena, prout vel ſipho vacuus implendus eſt, vel repletus tenetur in aere, vel idem orificio ſuo ſuperficiei aquæ admovetur. In his explicandis ad tria attendendum eſſe, monet, ad vim nempe tubi attractivam, preſſionem atmoſphæræ, & pondus ipſius aquæ. Omnia autem fundantur ſequenti regula generali: Sit ſipho plenus, cujus crura longitudine & diametro quomodocunque differant; jam, ſi differentia crurum æqualis, vel minor, eſt altitudine, ad quam aqua elevari poteſt vi attracti-

va

va peripheriæ, quæ aquam inter movendum dimittere deberet, nullus erit motus; ſin differentia crurum major eſt iſta altitudine, aqua effluet per crus longius. Ex hac deducit varias regulas pro caſibus ſpecialibus, e. g. ſi os cruris brevioris ſiphonis pleni aquam lambat, eam ſemper effluere e longiore; ſin longioris, non effluere eam ex longiore, niſi differentia crurum major ſit altitudine modo dicta; vel, ſi ſiphonis vacui, diametri ubique æqualis, crus alterum aquæ admoveatur, ejusque longitudo minor dicta altitudine, adſcendere aquam, & in altero deſcendere, donec impletus ſit totus, eamque, ſi crus alterum crure admoto ſit brevius, quieſcere, ſin longius, effluere; atque ita porro. Has applicat ad plurima experimenta, a celeberrimis Phyſicis inſtituta, eaque maximam partem optime cum illis congruere, partim vero eam, quæ intercedit, differentiam ab aliis circumſtantiis externis ortum trahere de-
Pag. 310. bere, oſtendit. Ipſi ſuccedit *Jo. Amman* 5), *de Alſinanthemo Thalii, ſeu trientali herba Jo. Bauhini*, agens. Hujus plantulæ characteres curatius, quam antea a Botanicis factum eſt, enarrat. Florem fert monopetalum, multifidum, rotatum, fructum unicapſularem, apice dehiſcentem, pluribus ſeminibus, placentæ affixis, fœtum; naſcitur in Ingria & Carelia frequentiſſime ad arborum radices; primo floret vere, fructum fert Junio & Julio. Concludit tandem Autor, eam ita poſſe in-
314. ſigniri: Lyſimachia humilis, foliis ſtellatis, flore albo. Idem 6) brevem *deſcriptionem Betulæ pumilæ folio ſubrotundo* tradit. Ceterum, utramque plantam haud amplius novam eſſe, ſed easdem in aliis quoque ſcriptis, poſt prælecta hæc Schediaſma-
316. ta editis, reperiri, conſtat. Hæc excipit 7) *Ge. Wolfg. Kraftii Obſervationum meteorologicarum, ab anno 1726 usque in finem anni 1736 factarum, comparatio.* Monet primo Vir Clariſſ., præſtare, obſervationes, quamprimum fieri poteſt, pandere, &, quicquid ex iis ad theoriam derivari poteſt, colligere, quam eo usque exſpectare, donec tantus earum ſit cumulus, ut dein veritas quaſi manu palpari queat; ſic enim non ſolum eas tantocyus ad uſum traduci, ſed & melius patere, quomodo ipſæ ad finem obtinendum magis magisque accommoda

modari debeant. Quod jam ad præſentes obſervationes meteorologicas attinet, primo occurrit altitudo Barometri. Pro ſingulis annorum dictorum menſibus exhibetur & maxima, & minima, cum utriusque differentia. Prodit autem, illis undecim annis, omnium maxima *30. 68* poll. Londinenſ. minima *28. 18*, quarum utraque ſemel tantum occurrit; unde earum differentia, quæ variationem maximam Petropoli definit, fit *2. 50*, ſeu *2½*. Hanc comparat cum aliis variationibus, quarum in Jamaica obſervata eſt *0. 30*, Pariſiis *2. 13*, Londini *2. 12*; unde ſuſpicatur, eas creſcere, locis ad polum accedentibus. Dein comparat inter ſe variationes menſtruas, quæ deprehenduntur conſtanter primis & ultimis anni menſibus majores, mediis minores. Paucæ quidem dantur exceptiones ab hac regula, quas vero a majori, quam qui eo tempore alias eſſe ſolet, caloris gradu oriri, oſtendit. Sequitur catalogus omnium fere aurorarum borealium, his annis obſervatarum, adjectis præcipuis cujusque circumſtantiis. Harum numero *141* apparuerunt, & quidem circa æquinoctia frequentiores. Ex earum quibusdam ope methodi, a *Maiero* in *Commentariorum Tomo I & IV* traditæ, deducit diſtantiam materiæ lucidæ a terra, quæ modo prodit *124*, modo *281* mill. German. Adjungit alia levioris momenti obſervata, ut initium congelationis pro quovis anno, quod ſemper cum adſpectu Planetarum quodam inſigni conjunctum deprehendit, eosque nimium in contrariam partem abire exiſtimat, qui omnem poſitionis ſtellarum cum tempeſtatibus harmoniam ſusque deque faciunt, ſecutus ea in re *Keplerum*, qui eandem ſententiam in Tractatu Germanico: *Tertius interveniens*, defendit; porro catalogum tonitruum, quæ his annis audita ſunt 107 vicibus; denique reditum hirundinum, cujus tempus medium redit circiter in 3 Maji diem. Plura exponit in *Prælectione ſecunda*, ac primo quidem obſervationes thermometricas. Pag. 344. Pro ſingulis annis exhibet dies, tam caloris, quam frigoris, maximi. Thermometra Florentina ſucceſſu temporis vim expandendi amittere, propria experientia didicit, adeo, ut eidem gradui Thermometri mercurialis primo *120*, dein duo-

Digitized by Google

bus annis poſt non niſi 95, gradus reſponderent; cujus generis plura exempla affert. Regulam illam, quod, calore poſt tonitrua non ceſſante, utplurimum nova redeant, variis obſervationibus confirmat. Porro exhibet pro ſingulis annis quantitates nivis & pluviæ, inundationes Nevæ fluvii, tonitru hyemale, grandines, procellas, (qua occaſione tradit methodum, ex dato angulo, quo ventus planum dati ponderis elevare poteſt, ejus velocitatem inveniendi, quam pro obſervatione quadam reperit *123* ped. Rhen. *i''do*) parhelios, halones
Pag. 358. ſolares lunareſque. Eaſdem obſervationes per A. 1737 continuavit. Altitudinem barometri maximam deprehendit *30. 95*, adeoque majorem, quam antea unquam, unde nunc variatio maxima emergit *2. 77*. Simili ratione & reliqua perſecutus eſt. Ceterum non ſolum plurimæ annotationes, ad ſolidiorem tempeſtatum cognitionem utiliſſimæ, in hiſce obſervationibus occurrunt, ſed &, eaſdem egregio iis, qui ſimiles obſervationes inſtituere cupiunt, exemplo eſſe poſſe, confidimus, ut, ad quænam præcipue attendendum ſit, intelligant.

367. Sed tempus eſt, ut etiam de *Claſſe tertia, hiſtorica*, quædam dicamus. In hac continetur unica tantum Diſſertatio *T. S. Bayeri de Geographia Ruſſiæ, vicinarumque regionum, circiter A. C. 948, ex Conſtantino Porphyrogenneta.* Fundamentum, cui ſuperſtruitur præſens diſquiſitio, eſt liber, ab Imperatore *Conſtantino Porphyrogenneta* conſcriptus ad *Romanum*, filium ſuum, eum in finem, ut quemadmodum in adminiſtrando imperio ſe gerere deberet, eum edoceret, & continens permulta, ad illuſtrandum regionum, ad Danubium, Boryſthenem, Pontum, Caucaſum, Volgam, & ultra, ſitarum, ſtatum utiliſſima. Incidit vero ſcriptionis tempus circiter in A. C. 948. Ex eo jam concinnavit *Guil. Deliſle*, Geographus celebris, Tabulam geographicam, *Bandurii Imperio orientali* inſertam, quam vero attentius perquirens, non ſolum, in quibusdam ibi a vero aberratum eſſe, reperit Autor noſter, ſed &, paucas tantum rationes eſſe traditas, cur is potiſſimum ſitus locis tributus ſit, notavit. Huic ergo incommodo medelam afferre cupiens, duce *Conſtantino*, cujusque gentis & loci ſitum exqui-

Digitized by Google

exquirere, &, quænam ad eum determinandum rationes ipſum adduxerint, ſigillatim explicare, conſtituit; aliis quoque ejusdem temporis monumentis ſimul collatis. Hoc ipſum præſenti Diſſertatione executus eſt, adjecta Tabula geographica, exinde conſtructa. Ceterum, ipſam rei naturam haud permittere, nec ulli utilitati fore, credimus, ut uberius contenta ejus exponamus; quare Geographiæ medii ævi ævi cultores deſiderio ſuo optime, ipſam hanc Diſſertatationem in manus ſumendo, ſatisfacient.

Fini præſentis *Voluminis* pro more annectitur *Obſervatio Eclipſis lunaris d. 8 Sept. A. 1737*, referente *Godofr. Heinſio*, quæ varia artificia, ad doctrinam Eclipſium in genere, inprimis ad definiendam moram tranſitus lunaris per filum tubi horizontale, & ſemidiametrum umbræ, hincque determinandas phaſes, ipſaque palmaria Eclipſeos momenta, apprime utilia, complectitur.

Hiſtoriſcher Müntz-Beluſtigungen ſechzehenter Theil, ꝛc.

hoc eſt,

HISTORICARUM E NUMIS OBLECTATIONUM Pars ſexta decima, Autore JO. DAVIDE KOELERO.

Noribergæ, apud viduam Chriſtophori Weigelii, ſenioris, Chalcographi, 1744. 4.
Alph. 2 plag. 14.

Spectant hæ Deliciæ ad Annum 1744, complectentes ectypa Numorum LXIII, ac adjecta commentaria, ſolide elaborata. Cel. Autori viſum fuit, hanc *Partem* Sereniſſ. Haſſorum Landgravio, *Wilhelmo*, conſecrare. Præfatio ipſa in continuanda Joachimicorum ſerie verſatur. Initium fit a Thaleris Mansfeldicis, quorum copia haud contemnenda exſtat. Comitibus Mansfeldicis ſeſe benignam exhibuit olim fodina æris cyprii ac argenti, prope Hechſtetum ſita, quam A. 1199 putant apertam, uſuique ſacratam, fuiſſe. Succeſſu tem-

Digitized by Google

poris benignitas illa in anguſtias redacta eſt. Juris fodinarum metallicarum origines ad Imperatores ſunt referendæ. Comites ab his beneficii loco,quod *feudum* vocant, id ſuſceperunt A. 1215, 1323, 1364, 1416. Imperator vero poſthæc Comites juſſit id juris ab Electoribus Saxoniæ obtinere. Pactum eo fine Electores inter & Comites initum fuit A. 1484: Thaleri Mansfeldici ſunt vel nomine Comitum, ſimul viventium, cuſi, vel a ſingulis percuſſi. Inter communiter cuſos eminent duo Thaleri, S. *Georgii* equitis figuram in averſa referentes. Antiquior fuit A. 1521 percuſſus. Antica exhibet inſigne Comitum gentile, ac literas: MONE. ARGEN. COM. DO. DE. MANSFE. In poſtica circa *Georgium* leguntur hæc: SANCTUS. GEORGIUS. PA. DO. D. MAN: Et in limbo phalerarum: ORA. PRO. NOBIS. Idem repetitus fuit A. 1522 & 1523. Deeſt tamen in hiſce vocula NOBIS ſupra limbum. Recentior A. 1609 in lucem exiit, addita gnome: *Bey Gott iſt Rath und That*, conſpicuus ac inſignis. Hiſce *Georgianis* numis olim id laudi ductum fuit, quod geſtatorem ſui conſtantem redderent immunem ab ictu, vulnere, ac trajectionis pyriæ ſuſtinendæ periculo. A. 1524 Comites Mansfeldici juſſu communi percutiendum curarunt Joachimicum, memoriæ *Hoieri I*, qui *Henrici V* Imperatoris A. 1115 fuit adverſus Saxonas dux bellicus, ac in prælio ad *Welfesholt Wiprechtum*, Comitem Groitſchenſem, tunc interfecit, conſecratum. Inter inſignia galeata viſitur annus 1524. Perigraphe ſic habet: G. HOIGER VGEBORN. H. N. K. S. VLORN, id eſt, *Graf Hoiger ungebohrn, hat noch keine Schlacht verlohrn.* Ipſe enim,ſe nunquam in prælio victum fuiſſe, ſæpius prædicavit. Dicitur ipſe ex utero matris demorientis citra opem humanam in lucem exiiſſe, teſte *Tenzelio* in *Dialogis menſtruis A. 1689 Menſ. Aug. pag. 872.* Enſis ejus præliaris diu in arce Mansfeldenſi inſtar Palladii aſſervatus fuit. Non vacat delibare ea, quæ Cel. Autor de reliquis Joachimicis Mansfeldenſibus admodum docte expoſuit. Recenſuit eorum 137. Adjumentum inſigne huic Sylloge attulit Conſiliarius ducalis Gothanus, *Schlegerus.* Dolendum eſt profecto, res Mans-

Mansfeldicas ſcriptoribus dignis fere caruiſſe. *Chriſtiani Gothofredi Hoffmanni* liber: *Die Ehre des Hauſes Mansfeld*, honori Comitibus haud eſt. *Euſebius Chriſtianus Franckius*, Cantor Friedeburgenſis, in libro: *Hiſtorie der Grafſchaft Mansfeld*, modulo ſuo ac pede ſe debuit metiri. *Spangenbergii* liber principatum obtinet, cui vero ſupplementa & continuationem adjungere oportuit ex tempore ſatis diuturno. Nunc vero ad Delicias ipſas eſt accedendum. Earum primum limen exhibet viſentibus duos Joachimicos rariores, A. 1717 & 1721 ab *Erneſto Ludovico*, Haſſo-Darmſtadino Landgravio, percuſſos. Prior ex argento alchimico, poſterior ex ordinario, conflatus fuit. Miſerat ignotus quidam Landgravio Sereniſſimo pulverem alchimicum, quo plumbum in argentum poterat converti, quantus quidem centum Joachimicis uncialibus ſufficiebat. Addit Noſter exempla Principum Germaniæ, qui Pag. 2. rei alchimicæ operam ſtudiumque navarunt. Refert ad eum cenſum Imperatorem *Rudolphum II*, ac teſtes citat *Barclajum* in *Satyrici P. II Cap. 28*, ac *Danielem Eremitam* in *Itinerario Germ. pag. 385*, nec non *Bohuslaum Balbinum* in *Miſcell. Hiſt. R. Bohem. Dec. I Lib. I Cap. 35*. *Ferdinandus II* Imp. magni fecit *Michaelem Sendivogium*, Polonum, chimicis laboribus inclitum. *Ferdinando III Richthauſius* quidam ardorem ſtudii alchimici inſtillavit. *Leopoldus* Imperator aluit æque Metallurgos haud unos, qui victui ſuo parando, ſi aureum vellus reportaſſent, potuiſſent ſufficere. Elector Saxoniæ *Auguſtus* artium & artificiorum pæne omnium fundamenta, rationes, & cauſas, miro acumine inveſtigaverat, rerumque chimicarum erat peritiſſimus. Ipſe omnino 17 milliones Joachimicorum poſteris reliquit. *Alexandrum Tartagnum*, 8. jureconſultiſſimum, ac legum interpretem Bononienſem, quid memoremus? Metallio, qui ipſum exhibet, eſt orichalceus, ac 15 lothones $3\frac{1}{2}$ drach. æquat. Exhibet ipſum Noſter, 9. & *Joannis Fichardi Periochas Vitarum JCtorum neopalæorum*, Baſileæ A. 1539 editas, a *Guidonis Panciroli* criminationibus defendit. Natus fuit *Tartagnus* Imolæ in Romania Pontificia, legumque peritiam docuit Ferrariæ, Patavii, Paviæ,

ac Bononiæ, ubi obiit A. 1477, ſepultus in templo Dominicanorum. Compoſuit Commentarios in Codicem omnem, ac omnes Digeſtorum partes, *Voluminibus octo*, nec non expoſitiones alias juridicas, præter *quinque Conſiliorum Volumina.*
Pag. 17. Non omittendus eſt Joachimicus duplus urbis Tannenſium, in antica patronum S. *Theobaldum*, Epiſcopum, exhibens delineatum. Urbs illa ſita eſt in Suntgovia ſupra Thurum. In Annalibus Bertinianis ad A. 839 memoratur *Comitatus Suentiſiorum*, a *Ludovico Pio* tunc *Lothario* filio datus. Comitatum Pfirt cum villa Tanne Comes Firretanus, *Ulricus I*, Epi-
20. ſcopo Baſileenſi in feudum obtulit. *Gerhardus*, Epiſcopus Baſileenſis, eum in gratiam *Ulrici II*, cujus filia natu major *Alberto II*, Duci Auſtriæ, A. 1324 nupſit, convertit in feudum promiſcuum A. 1318. Comitatum igitur Firretanum Dux Auſtriæ, mortuo A. 1324 *Ulrico*, ſuum fecit, datis *Urſulæ*, uxoris ſuæ ſorori, 2000 marcis argenti, ad pretium Baſileenſe computati. Quis ille exſtiterit *Theobaldus* patronus, Noſter haud audet definire. Videtur deſignari *Theobaldus*, Sacerdos & Eremita ad Vicentiam, cujus ſanctitas A. 1066, 30 Jun. quo obiit, cœpit celebrari. Avunculus aviæ ejus erat *Theobaldus*, Archiepiſcopus in Gallia Viennenſis. Inde per errorem *Theobaldus* ille, patronus Thannenſis, nomen Epiſcopi acce-
25. pit. Dimittimus *Theobaldum*. Jucundiora ſuccedunt. Adſpectui ſeſe affert Numiſma joculare, quo nuptiæ ſecundæ *Joannis Caſimiri*, Ducis Saxo-Coburgenſis, A. 1599 celebratæ, pungantur. Exponit Noſter Ducis illius prius conjugium cum *Anna*, Electoris *Auguſti* filia, A. 1586 Dresdæ contractum, ac A. 1593 infeliciter reſciſſum. Ipſa hic in averſa numi viſitur, geſtamen virginis votivæ, ac roſarium præferentis, induta. *Margaretham*, *Wilhelmi* junioris, Ducis Brunſuico-Luneburgenſis, filiam, duxit A. 1599, 16 Sept., nec ullum inde
27. ſuſcepit hæredem. Subjungit Noſter *Heraclii* Imperatoris recentiorem ſatisque famoſum triumphatorem metallionem, quem Italia, inventrix operum ingenioſiſſimorum, Seculo XV
33. videtur effinxiſſe ex ære. *Joannes Cuſpinianus* de eo primus injecit mentionem, qui ipſum pro genuino habet æque ac *Octa-*

Digitized by Google

Octavianus Strada cum *Huberto Golzio*, ac *Juſto Lipſio de Cruce III*, 16. *Baſilius Amerbach*, JCtus Baſileenſis, *Jacobus Oiſelius*, *Carolus Patinus*, *Du Cange*, ac *Pagius*, eum eſſe ſuppoſititium, oſtenderunt. Forma coronæ, ſeu camelaucii, hic differt a genuinis figuris. Adjectæ inſcriptiones partim Latinæ, partim Græcæ, ſunt. Noſtrum non eſt, addere hiſtoriam crucis inventæ, a Perſis abreptæ, ac per *Heraclium* reſtitutæ. Vocat nos porro rarior Thalerus *Franciſci Joſephi Schlickii*, Comitis de Paſſaun ac Weiſſenkirchen dicti, A. 1716 percuſſus. Operæ pretium fecit Noſter, dum inſignia gentilitia Comitum ediſſeruit, ac Joachimicorum *Schlickianorum* inſtituit ab A. 1518 usque ad A. 1716 recenſionem. Idem de equitibus *Grieſenbeckiis*, ad *Fridericum* usque *V* Bohemiæ proceribus, hinc extorribus, copioſe commentatur, anſam nactus ex numiſmate, A. 1543 in memoriam ac honorem *Floriani Griespeck in Katzerovia*, qui miles ac conſiliarius Regis exſtitit in Bohemia, percuſſo. Rarior eſt, qui illud excipit, Joachimicus mnemonicus, *Ferdinandi IV* Auſtriaci A. 1646 in Regem Bohemiæ coronati index. Adjicit Noſter pro more bellaria de pompa illius coronationis, de nucibus olim inter illam projectis, de ligneis calceis *Primislai*, de corona Bohemica, juſſu *Caroli* primum facta, ac de jure Regem Bohemiæ coronandi, per *Carolum IV* Archiepiſcopis Moguntinis demto, ac in Archiepiſcopum Pragenſem translato. Paſcit deinde oculos metallio præſtantiſſimus, qui *Carolum*, filium *Philippi II*, Hiſpaniarum Regis, infelicem, 12 annos natum, repræſentat. Spirat candorem is, quo Noſter neci Principis tanti, in A. 1568. 24 Jun. referendæ, parentavit, commentarii complexus. Provocat ſpectatorem, eumque mulcet, ducatus & mnemonicus numus magni Joanniticorum Equitum Magiſtri, *Antonii Manoel de Vilbena*, A. 1723 cuſus. *Manoel* hic ex dynaſtis Luſitanicis, *Manoel* dictis, fuerat procreatus. Horum duæ in Luſitania familiæ vigent. Potior, e qua Magiſter magnus procreverat, orta perhibetur ab *Emanuele*, filio Regis Caſtellani *Ferdinandi III* minimo, A. 1282 defuncto, ac ejus uxore priori, *Beatrice*, *Philippi*, Suevi Impera-

Pag. 37. 49. 52. 71. 76. 81.

pera-

Digitized by Google

Pag. 83. peratoris, filia, exorta. *Emanuel* ille a ſocero ſuo *Jacobo I*,
Rege Arragonum, obtinuit principatum regiunculæ Villenæ,
Mauris A. 1268 ereptæ. Huic regiunculæ A. 1335 axioma
Principatus acceſſit. Inter poſteros *Emanuelis* eminuit *Ferdi-*
nandus Manuel, dominus *de Cheles*, qui ibi genus *Manuelis*
de Villena propagavit. Hoc ſeceſſit paulo poſt in proſapias
geminas, quarum una a *Cheles*, altera a *Villaflor*, cognomi-
natur. *Antonio Manoeli de Vilhena* magiſterium Ordinis
equeſtris *Joannitici* obtigit A. 1722. Vitam ipſe depoſuit A.
87. 1737. Succeſſit ipſi *Raimundus Antonius de Pouch*, Majori-
cenſis. In litibus, quibus Magiſter Ordinis cum equitibus
diſſidet, judicium pronuntiatur ex tribunali, quod nomine
Gallico *esgardium*, *égard*, dicitur, ac octo conſtat equitibus,
qui e Balivis eliguntur. Si qua pars huic judicio haud acquie-
verit, conſtituitur judicium aliud, ex octo equitibus conſtans,
cui nomen eſt *Renfortii*. Si nec hujus deciſio placuerit, in-
ſtituitur aliud, *renfortium: renfortii* appellatum. Cujus ubi
ſententia alteri parti, vel neutri, fuerit ad palatum, octo balivi
diverſarum nationum eliguntur, qui controverſiam ita diri-
munt, ut provocationi ulteriori haud ſit locus. Rariſſimus
ducatus urbis Mutinæ, A. 1511 & 1514 cuſus, ſanctum *Gemi-*
nianum, Mutinæ Pontificem, de quo Noſter diſſerit, in averſa
præfert. Succedit huic numus mnemonicus, referens Rhein-
felſam a Gallis A. 1693 fruſtra obſeſſam, a Landgravio Haſſo-
97. Caſſellenſi liberatam. Non omittendus eſt Landgravii Haſſo-
Caſſellani *Caroli* quintuplex ducatus ſymbolicus, A. 1720 cu-
105. ſus. Conſpectu digni ſunt duo Haſſiaci Thaleri *Philippici*
cum perigraphe: *Beſſer Land und Leut verlohrn, als einen*
113. *falſchen Eyd geſchwohrn.* Ipſi vero ad imitationis leges ſunt
117. efficti. Excipit eos Thalerus Marchionis Badeno-Badenſis,
Eduardi Fortunati, ad A. 1590, dejecti poſſeſſione terrarum
ſuarum A. 1594, eo quod *Mariam*, nobilitatis conſpicuæ vir-
ginem, *Jodoci de Eicken* filiam, Belgicam ortu, duxerat uxo-
125. rem. Præclarus eſt Imperatoris *Caroli V* metallio, victorum
137. Smalcaldicorum fœderatorum præco ad A. 1547. Numiſma
eſt pulcherrimum, quod poſterior conjux Ducis Saxo-Vina-

rienſis

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

rienſis *Joannis Friderici* medii, *Eliſabetha*, nata ex Electore Palatino, A. 1576 cudi fecit. Rarus eſt thalerus Ducis Würtembergici, *Friderici*, A. 1598 cuſus, quo familiam ſuam Auſtriaca ſubinfeudatione imperiali exoneravit. Deſcendunt ab eo omnes Duces Würtembergici, qui in hunc diem florent. Rarum eſt numiſma, quod autore Abbate Weingartenſi, *Gerwico*, A. 1529 prodiit in lucem. Et quid eſt memorabilius thalero, quo *Henricus Julius* A. 1595 *rebelles* repræſentavit? Nunc demum de eo curate expoſuit Noſter, adjutus *extractu actorum antiquorum*, qui exhibetur in Aſſeſſoris cameralis *de Ludolf Tom. I Conſultat. & Deciſ. forenſ. Symphorem. III n. 13 pag. 274.* Succedit ei thalerus ſepulcralis, memoriæ *Mauritii* ſenioris, Landgravii Caſſellenſis, A. 1632 conſecratus. Rarum eſt numiſma, quod *Ludovicus I*, Rex Hiſpaniarum, A. 1724 feriri juſſit. Adjecit Noſter expoſitioni nonnihil de numophylacio *Molano-Bœhmeriano*. Rariſſimus eſt Celeb. Cardinalis & Archiepiſcopi Salisburgenſis, *Matthæi Langii*, e cive Auguſtano nati, duplus thalerus gnomologicus, A. 1538 factus. Raritatis ejusdem eſt numiſma, quo *Hadria*, *Petri Aretini* filia, ex una concubinarum *Catharina Sandella* olim procreata, ad A. 1548 percuſſum, exhibetur. Fatetur Noſter, ſeſe erraſſe olim, cum, *Petro Aretino* fuiſſe uxorem, ſibi perſuaſiſſet. Emendat hic bene multa, ad vitam illius *Petri* ſpectantia, uſus lampade Comitis *Mazzuchellii*, cujus *Vita Aretiniana* ante paucos annos prodiit. Numum ipſum, haud parum pretii habentem, ſpectandum Lectoribus noſtris in *Tabula*, huic *Menſi* adjecta, dedimus. Progredimur ad numiſma, quo conſecrata fuit A. 1693 memoria Abbatis Trappenſis, *Armandi Joannis Buthillierii de Rance*, qui ſeveriorem Trappæ monaſtice vivendi rationem reparavit. Oculos paſcit numiſma *Balthaſaris de Frunſperg*, A. 1529 percuſſum. Raritate ſe commendat numiſma, quo JCtus inclitiſſimus, *Andreas Alciatus*, ejusque memoria, æternitati transſcribitur. Vitam *Alciati* repetere, haud eſt e re inſtituti noſtri. Meminimus potius rariſſimi ducati *Petri II*, Ducis Burbonii, inter A. 1488 & 1503 percuſſi. Succedit ei *Ennonis II*, Comitis Friſiorum orientalium quarti, thalerus rariſſimus

Pag. 145. 153. 161. 163. 169. 177. 183. 185. 193. 201. TAB. VI. 209. 217 233.

 gno-

Pag. 241. gnomologicus ad A. 1529. Raritate itidem conſpicuus eſt
Chriſtophori, Ducis Würtembergici, thalerus, ad A. 1554 re-
249. ferendus. Eandem raritatis laudem æmulatur thalerus *Mar-*
257. *quardi de Hattſtein*, Epiſcopi Spirenſis, A. 1571 percuſſus.
265. Antiquiſſimus pæne eſt thalerus, quem provinciæ fœderatæ
Belgii, Hollandia ac Selandia, A. 1584 cudi juſſerunt. Sequi-
tur eum ectypon præſtantiſſimi numiſmatis, quo memoria
273. pacis Olivenſis, A. 1660 compoſitæ, ad poſteros fuit transmiſ-
ſa. Memorabilis eſt ducatus Principis Schwarzburgo-Son-
289. dershuſani, *Guntheri*, A. 1737 ex fodina aurifera, recens dete-
cta, factus. Ad *Julianum*, Epiſcopum Oſtienſem, Cardina-
lem S. *Petri ad Vincula*, & ad *Clementem de Ruvere*, Epi-
297. ſcopum Nimatenſem, tres, qui illum excipiunt, numi ſunt re-
ferendi. Urbs Baſilea A. 1499 civitatibus imperii Germanici
adhuc annumerabatur, cum numum argenteum, inſigni ſuo,
305. ac *Mariæ Θεοτόκου* imagine, cui ſalutatio angelica fuit adſcri-
313. pta, ſpectabilem cuderet. Poſtpoſuit ei Noſter ducatum,
quem reſpublica Untervaldenſis A. 1726 cudi juſſit. Jubi-
leum regiminis ſui expleverat *Erneſtus Ludovicus*, Landgra-
vius Haſſiacus Darmſtadinus, A. 1738. Quam ob cauſam fe-
ſtum egit ſolenniter diem, eumque numiſmate mnemonico
conſecravit. Memoratu æque digna ſunt ingenioſa numiſ-
mata, quibus Dux Brunſuico Luneburgicus, *Antonius Ulricus*, A.
320. 1702 cauſas concordiæ fraternæ diſſolutæ exprimendas curavit.
Expoſitio critica & hiſtorica, qua numis hiſce lux affuſa fuit,
& diligentiam redolet, & accurationem. Vocat nos vero
ectypon numiſmatis mnemonici, quod mortem *Caroli*, Land-
327. gravii Haſſiaci Caſſellani, ad A. 1730 illuſtrat, ac in Suecia per-
345. cuſſum fuit. Is, qui ſequitur, numus Conſulem ac novem
cives, Thorunii A. 1724 trucidatos, oſtendit. Memorabile eſt
353. numiſma, quo *Chriſtina*, Sueciæ regina, A. 1654 rationem re-
gni abdicati demonſtravit. Singularis eſt bracteatus, qui *Hen-
ricum VII*, Germaniæ Regem, *Friderici II* filium, exhibet,
cuſus, vel conflatus, tempore eo, quod A. 1222 & 1235 inter-
jacet. Adjungit Cel. Autor diſſenſionem patris filiique, huic
exitioſam, ac ita, faventibus Muſarum plauſibus, hanc quoque

Par-

Digitized by Google

Par'em ad umbilicum addacit, in qua non ſolum diligentiam ſuam haud remiſit, ſed acuit etiam usquequaque, & varia errata emaculavit.

ΒΙΩΝΟΣ ΚΑΙ ΜΟΣΧΟΥ ΕΙΔΥΛΛΙΑ.
BIONIS & MOSCHI IDYLLIA, EX RECENSIONE NICOLAI SCHWEBELII, Norimbergenſis; cum ejusdem Animadverſionibus.

Venetiis, apud Jo. Baptiſt. Paſchalium, 1746, 8.
Alph. 1 pl. 16.

Plena ſunt non lepore magis ac amœnitate, quam conſiliis ſapientibus, *Bionis* & *Moſchi* Poematia, ut haud male egerit Clariſſ. Editor, quod in excutiendis his atque illuſtrandis antiquitatis canæ reliquiis operam ſuam & ſtudium uberius collocavit. In quibus quidem emendandis quamvis ſummi jam Viri, atque hi in literatura Græca facile principes, quorum in numero *Scaliger*, *Caſaubonus*, *Stephanus*, *Vulcanius*, *Urſinus*, *Heinſius*, aliique, habentur, feliciter ſatis occupati fuerunt; quoniam tamen ſuam diligentiam, ut Vir doctus ait, in corigendis reſtituendisve ſaltem affectis locis exercuerunt, vocabula autem, atque reliquas antiquitates, vel plane non, vel parciſſime, attigerunt, jacturam hanc (ſi appellari modo ſic debeat,) reſarciendam eſſe aliqua nova editione, in qua omnia plana eſſent, & verboſis Notis onuſta, *Schwebelius* ſtatuit. MStis igitur Codicibus, quamvis quidem ab initio volebat, nullis tamen uſus eſt. Nam Codex MStus *Europæ Moſchi*, quam ex Bibliotheca Auguſtana acceperat, literis valde exeſis erat, nec plane integer, ex quo nihil ferme uſibus ſuis ceſſiſſe dicit, præterquam quod hæc *Europa*, de cujus Autore diverſe ſentiunt eruditi, *Moſcho* tamen diſerte in eo tribuebatur. Itaque unicum præſidium in vetuſtis editionibus, ex MStis exemplaribus, vel aliis bonæ notæ, expreſſis, repoſuit, eamque in rem *Longapetræi* editionem cum prima

 Aldi

Aldi Manutii, & excuſis *Urſini*, *Vulcanii*, *Stephani*, *Heinſii*, *Whitfordi*, *Wintertoni*, exemplaribus, contulit, ac Variantes Lectiones, niſi ubi ſphalmata eſſe typographica videbantur, annotavit. Ex *Aldi* tamen editione, non recte putavit, locos varios Eclogarum emendari atque corrigi non poſſe. In quo potiorem *Heinſii* autoritatem habere debuiſſet, qui præclare de illa editione, neque immerito, verba fecit. Verſionem Latinam *Heinſii* retinuit, nec mutavit, niſi pauciſſimis in locis, leviter. Ad contextus illuſtrationem non integras ſolum *Urſini*, *Vulcanii*, *Stephani*, *Scaligeri*, *Caſauboni*, *Heinſii*, *Xylandri*, *Palmerii*, annotationes, in quo laudem omnino debitam meretur, adjecit, ſed & ſuas proprias longe ampliſſimas, in quibus nihil reticuit illorum omnium, quæ ſciebat. Denique, ut juſtiorem liber formam indueret, utriusque Poetæ ſui verſiones duas metricas, ſuaves quidem atque non contemnendas, nimirum Gallicam *Longapetrai*, cum ejusdem annotationibus integris, deinde Latinam *Davidis Whitfordi*, Scoti, ſuperaddidit, rivosque ſuos bucolicos duobus Indicibus, altero Græcorum verborum, altero rerum, in Notis, a ſe adjectis, contentarum, clauſit. Præfixit etiam operi, ne quid deſit, Prolegomena, admodum docta, ſi perpendis, bonam eorum partem *Heinſii Lectionibus Theocriticis* deberi. Inſunt tamen nonnulla, quæ de ſuis etiam adjecit. In his ponenda, quæ de tribus vitæ humanæ generibus, de naturali, paſtorali, ac agrario, ex mente antiquiorum expoſuit, & ubi de dignitate ediſſeruit, qua olim βίος fuerit ποιμενικὸς, ita, ut ne fœminæ quidem illuſtriores abſtinuerint a pecoris paſcendi ſtudio, ipſaque Numina ſæpe cum paſtoribus commercium habuerint. Huc referenda, quæ ex profanis partim Scriptoribus, ut *Xenophonte*, *Philone*, (unde plura tamen deſumere ejus generis potuiſſet,) *Luciano*, atque aliis, partim ex ſacris literis, depromſit, quod nimirum vita paſtoritia maximos ſæpe orbi principes dedit; & quod divitiæ veterum in pecoris abundantia poſitæ fuerunt; monetæ autem antiquiſſimæ pecoris formam expreſſam habuerunt; & quæ ſunt alia hujusmodi. Ex *Heinſii* autem rivis utplurimum deducta ſunt,

quæ

Digitized by Google

quæ de variis paſtorum generibus, de bubulcis, de opilionibus, caprariis, agaſonibus, aliisque, dixit; item, quæ de origine carminis paſtoralis expoſuit, & utrum illud ad epicum referri carmen poſſit; nec non, quæ de metro, ſtilo, ac dialecto, in qua bucolica ἔπη ſunt compoſita, communicavit. Tandem, quæ de vita *Theocriti*, *Bionis*, & *Moſchi*, enarravit, nimis & brevia ſunt, & non incognita plerisque, vera tamen, & uſibus juventutis φιλέλληνος non male accommodata. Sed, quod ad Notas attinet, quæ ad illuſtrandum *Bionem* & *Moſchum* ab illo conſcriptæ ſunt, hæ nimis longe quidem, ſed non nimis plerumque exquiſitæ, ſunt: addimus, hodiernis in Autorum editionibus plane ſupervacuæ. Puer enim plane ſit oportet, qui neſciat, quid ſignificet e. g. ἐπιτάφιος. Atqui ea vox in prima ſtatim pagina *Idyllii Bionis I*, ubi Epitaphium *Adonidis* commemoratur, ad nauſeam usque inculcatur, & in integram Diſſertationem philologicam de carminibus funebribus, næniis, & ejusmodi rebus aliis, extenditur. In eodem *primo Idyllio* rudis ille quondam lector nunc ſe de rebus valde ſcilicet obſcuris edoctum gaudet, ut ſunt, quæ de veſtibus purpureis, occaſione verborum πορφυρέοις ἐνὶ φάρεσι; de atro colore, & veſtibus pullatis; de paſſis comis in luctu; de niveo cutis colore, quod ille olim (ne quis forte neſciat,) inter corporis egregias dotes fuit habitus; de more antiquo, mortuorum cadavera abluendi, cum ſumma cura & copioſe evolvuntur. Quis hodie epitheta *Plutonis*, & aliorum Deorum, coacervabit, cum tot Mythologiæ exſtent, unde accuratiſſime cognoſcuntur talia? De Hymenæo, de verſibus intercalaribus, dicere in Gymnaſio, cui præeſt Clariſſ. Editor, meretur laudem; in Notis, typis expreſſis ad *Idyllium Bionis*, quis dixerit? Similiter in *Moſchi Idyll. II*, quod *Europa* inſcribitur, Notæ verboſæ exſtant de ſomniis veterum: quaſi recentiores non ſomniarent; de tribus terrarum orbis partibus; nempe de *Europa* (probe enim attendendus eſt ſonus vocabuli,) *Moſchus* loquitur! de murmure aquarum; en perjucundum auribus ſonitum! de Nilo; de inſula Creta & Cretenſibus, ea-

que occaſione de verſu, quem D. *Paulus* adduxit, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται &c.; res quam hodie incognitas! de Gynezæis; de phraſi *zonam ſolvere;* ac ſi quis hodie *zonam ſolvere* neſciat, quod ex *Spanhemii* Notis in *Callimach.* & *Hælzlini* in *Apollon. Rhod.* tam bene didicit! Hæc ſpeciminis inſtar. Et ſic per totum librum. Jam quid prodeſt ad *Bionem* intelligendum, ex *Danzii* libris veram vocabuli Hebraici שׁבת notionem noſſe, quemadmodum ad *Smyrnæi* hujus *Idyll. I verſ.* 47 factum eſt? Denique vero perperam omnino aliquid dictum obſervavimus, quando in principio *Idyll. VIII* Critici laudantur, qui, a *Theocrito*, in epithalamio *Helenæ*, *Idyll. XVIII*, expreſſum eſſe canticum *Salomonis*, exiſtimant. Notæ, quæ in conſtituenda textus lectione verſantur, quod genus maxime a doctis deſideratur, pauciſſimæ ſunt, &, ſi quæ tamen habentur, critico nonnunquam carent ϛοχασμῷ. In *Epitaphii Adonidis verſu* 27, ait Obſervator, ſenſum verborum, οἱ δ' ὑπομαζοὶ χιόνεοι τοπάροιθεν Ἀδώνιδι πορφύροντο, ex ellipſi vocum ἂν & ἔϛω pendere. Quæ verba ſenſum vix admittunt. *Verſ.* 77 *Aldum* potius ſequi debuiſſet, qui καλοῖσιν ἀλείφασι legit, quam vulgatas editiones, μύρτοισιν, ἀλείφασι. *Verſ.* 97 verba, τυσήμερον ἴσχεο κώμων, verti cum *Vulcanio* debebant *molli parce querelæ;* quemadmodum plane *Horatius: deſine mollium querelarum.* Nam hoc cum *Bionis* ſcriptura, quæ unum bis exprimere ſolet, melius conveniebat. In *Idyll. IV verſ.* 9 ſumenda in textum erat emendatio *Stephani*, καμβαίνει pro βαμβαίνει. Ipſe adeo *Vulcanius* ex *Heſychio* adduxerat: κάμβει. παύεται. Quæ *Idyll. VIII* ad *verſ.* 8 & 9 habentur, non poſſunt ferri. Nam quid eſt ἀπαλέγοισα ἀηδήνηντ'? Nimis autem durum eſſet, pro ἀλέγειν dicere ἀπαλέγειν, & ἀηδαίνειν pro ἀηδεῖν. Sed & frigidum eſt, cum ἅπαξ λεγομένοις hæc excuſare velle. Erat itaque vel *Scaligeri*, aut *Longapetræi*, emendatio ſumenda, vel locus ex Codd. MSS. adhuc aliter ſanandus eſt. In eodem *Idyllio verſus* 14, (quem, & aliquot antecedentes, imitatus eſſe *Muſæus* videtur *verſ.* 42 *ſeq.*) poſt *Scaligeri* & *Palmerii* correctiones, talis tamen videtur Noſtro, *ut ne Phalaridis quidem*

fidicu-

Digitized by Google

fidiculis bonæ mentis quidquam extorqueri poſſit. In *Moſchi Idyll. I verſ. 5* legit τί δῶ, ξένε. Quod contextus non permittit. Melius *Urſinus:* τοι δῶ ξένε. Senſus eſt: Non nudum oſculum tibi do, hoſpes, ſed amplius habebis aliquid. In *Europæ verſu 57* retinuit ex Cod. Auguſtano ἀκοιμήτοισι κεκασμένος ὀφθαλμοῖσι, *pervigilibus inſtructus alis*, cum longe elegantius *Aldi* editio habeat κεκλασμένος, id eſt, *ſtridens*, quod verbum proprie dicitur de volantibus, ipſeque etiam *Moſchus*, alio loco, *Idyll. III verſ. 24*, πωτᾶται κλάζοντα. In *Idyll. III verſ. 64* inſuetior eſt, atque inde veriſimilior, lectio, quam & *Vulcanius* ſecutus eſt, κέλονται, quam κέκλαυται. *Curæ, quæ nunc non primum urgent*, & non, *quas non nunc primum deflevimus.* Atque ita porro.

INCERTI AUTORIS GRÆCI FABULÆ ALIQUOT Homericæ de Ulixis erroribus, ethice explicatæ. Vertit, Notasque neceſſarias adjecit, JOANNES COLUMBUS. Profeſſ. Publ. Upſ.

Lugduni Batavorum, apud Philippum Bonck, 1745, 8 maj. Plag. 22.

Clariſſimus Autor queritur in Dedicatione ad Illuſtriſſimum regni Sueciæ, atque Upſalienſis Academiæ, Cancellarium, *Magnum Gabrielem de la Gardie*, quod tam pauci ſua ætate inveniantur *Homeri* & amatores, & æſtimatores, & quod, Græca eruditione neglecta, plurimi malint tam longe perpetuo a Gratiis Muſisque abeſſe. Juſta querela, eaque neceſſaria quoque tum, cum ſpes melioris conditionis affulget. In noſtris minimum Saxonicis literarum ludis videtur priſtinum redire ſeculum, quod Græcis rebus quondam magnum pretium ſtatuit. Non enim tantum in Gymnaſiis, ſed & in Lyceis, reliquisque ſcholis inferioribus, eæ magna inculcantur diligentia. Sed redeamus ad libellum. Cl. Autor, qui Poeſeos Profeſſor eſt ordinarius in Academia Upſalienſi, putat, ex his *Homeri* Fabulis, a ſe editis, aliquid vel incitamenti, vel utilitatis, ad ſtudia Græca redundaturum. Edidit jam opuſculum hoc anno ſupe-

Digitized by Google

ſuperioris Seculi primo & triceſimo *Vincentius Opſopæus* Haganoæ, qui, ſe, ait, illud in antiquiſſimo Codice ἀδέσποτον καὶ ἀνώνυμον reperiſſe. Suſpicatur Cl. Autor, hanc Fabularum *Homericarum* expoſitionem eſſe illam *explanationem in Odyſſeam*, quam in *Catalogo Bibliothecæ Auguſtana*, A. 1675 edito, *p. 35, 5, 7*, ſignat Cl. *Reiſerus*. Hæc tamen ipſi, quod merito dolemus, ad manus non fuit. Initium libelli hoc eſt:

Pag. 2. Ἐπίτεμος διήγησις εἰς τὰς καθ' Ὅμηρον πλάνας τῦ Ὀδυσσέως μετὰ τινος θεωρίας ἠθικωτέρας φιλοπονηθεῖσα καὶ τὸ μύθυ σαθρὸν, ὡς οἷόν τε θεραπεύϋσα, τῆς τῶν ἀναγινωσκόντων ἕνεκεν ὠφελείας; quæ ita transfert Clariſſ. Autor: *Brevis & conciſa narratio Ulyxis errorum, de quibus* Homerus *agit; cum adjecta commentatione, ad vitam moresque humanos magis pertinente, ſtudioſe concinnata; quæque in fabula minus firma & vera ſunt, integrans atque ſanans, ad utilitatem legentium.* Sed τὸ μύθυ σαθρὸν aliud nobis ſignificare videtur. Μῦθος, ſive fabula, duo ex veterum præſcripto comprehendit, rem fictam, quam fabulæ corpus vocabant; & ejus ſenſum moralem, vel phyſicum, qui tanquam animi inſtar in fabula ſit habendus. Ut autem corpus ſine anima σαθρὸν τι eſt, ſive putre fit; ſic eam fabulam dicebant σαθρὸν, (mutato tropo ſterilem nuncupare poſſes,) cui vel propoſita, vel ſubjecta, non erat moralis, vel phyſica, ſignificatio. Porro, ὡς οἷόν τε omiſſum eſſe in tranſlatione, ipſe Clariſſ. Autor agnoſcit. Forte ita melius ad ſenſum reddes: *Brevis expoſitio errorum Ulyxis ad* Homeri *mentem, cum applicatione ad vitam humanam diligenti, ut fabulæ ſterilitas, quoad ejus fieri poſſit, tollatur ad legentium utilitatem.* Ipſa προθεωρία libelli hanc noſtram ſuadet verſionem. Sic enim *Anonymus*: Κἂν γὰρ πρὸς τὸ δραματικώτερον εἰργάσθαι δοκῇ, ὅμως ἔχει καὶ λόγυς τινὰς ἀρίσυς τοῖς μύθοις ὑποκαθημένυς, ἐφ' ὓς ἀνάγει σοφιςικώτερον ἀπὸ τῦ φαινομένυ τὴν αἴσθησιν, καὶ κατὰ τὸ λεληθὸς ὑποτίθεται. *Quanquam enim* (in Homero) *omnia fabulis poeticis magis conſentanea videntur; tamen egregia monita his ipſis in fabulis abdita ſunt, ad quæ cogitationes noſtras adſpectabilium beneficio ſapien-*

pienter ducit, idque, quod latet, exponit ante oculos. At vero Clariſſ. Autor hæc ipſa ita vertit, quæ ideo apponenda duximus, ut, quam in transferendo ſequatur rationem, appareat: *Quanquam enim ad actus rerum & prope ſcenicos motus omnia facta videantur: habent tamen & rationes optimas, ſub fabularum involucris latentes: ad quas arcana quadam docendi via nos Poeta vocat, deducitque paulatim ab eo, quod ſenſibus exterius occurrit, &, ſecundum id, quod tegitur, ſubjicit.* Magis hæc videtur eſſe argumenti declaratio uberior, aliisque adhibitis rebus interpretatio, quam arctiſſime ſequens Autoris mentem verſio, quod pace Clariſſ. Autoris dixerimus. Ipſa Anonymi Græci ratio ſcribendi ſapit recentiorem ſcriptorem, eumque *Platonicum* fere, qui in veteribus monumentis utique abditi aliquid conſilii præclaræque latentis ſapientiæ inveſtigat, cum alia omnia cogitaſſe ipſi veteres videntur. Neque ſtilus æqualis eſt, multum trahens ex ſchola *Platonica* recentiori, ut tirocinio in literis Græcis ponendo vix aptus ſit cenſendus. *Caput I* de Lotophagis agit, ad quos, commemorat *Homerus, Ulyſſem*, ventis agitatum, delatum fuiſſe. Enarrator Græcus loti, apud eos naſcentis, fructum cum illecebris voluptatis comparat, atque in his vincendis & depellendis poteſtatem τῦ λόγυ τῆς Φύσεως poteſtatem deſcribit, quam, vehementer dubitamus, ex *Platonicorum* mente vel *Homero*, vel *Ulyſſi*, perſpectam fuiſſe. *Caput II* exponit de Cyclope *Polyphemo*, hancque fabulam propius a vero abeſſe putat, dataque hac occaſione pauca de avaritia atque immanitate diſſerit. *Æolo Caput III* eſt deſtinatum, qui de dubiis rerum eventibus, de non optimis ſcopum conſequendi remediis, atque calamitate ex aliorum irriſione oriunda, ſuppeditat exponendi materiem. In *Capite IV Ulyſſis* commoratio apud Læſtrygones & fata ſiſtunt vulgarem hominum & negligenter admodum inſtitutam vitæ rationem, qui nimis ſero ſapiunt. *Circes*, quæ argumentum eſt *Capitis V*, eſt vilis & rationi contraria voluptas; *Ulyſſes* vero intellectus, animæ dux; ſocii *Ulyſſis*, mentis agitationes & facultates; Æxa denique inſula triſtis vitiorum ſedes; ex quibus reliqua, ab *Anonymo* diſputata, exi-

Pag. 5. 11. 13. 15. 21. 25.

 ſtimari

Digitized by Google

Pag. 29. ſtimari poſſunt. At vero *Cap. VI*, quod de Cimmeriis agit,
Ulyſſes, mutato habitu, imaginem ſiſtit hominis, voluptati pra-
varumque rerum cupiditati prodiri: quæ hominis errabundi
35. ſpecies ſequente *Cap. VII*, de *Sirenibus* agente, rurſus pulchre
mutatur, ubi *Ulyſſes* ſuo docet exemplo, quæ voluptati, blan-
39. diſſimæ dominæ, remedia ſint paranda. *Scylla & Charybdis*,
Capitis VIII argumentum, duorum generum perpeſſiones, paſ-
ſiones dicunt, adumbrant, unius, quæ ad mentem, alterius,
49. quæ ad corpus ſpectat. Boum Solis fabula *Cap. IX* docet
Anonymum, Deum ſemper eſſe venerandum, & divinam
55. rem caſte pieque faciendam; *Charybdis* vero, *Cap. X*
in ſcenam revocata, qua ratione voluptates vincendæ ſint &
61. conculcandæ. *Caput XI*, quod eſt ultimum, de *Calypſone* agit,
Alcinoo, & quomodo *Ulyſſes* redierit in patriam. Hic, expo-
ſitis iis, quæ omnibus cognita ſunt & perſpecta, pau-
cis addit Græcus, hominem depingi, neceſſario primum li-
tantem voluptati, deinde vero ad bonam frugem redeuntem:
69. egregia prorſus, nec ulli facile obvia, ſcilicet obſervatio. *Al-
tera Pars* libelli complectitur Cl. *Columbi* obſervationes, qui-
bus vel rationem verſionis ſuæ reddit, vel ipſas res declarat.
78-83. Sic ad *Cap. I* fuſe agit de Lotophagis & loto, adhibitis in
conſilium antiquis & veteribus; & monet, eadem ratione pri-
86. mæ hujus fabulæ ſenſum eruiſſe *Euſtathium & Heraclitum*,
qui de allegoriis *Homericis* ſcripſit. Ad *Cap. II* multa eleganter
monet de Cyclopum ſede, ædificiis, aula, atque addit, ſoce-
rum ſuum, Clariſſ. *Schefferum*, prelo tum paratum habuiſſe
jucundiſſimum opus de Opilionibus: quod ſine dubio non
minus ſe probaturum fuiſſet orbi literato, quam ejus de mili-
94. tia navali opus, & reliqua ſcripta. De poteſtate Dæmo-
num in ſenſus hominum interiores, etiam profanis homini-
bus non plane ignota, hic legitur non proletaria obſervatio.
101. Rurſus de duplici magia, de Cimmeriorum gente, de opinio-
113-118. ne veterum de Sirenibus, item de ſententiarum varietate apud
121-126. veteres, de *Scylla & Charybdi*, de *Homero* adverſus *Philipp.
127-131. Cluverium* defendendo, quod ad deſcriptionem *Scyllæ & Cha-
137. rybdis* attinet, non plane contemnenda diſputantur. Ceteroquin
illud

illud monendum, pleraſque obſervationes tantum in tironum gratiam elaboratas videri, propterea quod multa contineant, ex morali doctrina veterum deſumta, capita, explicationesque verborum ſatis tritas. Omiſſa tamen multa ſunt, quæ egregiam lucem libello accendere potuiſſent; conjecturæ de ipſo Anonymo ex ſtili ipſius ratione; explicatio uberior de veterum conſuetudine, qua ubivis in *Homero*, præter verborum ſenſum conſuetum, etiam phyſicum, ethicum, & theologicum, quærunt, quod βαθύτερον νοῦν ἐγκεκρυμμένον τοῖς ἔπεσι putabant. Jam *Cronius* Pythagoricus *Homeri* Fabulas philoſophice eſt interpretatus; de quo & reliquis præclare egit *Jo. Alb. Fabricius Libro V Bibliothecæ Græcæ*, ubi de Commentariis *Procli* in *Platonem* dedita opera exponit. Inprimis recens libelli editor *Joannis Columbi* vitam, quæ plurima ex parte ignota Germanis eſt, tractare debuiſſet: uti enim ex fine Dedicationis ad Cancellarium Sueciæ diſcimus, ſcripta hæc eſt, atque adeo libellus prelo paratus, ſuperiori Seculo A. 1678 d. 13 Septemb. Ex quo ſimul apparet, hunc *Joannem Columbum*, Upſalienſem Poeſeos Profeſſorem, mortuum non eſſe A. 1648 a. d. 18 Aug., quod tamen Legicographi nonnulli produnt.

ORAZION FUNERALE IN LODE DEL P. ABATE D. Aleſſandro Giuſeppe Chiappini, &c.

hoc eſt,

ORATIO FUNEBRIS IN LAUDEM ALEXANDRI Joſephi Clappinii, Placentini, Canonicorum Lateranenſium Abbatis Generalis, a JOANNE BIANCHI, (JANO ſcilicet PLANCO,) Medico primario urbis Arimini, & Nobili, in exequiis ſolennibus in templo Canonicorum ſui Ordinis Arimini dicta Nonis Februariis; cui variæ Latinæ Inſcriptiones in laudem defuncti adjiciuntur.

Faventiæ, apud Ballantium, 1751, 8 maj.

Plag. 2.

Digitized by Google

Orator jam nobis venit, isque non mediocris, qui modo in *Actis* noſtris Philoſophus, Medicus, & Anatomicus, eximius fuerat. *Joannes* igitur *Bianchi*, ſeu, ut ipſe Latine mavult dici, *Janus Plancus*, Arimini Medicus primarius, ut poſtremum amicitiæ ſuæ teſtimonium *Alexandro Joſepho Clappinio*, Placentino, Canonicorum Lateranenſium Flamini ſupremo, exhiberet, qui Romæ vita functus eſt Nonis Januariis anni 1751, in exequiis, quas, ut juſta Viro optimo ſolverent Canonici illius Ordinis, ſequenti menſe, Nonis ſcilicet Februariis, ſolenniter celebrarunt, luculentam hanc Orationem habuit, quam, ut Philoſophus & Orator facundus, non ex vulgaribus Polyantheis, ut ajunt, Bibliothecisque concionatoribus, uti Oratores Cyclici, Itali præſertim, & cucullati ſolent, conſarcinavit, ſed ſolida illa dicendi vi, ſeu *Demoſthenis* δεινότητι, qua plurimum Autor noſter pollet, eſt uſus. Laudat eum a nobilitate, a vitæ probitate, & a ſtudiis variis, ſed præſertim ab antiquitatis & Hiſtoriæ naturalis ſtudio, quo in ſtudiorum genere multum præſtabat Flamen ille *Clappinius*, qui ſplendidam Bibliothecam Placentiæ exſtruxit, & Muſeum inſigne rerum antiquarum, ſcilicet Inſcriptionum, Signorum, Inſtrumentorum, & Numiſmatum veterum, nec non rerum naturalium, reliquit. *Plancus* harum rerum utilitatem dignitatemque, & excellentiam, & quantum in earum ſtudio excellens & diligens fuerit *Clappinius*, oſtendit. Inſcriptiones enim & Numiſmata, quæ breves inſcriptiones continent, nos ritus varios, mores, ſacrificia, orthographiam, genuinumque Græcorum Latinorumque ſermonem, docent, cum ea monumenta ſint veluti breves Codices avtographi, qui neque ab amanuenſibus imperitis, neque a Grammaticis veteratoribus, fuerunt depravati. Res naturales item magnæ ſunt utilitatis jucunditatisque, & præſertim concharum ſtudium, quo potiſſimum oblectabatur *Clappinius*. In his enim propter figurarum & colorum varietatem creatoris ſapientiam admiramur, & iis, quæ foſſiles ſunt, Cataclyſmi veritatem, a *Moſe* deſcriptam, agnoſcimus; vel, ſi id non præſtant marinæ conchæ, quæ in montibus ſunt, ut nonnulli contendunt,

Digitized by Google

dunt, magnas tamen revolutiones in globo terraqueo olim contigiſſe, docent, & præclara ſunt ultimæ illius vetuſtatis teſtimonia, cum revolutiones illæ ante inventas literas acciderint. Nullus enim ſcriptor ſynchronus reperitur, qui mutationes illas narret, &, quomodo marinæ illæ conchæ in montes pervenerint, definiat. Itaque, cum præſtantiam horum ſtudiorum oſtenderit *Plancus*, oſtendit etiam, quam illis præſtiterit *Clappinius*, qui ea ſtudia excellenter coluerat, & cum iis morum probitatem ſanctitatemque conjunxerat. Is ad multum tempus magiſtratibus variis majoribus in ſuo Ordine functus eſt, ac tandem, omnium ſupremo in eodem Ordine fungens, obiit. In fine hujus Orationis Inſcriptiones variæ *Planci* leguntur, Latinæ ſane & elegantes, quæ circa extemporalem tumulum erant diſpoſitæ inter ſtatuas & faces in templo Sancti *Marini* Arimini, ubi Canonici Lateranenſes defuncto Flaminii ſupremo juſta ſolvebant.

Idem *Plancus*, poſt editam Epiſtolam *de Monſtris ac monſtroſis quibusdam*, quam in his *Novis Actis A. 1750 Menſis Junii P. I, pag. 314* recenſuimus, Appendicem addidit Epiſtolæ illi occaſione ovi, ipſi allati, quod in ventre ſolis effigiem habebat impreſſam, &, cum audierit, alios Arimini, & aliis in locis, ova cum hujusmodi imagine vidiſſe ſignata, non fraude id factum fuiſſe cognovit, neque prodigioſe id eveniſſe putat, ut multi ex vulgo opinabantur, quod panis, Divo *Nicolao* Tolentinati ſacer, qui hujusmodi imagine ſolet obſignari, temere, vel ἀσεβῶς, gallinis fuerit datus, ſed, naturaliter id accidiſſe, ait, quod videlicet ovum ex ovario oblique in oviductum exciderit, &, cum mollis adhuc fuerit ejus teſta, criſpatione oviductus impreſſam fuiſſe figuram illam, quæ ſolem quodammodo referat.

Appendicem item *ſecundam* apponit, qua deſcribit abſceſſum in dextro lobo cerebelli nobilis pueri Cæſenatis vita functi, cujus cerebelli lobi non per curvam inter ſe uniebantur, ut *Williſius* & *Vieuſſenius* depingunt, ſed ad angulum acutum; item inter iſtos duos lobos cerebelli falx alia meſſoria in dura matre reperiebatur, &, quod notatu dignum eſt, puer

Digitized by Google

tali læſione hemiplecticus factus eſt in brachio, & pede dextro, & non in ſiniſtro, ut contingit in læſionibus cerebri, in quibus ſemper membra oppoſita reſolvuntur.

Das Blendwerck der natürlichen Religion Schrift- und Vernunftmäßig entdeckt, ꝛc.

hoc eſt,

RELIGIO NATURALIS FIGMENTIS PURGATA a JO. MARTINO CHLADENIO, S. S. Theol. Doct. & Profeſſ. Publ. in Academia Erlangenſi; in Germanicum ſermonem translata, & Præfatione, nec non Appendice, aucta, a M. URBANO GOTTLOB THORSCHMIDIO.

Lipſiæ & Vitembergæ, 1750, 8.
Plag. 18.

Neminem inter eruditos latet, quantis laudibus religio ſic dicta naturalis noſtra ætate extollatur, non ſolum ab empæctis religionisque ſanctioris hoſtibus, ſed ab iis ipſis, qui religionis Chriſtianæ cauſam, præſertim in Anglia, in ſe defendendam, & vindicandam, ſuſceperunt. Nihil non, quod ad ſalutem hujus & futuræ vitæ pertineat, ejus religionis ambitu comprehendi, arbitrantur plurimi; nihilque revelationi, & diſciplinæ ſanctiſſimi Servatoris, ſupereſſe contendunt, quam ut ea religio naturalis, pravis hominum moribus, ſocordiaque, obſcurata, reſtituatur in priſtinam lucem. Ampliſſimum haud dubie, nec una reſponſione ſolvendum, ſophiſma, imo tale, quod in plurimos ramos ex uno infelici trunco excreſcit; ſed amplum pariter atque arduum negotium eſt, commentum iſtud, quod ſpecie ſua tam multis ſeſe jam commendavit, deſtruere, totiusque mali originem in ipſis ejus principiis monſtrare. Id itaque negotii in ſe ſuſcepit Ven. Autor, propoſita ſuperiori anno publica Diſputatione *de Religione naturali figmentis purgata*; quam, publica admoni-

monitione excitatus, in Germanicum ſermonem tranſtulit Clariſſ. *Thorſchmidius.* Verſatur autem Diſputatio *Chladenii* ferme tota in inquirenda *notione* religionis naturalis, quam ab admiratoribus novi commenti miſere turbatam, fractam, & in immenſum dilatatam, deprehendit, ut nulli alii eruditionis parti unquam ſimilem accidiſſe calamitatem recordetur. Æque id ad convictionem usque planum facit, teſtimoniis erroris deſumtis ex *Matthæo Tindalio,* quem ut oratorem & anteſignanum falſæ doctrinæ de religione naturali ſpectat, eoque diligentius confutat. Series Commentationis hæc eſt. Negat Ven. Autor, dari *religionem naturalem,* ſed ejus exiſtentiam ſtudioſe defendit: addita hac explicatione, quod ſit *ea Juris naturalis pars, quæ de officiis erga Deum agit.* Hæc eſt iſta *notio realis,* quam *Tindalius* omnibus modis detorſit; ut ſumma ſæpe miſceat imis. Námque 1) Pag. 6.
iſtam Juris naturalis partem cum univerſo Jure naturali confundit; 2) omnes res, quæ *rationem objectivam habent,* male 9.
Juri naturali, peſſime autem religioni naturali, immiſcet; 3) 11.
non magis verum, aut tolerandum, eſt, quod omnia, quæ ex *ſtatu* hominum fluunt, ad naturam hominum, & ad ipſum Jus naturæ, referre audet; 4) porro maxime ſubleſtum eſt, 13.
quod corruptiones humanæ naturæ, defectusque tam animi, quam corporis, & quæ propter iſta vitia fieri poſſunt, aut debent, ad ipſam naturam hominum, & ad Jus naturale, ipſamque religionem *naturalem,* referat; 5) nec magis rationi eſt 15.
conſentaneum, quod Jus naturale *omnibus creaturis ratione præditis commune* confundit cum Jure naturali *hominum,* horumque religione naturali: quippe per quem erroris gradum 6) ad tam incommodam *religionis naturalis* notionem adducitur, quæ poſtulat, ut ipſum Numen iſthac religione obſtringatur. Quæ cum omnia jam ſint confuſionis pleniſſima; 17.
7) novum tamen commentum accedit, idque maxime plauſibile, & tantum non omnes religionis naturalis laudatores faſcinans, quod nimirum religio naturalis confundatur cum *religione antiquiſſima;* quæ tamen ſunt toto genere diverſa. 18.
Quod autem omnia priora opinionum figmenta ſuperat, id 21.
poſtre-

Digitized by Google

poſtremo loco profertur; nempe religionem naturalem in *cognitionem rerum omnium* a *Tindalio* aliisque converti. Tale itaque eſt idolum illud religionis naturalis, quod a multis nimis jam colitur; a Naturaliſtis autem tanquam aries, plane expugnanda, religioni admovetur Chriſtianæ. Quam vero miſere hi homines decipiantur, ulterius commonſtrat Ven.
Pag. 23. Autor; dum dogmata ex Scriptura de religione naturali producit, hisque inimica placita profanorum hominum retundit; qualia ſunt, gentiles, ex parte ſaltem, in exercenda religione naturali egregios ſeſe præſtitiſſe; ejusdem religionis violationem non eſſe facilem, nec homines ad eam violandam proclives; fieri poſſe, ut homines, remoto verbo Dei, religionem naturalem retineant, eamque ſtrenue exerceant; hominibus initio non niſi religionem naturalem fuiſſe, & ſimilia. Perſpicue potius monſtrat Autor, Naturaliſtarum conatus non ſolum ad evertendam religionem Chriſtianam ſpectare, ſed & ipſi religioni naturali exitium, orbique novas, easque maxime horrendas, minari intellectus tenebras. Iſtam autem luculentam tractationem excipit alia
55. ejusdem Autoris *de Chriſto, terræ pacificatore, Luc. II, 14.* ex Programmate Erlangenſi, ſuperiori anno edito, in Germanicam linguam tranſlata; cujus ſumma hæc eſt: Divinum Servatorem non ſolum pacem *ſpiritualem* inter Deum & homines pro ſuo mediatoris officio reſtituiſſe, ſed etiam *pacem temporalem* orbi intuliſſe. Aſſerti, ad gloriam Servatoris haud dubie facientis, veritas pluribus documentis evin-
67. citur: 1) quod divinum *ſervitutis* jugum a cervicibus tot populorum ſit depulſum: qua occaſione recentiorum quorundam conſilia *de reducenda in rempublicam ſervitute*
71. ſub examen vocantur; 2) quod ex familiis Principum *parricidia*, & procerum cædes, ſint ſublatæ: cum inter gentiles inſtar *poſtulati*, aut axiomatis, habeatur, conſanguineos, maxime imperantis fratres, eſſe e medio tollendos;
75. 3) quod Principum, omniumque, penes quos eſt imperium, animi a *crudelitate* ad clementiam & humanitatem ſint addu-
87. cti; 4) quod ſcelerum vis per doctrinam Servatoris valde

ſit

ſit imminuta; 5) quod barbaries & horribilis morum feritas in omnibus gentibus, a quibus Chriſtus adoratur, aut plane emendata ſit, aut certe mirum in modum mitigata. His demonſtrationibus ſubjunguntur vindiciæ; partim ab objectionibus, quidpiam ſpecioſæ doctrinæ habentibus, partim a criminationibus empæctarum, inprimis impii *Edelmanni*, pacem a Servatore orbi conciliatam furioſo ore ridentis; ut illuſtris iſta veritas undique in tuto reperiatur collocata. Subjecta ſunt his *Chladenii* cogitatis additamenta hiſtorica Clariſſ. *Thorſchmidii*; quæ partim vitam *Tindalii*, cum ejus ſcriptis, apte deſcriptam exhibent, partim *Chriſt. Edelmanni* fata, furioſos conatus, & libros, juſto ordine recenſent, partim denique hiſtoriam, eamque accuratam, intempeſtivorum admiratorum & laudatorum religionis naturalis inter medios Chriſtianos, nobis offerunt. Quicunque enim virtutes gentilium eo usque in deliciis habuere, ut ipſis idololatris ſpem ſalutis æternæ fecerint, illos omnes, quos inter & Patrum nonnulli reperiuntur, religioni naturali juſto plus dediſſe, manifeſtum eſt. Hos non ſolum nominatim excitat, ſed & in varias claſſes digeſtos ſiſtit, Clariſſ. *Thorſchmidius*; ut non minus doctum Autorem & Hiſtoricum, quam interpretem, in editore hujus libelli agnoſcamus.

Pag. 79. 81. 94. 106. 146. 210.

NOVA LITERARIA.

Quid novi haud ita pridem manibus ſuis, prelisque Mediolanenſibus, exire juſſerit *Philippus Argelatus*, Vir Clariſſimus, ex hac, ad Lectores rerum hiſtoricarum curioſos haud ita pridem data, publicique juris facta, Epiſtola diſcere te, amice Lector, jubemus:

Ingentem animo lætitiam conceperam, cum abſolutam numeris omnibus Rerum Italicarum Collectionem, *poſtremis jam compoſitis* Tomis, *manu contrectarem, longoque labore feſſus, otiari pauliſper deſignaſſem ad reficiendas vires, atque ut tuo, Lector humaniſſime, bonorumque omnium læta-*

rer plauſu, quem ſummopere optaveram; ſed, ut ſunt humanarum rerum vices, verſum eſt gaudium in mærorem ob Clariſſ. Ludovici Antonii Muratorii mortem, quem Collectio iſthac habet Autorem nunquam ſatis celebrandum ob eximiam pietatem ac doctrinam, quibus nomini ſuo famam immortalem comparavit, atque univerſæ Italiæ noſtræ decus apud ceteras nationes auxit, nec non diffudit per multiplicem ſuam eruditionem, rerumque omnium peritiam; ne dicam de librorum copia, quos edidit, ad quam evolvendam ſi manus admoveamus, impoſſibile fortaſſe videbitur, hominem ſacris aſſidue addictum tot ac tanta manu ſua ſcribere potuiſſe, niſi perpetuo ſerenas noctes evigilaverit. Quid dicam de concinnatis ob eo Annalibus intra tam anguſtum temporis ſpatium, quod vix illis exſcribendis fuerit ſatis? De gravi adeo jactura dolendum equidem literatis omnibus viris, mihi vero potiſſimum ob veterem amicitiam, quam cum eo contraxeram, ac per novem continua luſtra ſtudioſiſſime colueram, longaque conſuetudine in utriusque patria firmaveram, quæ me beatum fecit; nunquam enim ab eo me diſceſſiſſe memini, quin lucri aliquid fecerim, apertis illico immenſis eruditionis ſuæ theſauris, unde mihi plura comparavi, quæ alibi fruſtra quæſiviſſem. At hæc doloris augendi argumenta ponamus. Meritis laudibus nomini ejus intexendis non levem operam cultiori calamo relinquo. Sane inter multiplices, ut dicebam, ingenii ejus fœtus nullus equidem præſtantior Collectione rerum Italicarum, quam Palatini Socii Mediolanenſes publici juris fecimus, ad eamque parandam continua decem annorum occupatione, vel in inquirendis ubique locorum Autoribus, ac Diplomatibus, ceterisque Antiquitatum Italicarum monumentis, vel in iis recenſendis, atque illuſtrandis, facem homini doctiſſimo præferenti operam præſtiti, ac demum edendis, cui potiſſimum curæ totus incubui, ut fidem cum Clariſſ. Muratorio contractam optime liberarem. Is enim in hanc Metropolin advenienti mihi deſignatam potius, quam a ſe abſolutam, Collectionem tradidit, ſi fieri poſſet, in vulgus emittendam, atque,

Digitized by Google

que, ut verum fatear, vix ego ſpem ullam concipere audebam; nam ad neceſſarios labores, atque ad ingentes expenſas, animadvertebam, ſed bene arriſit fortuna. Palatini *quippe* Socii, *tam nobilitate generis, quam eruditione, præditi, alienum opus in ſuum adoptarunt, atque ad calcem deduxerunt. Maximum tamen operi præſidium acceſſit ab auſpiciis Auguſtiſſimi olim Imperatoris* Caroli VI, *ſine quo vel noſtri, vel aliorum quorumcunque, conatus irriti erant futuri. Amor enim in literas ac bonas artes omnes, quibus Princeps cultiſſimus rapiebatur, ita nos Majeſtati ejus commendavit, ut nihil deſiderandum reliquerit, quod ad operis felicem exitum juvare poſſet: atque, ut omnes intelligerent, placere numini ejus labores noſtros, locum typographiæ in ipſis Regiis ædibus conceſſit, quo factum eſt, ut & nihil moleſtiæ illatum fuerit ab invidis hominibus, & honoris plurimum tam a noſtratibus, quam ab exteris, acceperimus. Quodcunque igitur hoc rerum eſt, auſpiciis ejus debere nos, publice profitemur grati animi teſtimonium perpetuo futurum. Tu vero, Lector humaniſſime, ſi quid utilitatis, vel delectationis, a ſtudiis noſtris accepturus es, debitum ſacris Manibus plauſum minime negaveris. Extremum itaque Collectionis* Tomum, *qui in* duas Partes *dividitur, accipe. In* Partem *hanc* primam *aliquot Opuſcula collata ſunt, quæ poſt mortem Clariſſ.* Muratorii *in lucem emerſerunt, quibus factum eſt Italicorum veterum monumentorum veluti ſpicilegium: plura etiam dediſſemus, ſi cetera, quæ tempus aliquando publicæ luci reſtituet, noſtram in poteſtatem veniſſent. Non exiguam præterea me gratiam apud omnes initurum eſſe ſperavi ab obſtinato atque improbo labore in evolvendis iterum iterumque* Tomis *noſtris, quibuscum numero ac mole paucæ aliæ ſunt Collectiones comparandæ. Hoc autem Indice ſtudioſorum virorum commodo, ac tuo præſertim, Lector humaniſſime, conſului; quippe, ſi contentus fuiſſem Indicibus illis, qui ſingulos* Tomos *per Capita excurrunt, moleſtum nimis erat futurum quærenti certæ rei monumentum, luſtrare* Tomos *omnes, incerto eventu, an ea, quæ ſibi neceſſaria fuiſſent, in vaſtiſſimo veluti pelago eſſet expiſcaturus. Hanc*

Xx xx 2 *enim*

Digitized by Google

enim Collectionem ampliſſimam ſine ope diligentis Indicis excurrere, ne a metaphora diſcedam, ſimile viſum eſt, atque Oceanum ſine pyxide nautica ſulcare. Septemplicem itaque Indicem ad commodiorem uſum in hunc modum paravi. Primus *continet Autores omnes eodem ordine, quo in Collectione noſtra ſingulis in* Tomis *diſtributi fuerunt.* Alter *nomina continet eorundem Autorum, ordine alphabetico diſpoſita, quibus reſpondet* Tomus, *& pagina, ubi quisque ſit conſulendus.* Tertius, *qui gratior præ ceteris erit futurus, catalogum exhibet Scriptorum omnium, qui de ſingulis regionibus, urbibus, & locis, hiſtoriam nobis reliquerunt; in eo vero habita eſt ratio alphabetica nominum regionum, urbium, & locorum, iisque ſubjecta ſunt nomina Scriptorum, qui de ſingulis egerunt, exempli gratia, ſi quis Anconitanæ urbis, Beneventanæ, ac ſimilium, Scriptores conſulere velit, Indicem dictarum regionum, & urbium, aperiat, ibique* Tomorum *paginarumque, Indicem habebit, ut absque ullo ſuo labore cuncta facillime cognoſcere poſſit.* Quartus *reſpondet catalogo Scriptorum, Diplomata omnia, inſtrumenta, chartas, & ſimilia, continens, quæ congeſta ſunt in Collectionem noſtram, ordine temporum diſpoſita, ita ut unius tantum Chronologiæ habita ſit ratio, ab anno ſcilicet 578, a quo antiquius nobis Documentum occurrit, ad 1485, qui noviſſimum dedit, ac marginali numero, annum denotanti, reſpondet ſumma documenti, notatusque eſt* Tomus, *ac pagina, ubi ſit inquirendum.* Quintum *ad lautitiem diſpoſui. Continet enim nomina provinciarum, urbium, oppidorum, aliorumque locorum, nec non montium, ac fluminum, inſularum, ac ſimilium, tam in Italia noſtra, quam alibi, quorum a Scriptoribus noſtris alicubi mentio facta ſit, indicato ſimiliter* Tomo, *ac pagina.* Sextum *nemo fortaſſe aperiet, qui conſilium noſtrum non probet ob ſolatium, quod ſingulis familiis oboritur ex cognitione majorum ſuorum. Diſpoſitus hic pariter eſt ordine alphabetico, familias omnes, earumque perſonas, enumerans, quæ in univerſa Collectione memoratæ ſunt, vel ex noſtratibus, vel ex alienigenis. In hiſce duobus catalogis, quinto nempe ac ſexto, id eſt animadvertendum,*

dum, ut, in ſingulis articulis quicquid hiſtoricum occurrat, in poſtremo Indice generali rerum, & nominum, proſtet, juxta monitum, quod in articulis ipſis diligentia noſtra notatum eſt. Septimum *ac ultimum, qui prelo ſubeſt, in* Parte altera *hujus* Voluminis, *quod in lucem profero, brevi, Lector humaniſſime, habebis; tantamque rerum, ac nominum, copiam continet, ut integrum ac noviſſimum editionis noſtræ* Tomum *occupet. Ei parando cum opera mea tantum par non eſſet, ac deſiderium omnium urgeret; inquirendi primo fuerunt homines non doctrina tantum, ſed & diligentia, præditi, qui aſperum laborem ſuſciperent, atque, a ceteris curis ſoluti, huic operi tantum vacarent. Numero quinque doctiſſimi Viri tandem una mecum Indici concinnando dederunt operam, certis inter nos agendi regulis compoſitis, ac tandem poſt longiſſimam laboris ac tædii tolerantiam abſolutus eſt rerum univerſarum index, &, ſi quis unquam ſimilibus occupatus fuerit, æſtimare poterit, quantum nobis fuerit inſudandum, & quale ſit operis pretium in compilatione hujus Indicis, qui per ſexaginta quatuor mille articulos excurrit, quorum quisque ex ſingulis* Tomis *eſt excerptus, & continuam ſeriem rei geſtæ repræſentat; cum vero commodo tuo bene conſultum cognoveris, erit, unde mihi, & literatis iis Viris, qui adjutrices manus dederunt, quorumque nomina proferre vetor, laboris præmium ſit habendum. Commendationem vero tuam non eſſe minuendam ſperamus ob diuturnum temporis ſpatium, quod in eo Indice concinnando adhibuimus. Nam, præterquam quod extremi hujus* Tomi, *qui* XXV *inſcribitur, ac numero eſt* XXVIII, *diviſis in* duas Partes *prioribus* tribus Tomis, *neceſſario exſpectanda erat editio, ut* Tomos *omnes, eorumque paginas, notare poſſet, plura fuerunt in cauſa moræ, quæ niſi obſtinata Palatinorum Sociorum perficiendæ rei voluntas unico literarum amore ſuperaſſet, jam diu editio noſtra pro derelicto habenda fuiſſet; ac primo incendium, quo in ipſo tanti operis initio pars regiæ curiæ, ac typographiæ noſtræ, conflagravit, bellorum deinde turbines, quibus publicæ ac privatæ res in Inſubria ſunt imminutæ, unde plurimum æris ac temporis perditum eſt. Ego vero, præſidiis omnibus deſtitutus, quibus ab Auguſtiſſimo Imperatore* Carolo VI *fovebar, animo prorſus ceci-*

deram, ac de opere ad umbilicum, ut ajunt, deducendo omnino deſperabam; at a Deo ſuffectæ ſunt vires ad hæc & alia plura, quæ in vulgus emiſi, nova item emiſſurus, ne otio inerti vileſcam. Neque refugit animus, licet afflictus jactura, quam intra annum ſum paſſus, e vita ſublatis cariſſimis atque doctiſſimis tribus amicis, Muratorio *nempe, de quo ſupra dixi,* Apoſtolo Zeno, & Joſepho Antonio Saxio, *literariæ reipublicæ notiſſimis, quorum monitis atque auxilio in pluribus juvabar. Sed jam pro more noſtro* ultimi *hujus* Tomi *notitiam exhibeamus. Inſcriptus is eſt ſacro & clariſſimo nomine Eminentiſſ. Archiepiſcopi noſtri S. R. E. Cardinalis* Joſephi Puteobonelli, *cui non tam profana, quam ſacra, Hiſtoria in pretio ſemper adeo fuit, ut, cum ad ſupremum honoris apicem apud noſtrates adſcenderit, nihil ei antiquius fuerit, quam vetera omnia ritus* Ambroſiani *monumenta undequaque colligere, ut Eccleſiæ Mediolanenſis præſtantiſſimum decus apud nationes omnes aliquando propagare, ac temporis edacitati, quæ plura corrumpit, pretioſiſſima Eccleſiæ lipſana ſubtrahere, poſſet, & immortalitati tradere. Autorum omnium, qui continentur in hoc noviſſimo* Tomo, *Epiſtolæ huic annectimus catalogum, atque hoc unum præmonemus, abſtinuiſſe nos a Præfationibus, quas Clariſſ.* Muratorius, *ſi ei vitam in hanc usque diem trahere licuiſſet, ſingulis, quos addidimus, Autoribus fortaſſe præpoſuiſſet, ut aliis, qui nunc eduntur, præpoſuit; nam recentioribus Scriptoribus, per ſe optime notis, nihil præmonendum eſſe duximus, ne ſcribendi affectatam occaſionem accipere voluiſſe videremur, & ſimiam agere, cum tanto Viro ſimile argumentum pertractantes. Ultimum Epiſtolæ hujus argumentum ſibi vindicat publica gratiarum actio, quas Deo Opt. Max. reddere debeo ob vires tam longo labori ſuffectas, ex quo ſtudiorum tuorum commodo bene conſultum eſt, fruſtra reſiſtentibus infortuniis, quæ conditionem domeſticarum rerum duriſſimam induxerunt, animum proſternere minime potuerunt, quin interim alia bene multa in vulgus emitteremus,* Sigonianam *ſcilicet editionem, Bibliothecam Scriptorum Mediolanenſium, rei monetariæ Collectionem, ac Poetarum Latinorum verſionem; quique ſub prelo eſt, brevi publici juris faciendus, Catalogus, ſeu Bibliotheca,*

Digitized by Google

theca, Autorum omnium, qui ex Hebræa, Arabica, Perſica, Turcica, Græca, Latinaque, linguis libros in Italicam noſtram verterunt, addita ſingulis articulis vel hiſtorica, vel critica, animadverſione. Quodſi Deus dies vitæ prorogaverit, extremum etiam laborem deſignavi, novam Operum celebratiſſimi Panvinii *editionem concinnaturus, cui paranda tantam MStorum ejus copiam hactenus comparavi, annuente potiſſimum Beatiſſimo Pontifice noſtro,* Benedicto XIV, *bonarum literarum, ac literatorum hominum, patre amantiſſimo, ut fateri debeas, gentiam noſtram neminem unquam ſuperaturum fuiſſe, ac me diliItali hominis officio bene functum. Utinam & hæc etiam animadverterent ii, quibus datum eſt de ſimilibus cogitare, induſtriam hanc meam non ſolum decoris, verum & utilitatis in rempublicam, ipſumque Regium Ærarium, ex tam nobili mercimonio plurimum inferre, quod Auguſtiſſimus olim Princeps* Carolus VI, *ejusque ſelectiſſimi Conſiliarii, præ oculis habuerunt, cum aliquo largitionum Imperialium ſolatio feſſam labore vitam honeſtarunt; neque ſpes aruit, quin, reparatis publicis detrimentis, de infelici fatigatoque homine ſit aliquando cogitandum. Tu interea, Lector humaniſſime, favore tuo animum noſtrum recrea, & vale. Dabam Mediolani XII Calend. Julias A. MDCCLI.*

Quæ Volumine *hoc novo continentur, hoc ordine ſunt collocata:* 1) *Commentaria, rerum, geſtarum a* Jacobo Picinino *A. 1453, qui fuit ſecundus belli inter Venetos, & Franciſcum Sfortiam, Mediolanenſium Ducem, Autore* Porcellio, *Poeta, & ſcriba* Alphonſi I, *utriusque Siciliæ Regis; nunc primum in lucem prodeunt ex MSto Codice membranaceo Excellentiſſimi Viri,* Marci Fuſcareni, *Equitis, & Procuratoris S.* Marci; 2) Georgii Merulæ, *Statyellenſis, Hiſtoriarum Mediolani Decas ſecunda; nunc primum prodit ex MSto Codice Canonici* Joannis Andreæ Irici, *Tridinenſis;* 3) Eugenii IV, *&* Nicolai V, *Pontificum Romanorum, Vitæ, a* Veſpaſiano, *Autore ſynchrono, ſcriptæ; nunc primum prodeunt ex MSto Codice Abbatis* Laurentii Mehus; 4) Leonis Baptiſtæ Alberti *Commentarius de conjuratione Porcaria, cui præmittitur vita ejusdem Scriptoris; nunc primum in lucem prodeunt ex Codice MSto Abbatis* Laurentii Mehus; 5) *Hiſto-*

Digitized by Google

Hiſtoria obſidionis Plumbini, peracta Anno Chriſti 1448, metrice conſcripta a F. Antonio de Auguſtinis, *Samminiatenſi, Autore ſynchrono; nunc primum in lucem producta ex MSto Codice Abbatis* Mehus; 6) Franciſci Aleardi, *Veronenſis, Oratio in laudem* Franciſci Sfortiæ, *Vicecomitis, habita Veronæ A. 1441, nunc primum prodit e MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ;* 7) *Oratio parentalis in laudem* Blancæ Mariæ, *Sfortiæ Vicecomitis, Autore* Hieronymo Cribello, *Mediolanenſi, ex MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ nunc primum typis commiſſa;* 8) *Oratio funebris in morte* Philippi Mariæ, *Vicecomitis Mediolani Ducis, habita a Magiſtro* Joanne Montano, *nunc primum in lucem emiſſa ex MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ;* 9) *Victoria Cremonenſium in navali bello ſub* Nicolao Picinino, & Franciſco *Comite* de Cotignola, *contra Venetos ſub* Nicolao Triviſano *A. 1431, Opuſculum ab* Eliſeo della Manna *conſcriptum, & ex MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ in lucem emiſſum;* 10) *Oratio, habita ab* Auguſtino Rubeo de Aragonia *A. 1478 in laudem* Joannis Galeatii, *Sfortiæ Vicecomitis Mediolani Ducis, nunc primum typis commiſſa ex MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ;* 11) *De conflictu* Brachii, *Peruſini armorum ductoris apud Aquilam, Poema, a* Leonardo Griphio, *Mediolanenſi, conſcriptum, nunc primo e MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ in lucem productum;* 12) Hieronymi Tartarotti, *Roboretani, de Autoribus, ab* Andrea Dandulo *laudatis in Chronico Veneto, Diſſertatio epiſtolaris ad* Franciſcum Joſephum Roſminum; 13) *Catalogus Scriptorum omnium, atque Opuſculorum, uti jacent in unoquoque* Volumine *hujus operis;* 14) *Catalogus Scriptorum omnium, qui in hac Collectione locum habuerunt, ordine alphabetico digeſtus;* 15) *Catalogus Scriptorum omnium, in univerſo Opere editorum, per loca & regiones digeſtus;* 16) *Catalogus Diplomatum, aliarumque veterum chartarum, quæ in toto Opere continentur, chronologico ordine digeſtus;* 17) *Index geographicus provinciarum, urbium, oppidorum, aliorumque locorum, nec non montium, ac fluviorum, de quibus habetur mentio in univerſa hac Collectione;* 18) *Index familiarum omnium, earumque perſonarum, de quibus mentio habetur in tota hac Collectione.*

Digitized by Google

INDEX AUTORUM,
quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur:

I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes:*

Aſſemanni (*Steph. Evodii*) *Acta Sanctorum Martyrum orientalium & occidentalium.* Tomi II. 49

Barzani (*Petri Ant.*) *de nova Joannis Cap. I verſ. 13 lectione Epiſtola.* 88

Bodii (*Chriſtoph. Aug.*) *Evangelium ſecundum Marcum & Lucam, ex Perſico idiomate in Latinum translatum.* 369

Bœrneri (*Chriſtiani Frid.*) *Inſtitutiones Theologiæ Symbolicæ.* 364

Boweri (*Archibaldi*) *Hiſtoria Paparum a prima Sedis Romanæ origine usque ad noſtram ætatem.* Volumen I. 481

Ceillierii (*Remigii*) *Hiſtoria generalis Scriptorum ſacrorum & eccleſiaſticorum.* Tomus XIII. 673

Chladenii (*Jo. Mart.*) *Religio naturalis figmentis purgata, ex verſione Teutonica M.* Urbani Gottlob Thorſchmidii. 710

Floreſii (*Henrici*) *Hiſpania ſacra, Theatrum geographico-hiſtoricum Eccleſiæ Hiſpanicæ.* Volumen I — IV. 1

Fuhrmanni (*Matthiæ*) *Hiſtoria ſacra de Baptiſmo Conſtantini Max. Aug. Colloquiis familiaribus digeſta.* Pars II. 18

Heumanni (*Chriſtoph. Aug.*) *Explicatio Novi Teſtamenti.* Pars II. 347

Lactantii (*L. Cæc. Firm.*) *Opera omnia, ex edit.* Nic. Lenglet du Freſnoy. Tomi II. 193

De Mosheim (*Jo. Laur.*) *Novum Tentamen plenioris, & ſine partium ſtudio conſcriptæ, Hiſtoriæ Hæreſium ac Hæreticorum.* 297

De Mosheim (*Jo. Laur.*) *Additamenta ad Hiſtoriam famoſi Medici Hiſpani, Michaelis Serveti, Genevæ igne combuſto.* 307

Polini (*Caroli*) *de Juris divini & naturalis origine Libri tres.* 245

Salluſtii *Tractatio de Diis & Mundo, de ſermone Græco converſa.* 85

Sbaraleæ (*Jo. H.*) *Germana S. Cypriani & Aphrorum, nec non Firmiliani, & Orientalium, opinio de Hæreticorum baptiſmate.* 353

Walchii (*Jo. Ge.*) *Hiſtoria controverſiæ Græcorum Latinorumque de proceſſione Spiritus S.* 374

II. *Libri Juridici.*

Eckhardi (*Chriſtiani Henr.*) *Hermeneuticæ Juris Libri duo.* 415

Luzac (*Eliæ*) *Diſquiſitio, num civis innocens iræ hoſtis, longe potentioris, juſte permitti poſſit, ut excidium totius civitatis evitetur.* 238

Meerman (*Gerb.*) *Conſpectus novi Theſauri Juris Civilis & Canonici.* 214

Novus Theſaurus Juris Civilis & Canonici. Tomus I. 577

Polini (*Caroli*) *de Juris divini & naturalis origine Libri tres.* 245

III. *Libri Medici & Phyſici.*

Anonymi Epiſtola ad Dom. Curtium, in qua variæ obſervationes medico-phyſicæ recenſentur. 160

Bœhmeri (*Ge. Rud.*) *Flora Lipſiæ indigena.* 220

Burckhardi (*Jo. Henr.*) *Epiſtola ad Ill. G. G. Leibnitium, qua, characterem plantarum naturalem nec a radicibus, nec ab aliis plantarum partibus minus eſſentialibus, pluribus*

Digitized by Google

bus diſcriminandi capitibus conſtitutis, peti poſſe, oſtendit. 379
Commentarii Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ.
Tomus VII. 495
Tomus VIII. 584
Tomus IX. 645.
683
Fabbri (*Laur. Cajetani*) *Tract. de Uſu Mercurii in Medicina ſemper temerario.* 455
Fracaſſini (*Ant.*) *Tractatus theoretico - practicus de Febribus.* 269
Halleri (*Alberti*) *Iconum anatomicarum partium corporis humani* Faſciculus II. 80
Faſciculus III. 423
Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum ac elegantiorum literarum Berolinenſis. Annus 1748. 61
Louiſii, *Chirurgi, Obſervationes de effectu virus cancroſi.* 316
De Mairan (*Dortous*) *Diſſ. de Glacie.* 458
Moſcæ (*Joſephi*) *Tract. de Aere, & morbis, ab aere dependentibus.* Partis II Volumen I. 606
Platneri (*Jo. Zach.*) *Opuſculorum Tomi duo.* 544
Quadro (*Joſephi Mariæ*) *Nova methodus ſecure curandi omnem cancrum occultum.* 662
Queſnayi *Tractatus de Gangræna.* 421
Schreiberi (*Jo. Frid.*) *Obſervationes & cogitata de peſtilentia, quæ annis 1738 & 1739 in Ucrainia graſſata eſt.* 41
Valcarenghii (*Pauli*) *Animadverſiones medico - practicæ in Epiſtolam familiarem D. Ignatii Pedratti, qua ille ad Diſſ. epiſtolarem de uſu & abuſu Rhabarbari, cum China Chinæ juncti, reſpondit.* 77
Vateri (*Abrah.*) *Muſeum anatomicum proprium.* 318

IV. *Libri Mathematici.*

Anonymi Relationes & Commentarii Coſmographici ad Annum 1748. 321

Bougeri *Tractatus de Nave, ejusque conſtructione, & motibus.* 252
De la Caille *Monitum ad Aſtronomos.* 135
Commentarii Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ.
Tomus VII. 495
Tomus VIII. 534
Tomus IX. 645. 683
Euleri (*Leonh.*) *Introductio in Analyſin infinitorum.* Tomi II. 222
Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum & elegantiorum literarum Berolinenſis. Annus 1748. 61
De l'Isle *Literæ circulares ad Aſtronomos Europæ.* 141
Epiſtola ad Ge. Matth. Boſium Excerptum. 144
Kœnigii (*Sam.*) *Diſſ. de univerſali principio æquilibrii & motus, in vi viva reperto, atque nexu inter vim vivam & actionem, utriusque minimo.* 125. 162
De Mairan (*Dortous*) *Diſſ. de Glacie.* 458
Mosdorffii (*Gottlieb Aug.*) *de Latere Polygoni regularis ex numero laterum determinando Obſervatio.* 82

V. *Libri Hiſtorici, Chronologici, Genealogici, &c.*

Anchersen (*Jo. Petri*) *Deſcriptio ſtatuum cultiorum in Tabulis.* 158
Anonymi Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum & elegantiorum literarum, quæ Berolini floret, ab origine ejus usque ad præſens tempus. 311
Relationes & Commentarii Coſmographici ad Annum 1748. 321
D'Anville, *Geographi Regii, Illuſtrationes Geographiæ Galliæ antiquæ.* 409
Analyſis geographica Italiæ. 440

Burck-

Burckhardi (*Jac.*) *Hiſtoria Bibliothecæ Auguſtæ, quæ Wolffenbutteli eſt.* Pars I. 333
Pars II. 478
Ceillierii (*Remigii*) *Hiſtoria generalis Scriptorum ſacrorum & eccleſiaſticorum.* Tomus XIII. 673
Commentarii Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ.
Tomus VII. 495
Tomus VIII. 581
Tomus IX. 645. 683
Corſini (*Eduardi*) *Faſti Attici.* Tomus I & II. 200
Diſſertationes IV Agoniſticæ. 401
A Dreyhaupt (*Jo. Chriſtoph.*) *Pagus Neletici & Nudzici.* Tomus II. 529
Emminghaus (*Theod. Georg. Guil.*) *Memorabilia Suſatenſia.* 153
Floreſii (*Henrici*) *Hiſpania ſacra, Theatrum geographico-hiſtoricum Eccleſiæ Hiſpanicæ.* Volumen I — IV. 1
De Gudenus (*Val. Ferd.* L. B.) *Codex diplomaticus.* Tomus II. 209
Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum ac elegantiorum literarum Berolinenſis. Annus 1748. 61
Jauna (*Dominici*) *Hiſtoria generalis regnorum Cypri, Hieroſolymarum, Armeniæ, & Ægypti, quantum ad expeditiones bellicas cruciatas attinet.* Tomi II. 145
Irici (*Jo. Andr.*) *rerum Tridinenſium Libri III.* 433
Kœleri (*Jo. Dav.*) *Hiſtoricarum e Numis deliciarum*
Pars XV. 537
Pars XVI. 691
De Mabli *Obſervationes de Græcis.* 426
Marangoni (*Jo.*) *Diſſ. de Monumento ſacro & profano Amphitheatri Flavii Romæ, vulgo Coloſſei.* 600
De Mosheim (*Jo. Laur.*) *novum Tentamen plenioris, & ſine partium ſtudio conſcriptæ, Hiſtoriæ Hæreſium ac Hæreticorum.* 297
Additamenta ad Hiſtoriam famoſi

Digitized by Google

Medici Hiſpani, Michaelis Serveti, Genevæ igne combuſti. 307
Nunning (*Jodoci Herm.*) *Monumentorum Monaſterienſium Decuria prima.* 24
Quirini (*Angeli Mariæ*) *Commentarii de rebus, pertinentibus ad ſe ipſum.* Partis II Liber I. 120
Liber II. 235
Roſchmanni (*Ant.*) *Conjectura pro aſſerendo Epiſcopatu Sabionenſi S. Caſſiani.* 472
De Rubeis (*Bern. Mariæ*) *Comment. de antiqua membrana Veneta.* 668
Saverien *Animadverſiones hiſtoricæ in originem & progreſſum conſtructionis navium apud veteres.* 328
Suetonius (*C. Tranq.*) *cum animadverſionibus* Jo. Aug. Erneſti. 636
Tartarotti (*Hieron.*) *Epiſtola de Epiſcopatu Sabionenſi S. Caſſiani.* 665
Wagneri (*Franc.*) *Hiſtoria Joſephi I, Cæſaris.* 289
Willebrandt (*Jo. Petri*) *Chronicon Hanſeaticum.* 337

VI. *Libri Philoſophici & Miſcellanei.*

Ancherſen (*Jo. Petri*) *Collecta de Criteriis boni libri.* 382
Anonymi Expoſitiones duarum antiquarum ex ferro clavarum, Meſſanæ repertarum A. 1733. 542
Autoris Græci Fabulæ aliquot Homericæ de Ulixis erroribus, ethice explicatæ, cum notis Jo. Columbi. 703
Argelati (*Phil.*) *ad Eruditos Epiſtola.* 713
Ariſtæneti *Epiſtolæ, ex ed.* Frid. Lud. Abreſch. 445
Bianchi (*Jo.*) *Or. funebris in laudem Alexandri Joſephi Clappinii, Placentini.* 707
Bionis & *Moſchi Idyllia, ex recenſ.* Nic. Schwebelii. 699
Carmeli *Diſſ. pro Euripide, & novo ejus Italico interprete.* 614
Catalogus Bibliothecæ Brubliana. Pars I. 241

Charitonis *Aphrodiſienſis Erotica, ex ed.* Jac. Phil. D'Orville. 97
Ciceronis (*M. T.*) *de Officiis ad Marcum filium Libri tres, cum Notis* Zach. Pearce. 28
Colleſchi (*Franc.*) *Diſſ. de Poſtis veterum.* 34
Commentarii Academiæ Scientiarum Petropolitanæ.
Tomus VII. 495
Tomus VIII. 584
Tomus IX. 645. 683
Corſini (*Eduardi*) *Notæ Græcorum.* 385
Gronovii (*Jo. Frid.*) *Notæ in Terentium.* 472
De Gudenus (*Val. Ferd.* L. B.) *Codex diplomaticus.* Tomus II. 209
Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum ac elegantiorum literarum Berolinenſis. Annus 1748. 61
Lactantii (*L. Cæc. Firm.*) *Opera omnia, ex ed.* Nic. Lenglet du Freſnoy. Tomi II. 193
Luzac (*Eliæ*) *Diſquiſitio politico-moralis, num civis innocens iræ hoſtis, longe potentioris, juſte permitti poſſit, ut excidium totius civitatis evitetur.* 238
Maſſei (*Scip.*) *tres Epiſtolæ; 1) de primo Tomo Dionis, nuper edito; &c.* 284
Menckenii (*Frid. Ott.*) *Miſcellanea Lipſienſia Nova.*
Vol. VII Pars III. 94
Pars IV. 519
Vol. VIII Pars I. 575
Muſeum Helveticum, ad juvandas literas in publicos uſus apertum. Tomus II. 176
Platneri (*Jo. Zach.*) *Orationes Academicæ.* 90
Opuſculorum Tomi duo. 544
Poemata didaſcalica, nunc primum vel edita, vel collecta. Tomi III. 429
Relandi (*Adriani*) *Poemata, edita ab* Abrah. Perrenot. 190

Ricol-

Ricolvi (*Jo. Pauli*) & *Ant. Rivautellæ Marmora Taurinenſia.* Tomus I. 115
Rivautellæ (*Ant*) & *Jo. Pauli Ricolvi Marmora Taurinenſia.* Tomus I. ibid.
Salluſtii, *Philoſophi, Tractatio de Diis & mundo, de ſermone Græco converſa.* 85
Sophoclis *Ajax, cum Scholiis, ex ed.* Jo. Gottfr. Hœrii. 44
Spencei (*Jo.*) *Polymetis, ſeu Commentarius de conſenſu inter priſcos Romanorum Poetas, & monumenta antiquorum ſculptorum, pictorum, cælatorum.* 625
Taylori (*Jo.*) *Marmor Sandvicenſe, cum Commentario & Notis.* 276

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Abreſchii (*Frid. Lud.*) *in Ariſtænetum merita.* 446 ſeq.
Ab Academia *Scientiarum Petropolitana præmia propoſita.* 671 ſeq.
Academiæ *Regiæ Scientiarum Berolinenſis hiſtoria plenius deſcripta.* 311 ſeq.
Halenſis hiſtoria plenius deſcripta. 531 ſeq.
Acta *Eruditorum ab obtrectationibus P. Carmeli vindicata.* 614 ſeq.
Ægypti *hiſtoria plenius deſcripta.* 146 ſeq. 152
Æquatio *meridiei.* 589
Æquationum *conſtructio.* 591. 650
Æræ *Hiſpanicæ ratio quæ?* 5
Ab Aere *morbi varii dependent.* 609 ſeq.
Aeris *natura & diverſitas demonſtrata.* 607 ſeq.
in corpus humanum influxus qualis? 608 ſeq.
In Agaricis *reperiundorum corporum diaphanorum Michelii examen Gleditſchii.* 65

Alche-

Digitized by Google

Alchemiæ *deditì Principes Germaniæ.* 693
De Alexandrini *Codicis ſcriptura judicium.* 575 ſeq.
De Alſinanthemo *Thalii, herba Bauhini, Diſſ.* 688
Amphitheatra *an ſoli Romani habuerint?* 109
Amphitheatrum *Flavium Romanum deſcriptum.* 600 ſeq.
Analyſis *infinitorum ex theoria Euleri.* 222 ſeq.
Anatomicarum *iconum quis primus inventor?* 561
Anatomicum *Muſeum Vateri deſcriptum.* 318 ſeq
Angliæ *monaſteriorum hiſtoria promiſſa.* 620 ſeq.
Apollinis *Belvederenſis ſtatua deſcripta.* 634 ſeq.
Aqua *fontana ceteris ſalubrior.* 568
Ex Aqua *plantas naſci, doctrina Elleri.* 61
In Aqua *fluente caloris & frigoris mutationes.* 514
Aquæ *in tubis capillaribus adſcenſus unde?* 597. 686
Aquarum *putreſcentium exſpirationes peſtiferæ.* 573 ſeq.
Architectura *militaris per Algebram illuſtrata.* 648
Archontum *Athenienſium hiſtoria & chronologia illuſtrata.* 201 ſeq.
Argelati (*Phil.*) *in rerum Italicarum Scriptores nova merita.* 713 ſeq.
Ariſtæneti *Epiſtolæ recens editæ.* 446 ſeq.
— *loca emendata, & explicata.* 448 ſeq.
Armeniæ *hiſtoria plenius deſcripta.* 146 ſeq.
Arteriæ *maxillaris icon.* 80
— *thyroideæ inferioris icones.* 81
— *cæliacæ icones.* ibid.
— *pharyngeæ icon.* 123
Arteriarum, *anterius in pectore ſitarum, delineatio.* 124
— *bronchialium & meſentericarum figuræ.* ibid.
— *renalium & vicinarum icon.* 125
Aſſemanni (*Steph. Evodii*) *Acta Martyrum orientalium & occidentalium commendata.* 51 ſeq.
Aſtronomicarum *Tabularum Euleri cum cælo conſenſus.* 66
Ad Aſtronomos *monitum Dominorum de la Caille & de l'Isle.* 135. 141
Athenienſium *res numaria illuſtrata.* 280
Atticæ *antiquitates illuſtratæ.* 201 ſeq.
De Auguſta (*Davidis*) *monachi,*

chi memoria inſtaurata. 181 ſeq.
Auguſti, *Ducis Brunſu. Luneb. ſcripta recenſita.* 335 ſeq.

B.

Bacchi *nominis etymologia.* 26 ſeq.
Balbini (*Bohusl.*) *ad Otton Menckenium Epiſtola edita.* 96
De Baptiſmo *hæreticorum quæ Firmiliani & aliorum fuerit ſententia?* 354 ſeq.
S. Barſaboæ (*Simonis*) *vita deſcripta.* 56
cognomen unde? ibid.
Bentleji (*Rich.*) *emendationes Manilii ſub judicium vocata.* 113 ſeq.
Berengarii *locus emendatus.* 96
Bernenſis *urbis hiſtoria recentior deſcripta.* 178
Bernoullii (*Jo.*) *elogium.* 316
Berolinenſis *Academiæ ſcientiarum hiſtoria plenius deſcripta.* 311 ſeq.
Bianchi (*Jo.*) *eloquentia laudata.* 708
Bibliothecæ *Bruhlianæ laudes.* 241 ſeq.
Auguſtæ Wolffenbuttelenſis hiſtoria plenius deſcripta. 334 ſeq.
Bibliothecarum *Halenſium libri præſtantiores recenſiti.* 533
Bionis *Idyllia a Schwebelio edita.* 699 ſeq.
Blanchini (*Joſephi*) *inſtitutum, Hiſtoriam eccleſiaſticam ex monumentis antiquis illuſtrandi.* 523 ſeq.
Bœrnerus (*Chriſtian. Frid.*) *laudatus.* 364 ſeq.
De Borcke, *Status miniſtri, elogium.* 316
Brachyſtochrona *in medio reſiſtente.* 508
Brokii (*Mariani*) *inſtitutum, Monaſticon Anglicum edendi, commendatum.* 621 ſeq.
Bruhlianæ *Bibliothecæ laudes.* 241 ſeq.
Le Brun (*Jo.*) *in Lactantium merita commendata.* 193 ſeq.
Buddeus (*Jo. Franc.*) *a Zimmermanno refutatus.* 179
Burckhardus (*Jo. Henr.*) *primus plantas ex partibus genitalibus dignoſcendi methodum invenit.* 582
Buſchii (*Herm.*) *Lipſicorum editio vetuſtior deſcripta.* 96

C.

Calculus *veſicæ adhærere obſervatus.* 554
Campanus *morbus qualis?* 560

Can-

Canceri, *morbi, virus examinatum.* 316
remedium tentatum. 317
Cancrum *occultum curandi modus præſcriptus.* 662 ſeq
Canonibus *Apoſtolicis an ſint duo a Donatiſtis intruſi?* 361 ſeq.
Capillares *tubi deſcripti.* 686
Caraccioli (*Galeacii*) *Vici Marchionis, vita deſcripta.* 183
Carmeli, *Patavinus, refutatus & notatus.* 614 ſeq.
Carmina *didaſcalica collecta.* 429 ſeq.
Erga Carolum *VI Imp. haud leve Caſtellanorum odium.* 291 ſeq.
Carotidis *externæ icon.* 124
Caſſiani (*Jo.*) *vita & ſcripta.* 674
S. Caſſiano *Epiſcopatus Sabioneuſis aſſertus.* 473 ſeq.
abjudicatus. 665 ſeq.
Celſi *locus explicatus.* 92
Chapmanni (*Jo.*) *in Ciceronis Officia Notæ edita.* 29
Charitonis *Aphrodiſienſis Amatoria edita.* 97 ſeq.
emendata & illuſtrata. 101 ſeq.
vita parum cognita. 98
Chiappini (*Alex. Joſ.*) *vita & elogium.* 707 ſeq.
Chordarum *vibrationes ab Eulero examinatæ.* 66
Chriſtianæ *doctrinæ in Hiſpania initia veſtigata.* 8
Chriſtianiſmus *quem uſum eruditioni præſtet?* 184
Chriſtus *in Actis Martyrum Deus appellatus.* 95
In Ciceronis *Officiis loca nonnulla explicata & emendata.* 30 ſeq.
Ad Circuli *quadraturam approximationes.* 660
Civis *innocens num ira hoſtis, ad evitandum civitatis exitium, permitti poſſit?* 238 ſeq.
Clavæ *ferreæ antiquæ Meſſanæ inventæ.* 542 ſeq.
Clitomachi *vita ab Heinio deſcripta.* 74
Cœcitas *ex læſione ſuperciliorum.* 569
Cœnæ *puræ veterum Ebræorum deſcriptæ.* 519 ſeq.
Coleri (*Ant.*) *de Hanſa Germanica Commentarii editi.* 345
Columbus (*Jo.*) *editor Homericarum de Ulyſſis erroribus fabularum.* 703 ſeq.
Conringii (*Herm.*) *ad Auguſtum, Ducem Brunſu. Lun. Epiſtolæ editæ.* 480

Conſiſtorianorum *Comitum munus illuſtratum.* 581
Conſtantini *M. Imp. baptiſmus aſſertus.* 19 ſeq.
Edictum ab objectionibus vindicatum. 19 ſeq
donatio aſſerta. 20
Porphyrogenneti Fragmentum deſcriptum. 690
Controverſiæ *de rebus ſacris quomodo tractandæ?* 184
Corporum *formatio.* 61
ſuper plano aſpero ſe percutientium, motus. 497
oblique ſe percutientium, actio. 646. 657
Corſinus (*Eduardus*) *laudatus.* 385
Coſmographicæ *Societatis Norimbergenſis ad Geographiam Germaniæ emendandam conatus.* 322 326
De Cotio (*Gerb.*) *ſingularia.* 28
Cruciatarum *expeditionum hiſtoria deſcripta.* 146 ſeq.
Curſores *antiquis pro poſtis uſitati.* 36 ſeq.
Curvæ *duæ in quot punctis ſecare ſe poſſint?* 73
Curvarum *doctrina a contradictione apparente liberata ab Eulero.* 72
maximi, vel minimi, proprietate gaudentium, inveſtigatio. 511. 594
Cyaxares *de ſolio regali deturbatus.* 576
Cycloidis *cauſtica.* 495
Cypri *regni hiſtoria plenior.* 146 ſeq.
Cypriani *de baptiſmo hæreticorum Epiſtola inter ſpurias non referenda.* 358 ſeq.
Cyrilli *Antiocheni vita & ſcripta.* 676 ſeq.

D.

De Dandulo (*Henrico*) *Patriarchæ titulo conſpicuo, controverſia illuſtrata.* 668 ſeq.
Dii *gentilium in monumentis antiquis repræſentati.* 631 ſeq.
De Dionis *Caſſii editionibus Falconis & Reimari judicium.* 285 ſeq.
Diplomata, *hiſtoriam Germaniæ illuſtrantia, edita.* 210 ſeq.
A Dreyhaupt (*Jo. Chriſtoph.*) *laudatus.* 529 ſeq.
De Duræi (*Jo.*) *negotio irenico Epiſtolæ.* 187

Digitized by Google

E.

Eccleſiaſticarum *dignitatum origines veſtigata.* 3 ſeq

Eclipſis *annularis a Kieſio obſervata.* 67
atmoſphæram lunæ probat. ib.

Epiphyſes *oſſium anotomice explicatæ.* 553

Epiſcopatuum *Hiſpanorum origo & ſtatus primitivus.* 14 ſeq.

Erneſti (*Jo. Aug.*) *in Platnerum pietas laudata.* 90
in Suetonium merita. 637 ſeq.

Eruditioni *quem uſum Chriſtianiſmus præſtet?* 184

Eulerus (*Leon.*) *laudatus.* 234

Euripides *a P. Carmeli peſſime tractatus.* 617 ſeq.

De Euſebiana *Actorum veterum Martyrum collectione judicium.* 59

F.

Fabularum *inventores Ægyptii.* 86
uſus qualis? 87

Faciei *muſculi.* 518

Falconis *editio Librorum aliquot Dionis ſub judicium vocata.* 285

Faſciarum *uſus commendatus.* 572

De Fato *Stoicorum controverſia literaria.* 179

Febres *meſentericas Romanas curandi modus qualis?* 161 ſeq.
unde oriantur? 269

Febrium *intermittentium cura per Rheum cum Rhabarbaro mixtum commendata.* 78 ſeq.
varia genera. 275

Cum Felle *vitri inſtituta experimenta.* 63

Feſti *locus tentatus.* 277

Ficus *ex trunco arboris nata.* 598

In Figuris *rectilineis maxima quæ?* 654

Firmiliani *de Baptiſmo Hæreticorum Epiſtola inter ſpurias non referenda.* 355 ſeq.

Fiſtula *lachrymalis morbus qualis?* 550 ſeq.

Floreſius (*Henr.*) *laudatus.* 18

Formeii *verſio Salluſtii, Philoſophi, Gallica commendata.* 85

Fractionum *continuarum theoria.* 652

Du Freſnoy (*Lengleti*) *in Lactantium merita commendata.* 193 ſeq.

Frictionis *theoria Euleriana.* 68

Functionum *theoria generalis.* 223 ſeq.

G.

Galliæ *antiqua Geographia illuſtrata.* 409 ſeq.
Gaugræna *morbus qualis?* 421 ſeq.
quomodo curanda? 425 ſeq.
Geographiam *per compendium tradendi modus.* 160
Ad Geographiam *Germaniæ emendandam Societatis Coſmographicæ conatus.* 320. 326
Germaniæ *hiſtoria per Diplomata illuſtrata.* 210 ſeq.
Ad Germaniæ *Geographiam emendandam Societatis Coſmographicæ conatus.* 322. 326
Gibberoſi *ex tuberculis.* 571
Glaciei *formatio a Mairano explicata.* 458 ſeq.
phænomena quæ? 464 ſeq.
Glasgalle, *vid.* Fel vitri.
Gloſſarium *Iſidori emendatum.* 522
De Golze, *ducis bellici, elogium.* 316
Græcæ *linguæ ſtudium cur a multis negligatur?* 178
Græcarum *vocum in ſignificando diverſitas.* 521
Græcorum *notæ, ſeu compendia ſcribendi, collecta.* 386 ſeq
Græcorum *veterum hiſtoria illuſtrata.* 426 ſeq.
Griſchovii *elogium.* 516

H.

Halenſis *urbis & Academiæ hiſtoria plenius deſcripta.* 531 ſeq.
Hamburgi, *urbis Hanſeaticæ, hiſtorica deſcriptio.* 340
Du Han *elogium.* 316
Hanſeaticarum *urbium hiſtoria plenius deſcripta.* 337 ſeq.
Harmonicarum *ſerierum ſummatio.* 509
Henrico *VII Imp. perperam imputata juris, Regem Romanorum eligendi, abrogatio.* 76
Herodoti *locus explicatus.* 96
loca emendata. 102. 521. 576
Herthæ *Deæ cultus deſcriptus.* 75
Heumannus (*Chriſtoph. Aug.*) *laudatus.* 353
Hieroſolymorum *hiſtoria plenius deſcripta.* 146 ſeq.
Hilarii, *Epiſc. Arelatenſis, vita & ſcripta.* 679 ſeq.
De Hippocrate *Chio Diſſ.* 76
Hiſpaniæ *Hiſtoria eccleſiaſtica plenius expoſita.* 2 ſeq.

Hiſpa-

Digitized by Google

Hiſpaniæ *diviſio politica.* 4 ſeq
Hiſpanicæ *æræ ratio qua?* 5
Hiſpanorum *antiquiſſimus ritus ſacer deſcriptus.* 11 ſeq.
Epiſcopatuum origo & ſtatus primitivus. 14 ſeq.
Hiſtoria *eccleſiaſtica Hiſpaniæ plenius expoſita.* 2 ſeq
monumentis antiquis comprobata. 523 ſeq.
Hiſtoriam *Statuum Europæ per Tabulas tradendi modus.* 159
Hochſtetteri (*Andr. Ad.*) *iter literatum, per Epiſtolas deſcriptum.* 576
Hoerii (*Jo. Gottfr.*) *in Sophoclis Ajacem merita.* 44 ſeq.
Homericæ *Fabulæ de Ulyſſis erroribus editæ & explicatæ.* 704 ſeq.
De Hundt (*Magno*) *ſingularia* 561
Hydrocele *morbus qualis?* 558

I.

Jacobi *Apoſtoli in Hiſpaniam adventus aſſertus.* 9 ſeq.
Idacii *Chronicon illuſtratum.* 17 ſeq.
Ex Immunditiis *varii morbi oriri ſolent.* 551 ſeq.
Infinitorum *analyſis ex theoria Euleri.* 222 ſeq.
S. Ingenuinus, *primus Sabionenſium Epiſcopus.* 665 ſeq.
De Inſania *judices Medici.* 572 ſeq.
Inſcriptio *antiqua Turicenſis explicata.* 181
Sandvicenſis explicata. 276 ſeq. 401
omnium longiſſima agri Placentini illuſtrata. 287 ſeq.
in clavis ferreis antiquis detecta. 548
Inſcriptiones *Taurinenſes collectæ.* 115 ſeq.
aliquot Herculanenſes explicatæ. 286 ſeq.
antiquæ Græcæ explicatæ. 396 ſeq. 399 ſeq.
De Integrali *calculo meditatio Alamberti.* 74
Interpretandi *leges veteres & novas ars explicata.* 415 ſeq.
Jordani (*Car. Steph.*) *elogium.* 316
Joſephi *Imp. res geſtæ deſcriptæ.* 289 ſeq.
Iſidori *Gloſſarium emendatum.* 522
Peluſiotæ vita & ſcripta. 680 ſeq.
Iſthmiorum *veterum tempus definitum.* 405 ſeq.

Italiæ

Digitized by Google

Italiæ *Geographia illuſtrata.* 441 ſeq.
Italicarum *rerum Scriptores novo Volumine aucti.* 713 ſeq.
Jura *interpretandi ars Compendio tradita.* 415 ſeq.
Juris *Theſaurus novus promiſſus.* 215 ſeq.
editus. 577 ſeq.
Juſtum *unde cognoſci poſſit?* 246. 249 ſeq.
unde originem traxerit? ibid.

K.

De Keyſerlingk, *tribuni militum, elogium.* 316
Kircheri (*Athanaſ*) *ad Auguſtum, Ducem Brunſu. Luneb. Epiſtolæ edita.* 480

L.

Lactantii *notitia literaria* 194 ſeq
vita. 195
editiones recenſita. 196
loca explicata, emendata, & illuſtrata. 199 ſeq
Lactantium *victus & regimen.* 555
In Lactantium *merita le Brun & Lengleti commendata.* 193 ſeq
Lamprechtii *elogium.* 316
Lapides *figurati duo deſcripti.* 514
Laſcaris (*Conſtantini*) *in Orpheum Poetam prælectiones editæ.* 116
Latinitas *JCtorum veterum illuſtrata.* 581 ſeq.
Leucæ *Gallicæ menſura quæ?* 409
Libri *boni criteria.* 383
ſub initia artis typographicæ excuſi, recenſiti. 522
Bibliothecarum Halenſium præſtantiores recenſiti. 533
Ligamenti *ciliaris in oculo motus.* 567
Lipſienſis *agri plantæ collectæ.* 220 ſeq.
Lubecenſis *urbis hiſtorica deſcriptio.* 337
Luciani *loca nonnulla explicata & emendata.* 110 ſeq. 451 ſeq.
Lunæ *atmoſphæra ex ſolis eclipſi probata.* 67
revolutio circa axem. 323
Lunulæ *a circulis formatæ.* 658

M.

Mjelli (*Caroli*) *Archiep. Emeſſeni, vita.* 59
Maittairii *Annales typographici ſuppleti.* 522

Mani-

Digitized by Google

[Ma]nilii *lectiones vulgatæ vindicatæ.* 113 ſeq.
Manſionum *veterum ratio qua?* 38
B. Mariæ *ad Meſſanenſes epiſtola in clavis ferreis inſcripta.* 543
Martis *imago in monumentis antiquis.* 632 ſeq.
Martyrum *orientalium & occidentalium Acta edita.* 50 ſeq.
— *veterum Acta, quod ad Chriſti deitatem attinet, genuina.* 95
Mechanicæ *quædam leges novæ.* 592
Medici, *ad mores ſeculi compoſiti, imago.* 91
Medicinæ *abrogatio per ſatiram commendata.* 92
In Medicis *gratus animus laudatus.* 574
Medicus, *vir bonus.* 573
Meermannus (*Gerb.*) *laudatus.* 215. 583
Mercatoris (*Marii*) *vita & ſcripta.* 681
Mercurii *uſus in Medicina ſemper temerarius.* 456 ſeq.
Meridiei *æquatio.* 589
Micrometrum *novum Mayeri.* 523
Milliarium *Romanorum cum leuca Gallica comparatio.* 409 ſeq.
Minucius *Felix explicatus & emendatus.* 95. 576
Miſericordia *medentium ſæpe crudelis.* 92
Moguntina *hiſtoria per Diplomata illuſtrata.* 211 ſeq.
Monaſterienſia *monumenta deſcripta.* 25 ſeq.
Monaſticon *Anglicanum promiſſum.* 620 ſeq.
Moralitatis *principia ex traditione divina cognoſcenda.* 249 ſeq.
Morbi *ex immunditiis quales?* 551
Morbus *Campanus qualis?* 560
Moſchi *Idyllia a Schwebelio edita.* 699 ſeq.
Motus *corporis nimius valetudini noxius.* 556 ſeq.
Mozarabicum *officium Hiſpanorum deſcriptum.* 11 ſeq.
Muſculi *labiorum & faciei examinati.* 685
De Muſculo *digaſtrico Obſerv.* 566
Muſculorum *faciei actio.* 518
Muſeum *anatomicum Vateri deſcriptum.* 318 ſeq.

N.

Neudæi *elogium.* 316
Navis *conſtructio & motus ex theoria Bougueri* 252 ſeq.
Navium *conſtructionis apud veteres origo & progreſſus.* 328 ſeq.
Nemeorum *veterum tempu. definitum.* 404 ſeq.
S. Nili *vita & ſcripta.* 674 ſeq
Nomotheſiæ *Chriſtianæ principia adſtructa.* 180
Notæ, *ſeu ſcribendi compendia, Græcorum collecta.* 386 ſeq.
Noveniani (*Phil.*) *in Buſchii Lipſica Notæ deſcriptæ.* 96
vita. ibid.
Numaria *res Athenienſium illuſtrata.* 280
Numerica *Problemata.* 503
594
Numerorum *perfectorum theoria.* 496
Numi *Seculi Conſtantiniani recenſiti.* 23
rariores collecti. 539 ſeq.
693 ſeq.
De Numo *quodam antiquo Vaillantii & Harduini controverſia.* 600

O.

Obſtetriciæ *artis antiquitas illuſtrata.* 563 ſeq
Oculorum *ſuffuſio quomodo curanda?* 464 ſeq.
ſcarifatio quomodo inſtituenda? 551.
563
Officium *apud Ciceronem quid ſit?* 30
De S. Oglerio, *Locedienſis monaſterii Abbate, Diſſ.* 440
Olympiorum *ludorum tempus definitum.* 401 ſeq.
Orbitarum *Planetarum determinatio.* 503
In Orpheum *Poetam prælectiones Conſtantini Laſcaris editæ.* 116
Orthodoxia *definita.* 187
D'Orvillii (*Jac. Phil.*) *in Charitonem Aphrodiſienſem merita.* 97 ſeq.
Oſcillationes *corporum explicata.* 504
Oſſium *epiphyſes anatomice explicatæ.* 553
conformatio & color. 567
Oſteocolla *Marchica examinata.* 64.
65
Oſterwaldi (*Jo. Frid.*) *vita.* 182 ſeq.
Otiantium *valetudo qualis?* 93
De Ovo, *ſolis effigiem in ventre impreſſam habente, judicium.* 709

Palæ-

Digitized by Google

P.

Palæſtinæ *hiſtoria deſcripta.* 145 ſeq.

Pallor *formæ cauſa inepte quæſitus.* 569

Paparum *a prima ſedis Romanæ origine ad noſtram uſque ætatem hiſtoria deſcripta.* 481 ſeq.

Parabolani *veteris eccleſiæ qui fuerint?* 520

Ad Parallaxes *Solis & Lunæ investigandas Aſtronomi invitati.* 135 ſeq.

Patriarchæ *nomen & dignitas illuſtrata.* 3 ſeq.

Pearce (*Zach.*) *in Officia Ciceronis merita.* 30 ſeq.

Pecuniam *quibus notis deſignaverint Athenienſes?* 280

Pedratti (*Ignatii*) *cum Paulo Valcarenghio liticula.* 77 ſeq.

A Percuſſione *excentrica variatio motuum.* 657

Perſii *verſus obſcuriores explicati.* 185

Peſtilentiæ *Ucrainienſis ratio & cura deſcripta.* 41

Phædrus *an ſit Scriptor genuinus?* 107

Philoſtorgii, *Hiſtorici, vita & ſcripta.* 681 ſeq.

Plantæ *Lipſiæ indigenæ collectæ.* 220 ſeq.

Plantarum *character a radicibus peti poſſit?* 382

— *quinque nova genera.* 595

Plantas *in ordinem diſponendi methodi variorum variæ.* 379 ſeq.

— *ex earum partibus genitalibus ordinandi methodus aſſerta.* 381

Platneri (*Jo. Zach.*) *Orationes laudatæ.* 90

— *elogium.* 91

— *vita & ſcripta.* 545 ſeq.

In Pleuritidis *cura venæſectio commendata.* 162

Poetarum *Romanorum & monumentorum veterum conſenſus demonſtratus.* 625 ſeq.

Poetices *apud Romanos origo, progreſſus, & decrementum.* 626 ſeq.

De Polygoni *regularis latere ex numero laterum determinando Obſerv.* 82

Pomum *e trunco arboris natum.* 595

Poſtarum *antiquitates illuſtratæ.* 35

De Providentia *veterum Philoſophorum ſententia.* 87

De Pſelli (*Mich.*) *Synopſi legum judicium.* 579

Pythicorum *ludorum tempus definitum.* 403 ſeq.

Q.

Quirini (*Ang. Mariæ*) *Card. vita, ab ipſo deſcripta.* 120 ſeq.
235 ſeq.

R.

Regis *Romanorum eligendi jus an ſit ab Henrico VII Imp. abrogatum?* 76
De Reimari (*Henr. Sam.*) *editione Dionis judicium.* 286
Reiskii (*Jo. Jac.*) *interpretatio Latina Charitonis edita.* 99 ſeq.
vindiciæ. 100
Relandi (*Adr.*) *Poemata laudata.* 190
Religio *naturalis figmentis purgata.* 710 ſeq
Rheo *cum Rhabarbaro mixto febres intermittentes curandi modus commendatus.* 78 ſeq.
Riſus *a ſplene.* 566 ſeq.
Roſtii *in Bibliothecam Bruhlianam merita.* 242
Ruſſiæ *Geographia illuſtrata.* 690

S.

Sabionenſis *Epiſcopatus S. Caſſiano aſſertus.* 473
abjudicatus. 665 ſeq.
S. Ingenuino aſſertus. ibid.
In Sacrificiis *gentilium ritus explicatus.* 96
Salluſtius *de Diis ac mundo Gallice verſus.* 85
Sanctorum *Martyrum orientalium & occidentalium Acta edita.* 50 ſeq.
Sandvicenſe *marmor explicatum.* 276 ſeq.
401
Sanguinis *circulatio qualis?* 318
Saporis *vita & perſecutio Chriſtianorum deſcripta.* 55
Scarificatio *oculorum quibus inſtrumentis perficienda?* 551
an utile remedium? 563
De Schwebelii (*Nic.*) *in edendis Bionis & Moſchi Idylliis conatibus judicium.* 701 ſeq.
Scripturæ *ſacræ loca explicata, aut illuſtrata:*
Gen. XX, 4, 5. 373
Exod. XXII, 33. ibid.
XXIII, 20. 519
Levit. XIII, 46. 373
Num. XXIV. 56
17. 189
Judic. XV, 1. 373
1 Chron. II, 30. 36
2 Chron. XXIII, 14. 373
Pſ. XVI, 2. 94
LVIII. 575
CXLVII, 16. 519
Prov. VI, 29. 373

Prov.

Eccleſ. XII, 6. 187
Eſ. I, 26. 350
XXXIV. 9
Thren. III, 49. 108
Zach. VI, 13. 183
Matth. I, 20. 454
V, 13. 187
VI, 25. 373
31. ibid.
VIII, 26. 455
XIX, 13. 371
XXI, 34. 448
Marc. I, 16. 370
23. ibid.
35. 372
II, 1. 48
3. 370
9. 372
15. ibid.
III, 7. 370
21. 371
IV, 10. ibid.
V, 7. 373
49. 372
VI, 10. ibid.
23. ibid.
45. 371
VII, 42. 372
VIII, 34. 370
IX, 57. 372
X, 2. 373
13. 371
XII, 29. 373
XII, 29. 373
XIII, 9. 371. 373
Marc. XV, 42. 520
XVI, 7. 371
XVII, 12. 373
XXII, 23. 372
Luc. I, 3. 347
15. 348
24. ibid.
59. ibid.
69. 70. ibid.
72. ibid.
II, 1. 349
9. ibid.
14. 712
15. 349
III, 2. 350
23. ibid.
IV, 2. ibid.
13. ibid.
VII, 14. 350
VIII, 14. 351
IX, 59. ibid.
X, 20. ibid.
XII, 15. ibid.
XIV, 23. 352. 371
XVI, 1. 352
XVII, 24. ibid.
XX, 13. ibid.
XXI, 19. 353
24. ibid.
XXII, 35 ſeq. ibid.
XXIII, 54. 520
Jo. I, 13. 88
XIV, 10. 350
XIX, 14. 519
XX, 17. 177

Act. XVIII, 11. 181
Rom. XII, 11. ibid.
XV, 20. 9
1 Cor. VII, 1. 373
XV, 32. 604
XVI, 22. 519
Gal. I, 18. 9
II. 358
Eph. IV, 18. 351
X, 20. ibid.
Phil. II, 30. 520
1 Tim. III, 2. 189
VI, 10. 352
2 Tim. II, 26. 108
1 Jo. V, 7. 533
Ebr. VI, 1, 2. 94
Jac. III, 6. 187
IV, 13. 181
Apoc. V. 183
De Seriebus *infinitis obſervationes.* 656
Serierum *harmonicarum ſummatio.* 509
reciprocarum ſummatio. 507
convergentium ſummatio. 584
Serveti (*Mich.*) *hiſtoria plenius deſcripta.* 298 ſeq. 307 ſeq.
Siglæ *Græcorum veterum collecta, & explicata.* 394 ſeq
Silveſtri *Acta an ſint genuina?* 21
Somnus *infantum ex agitatione cunarum.* 568
Somnus *in cubiculis calefactis noxius.* 570
Sophoclis *Ajax recens editus.* 44 ſeq.
explicatus & emendatus. 45
Sozomeni, *Hiſtorici, vita & ſcripta.* 682
De Spatio *& tempore meditatio Euleri.* 75
De Spiritus *S. proceſſione controverſia Græcorum & Latinorum deſcripta.* 374 ſeq.
Statica *ex principio virium vivarum demonſtrata.* 125 ſeq.
162 ſeq.
De Stephani (*Henr.*) *Juris civilis fontibus judicium.* 579
Per Stillicidium *infirmos articulos curandi modus.* 573
De Stylitis *Diſſ. edita.* 60
Suetonii *nova editio Erneſtiana.* 637 ſeq.
loca multa emendata, & explicata. 638 ſeq.
Superſtitio *arti medicæ peſtilentiſſima.* 93
Ex Suppuratione *cohibita noxæ variæ.* 554. 570
Suſatenſis *reipublicæ plenior hiſtoria.* 154 ſeq.
Suſatenſium *Statutorum ratio deſcripta.* 156 ſeq.

Sym-

Digitized by Google

Symbolica *Theologia Compendio tradita.* 364
Symbolicorum *librorum theologicorum hiſtoria literaria.* 366 ſeq
Synchyſis *explicata.* 110

T.

Per Tabulas *hiſtoriam Europæ tradendi modus.* 159
Tartagni (*Alexandri*) *vita & ſcripta.* 693 ſeq.
Taurinenſes *Inſcriptiones collectæ.* 115 ſeq.
Taylor (*Jo.*) *modeſte refutatus.* 109 ſeq.
marmoris Sandvicenſis doctus interpres. 276 ſeq.
De Tempore *& ſpatio meditatio Euleri.* 75
In Terentium *Notæ Gronovii editæ.* 472 ſeq.
Terræ *ſanctæ Mappa Harenbergiana.* 325
figura qualis? 596
Thaleri *rariores recenſiti.* 537 ſeq.
691 ſeq
S. Theoduli *imago in thalero.* 538
Theologia *ſymbolica Compendio tradita.* 364 ſeq.
Theologus *polemicus qualis eſſe debeat?* 176
In Theophraſti *Characteribus locus explicatus.* 283
Thermometra *concordantia quomodo paranda?* 598
De Thermometris *obſervationes variæ.* 683 ſeq.
Thoraces *fœminarum quantum valetudini officiant?* 552
Thymi *glandulæ ſtructura.* 512
Ex Timore *ægrotantes tractandi modus Medico præſcriptus.* 91
Tindalii *vita.* 713
Ex Traditione *divina moralitatis principia cognoſcenda.* 249 ſeq.
Tragœdiæ *templum carmine deſcriptum.* 431 ſeq.
Trajano *poſitâ Inſcriptio antiqua explicata.* 118 ſeq.
Tridinenſis *urbis hiſtoria deſcripta.* 433 ſeq.
Tubarum *veterum varia genera.* 47 ſeq.
Ex Tuberculis *gibberoſi.* 571
Tubi *capillares deſcripti.* 686
Tumores *infantum unde?* 562

U.

Valcarenghii (*Pauli*) *cum Ignatio Pedratti liticula.* 77 ſeq.

Valerii

Valerii *Flacci locus explicatus.* 112
Vateri (*Abrab.*) *Muſeum anatomicum deſcriptum.* 318 ſeq.
Venæſectio *in cura pleuritidis ſæpius repetenda.* 162
Veneris *ſtatua antiqua.* 631 ſeq.
Ventriculi *vaſa ſanguiſera.* 512
Uhaballathi *antiquitates illuſtratæ.* 179
Des Vignoles *elogium.* 316
Virgilii *laudes decantatæ.* 191 ſeq.
Virium *maxima & minima in actione.* 71
— *effectus quas leges generales ſequantur?* 72
— *vivarum conſervatio a Dan. Bernoullio conſiderata.* 75
Ex Virium *vivarum principio Statica demonſtrata.* 115. 161
Virus *cancroſi effectus.* 316
— *cura.* 317
Viſcerum *ſtructuram indagandi methodus Lieberkuehnii.* 64
Viſigothorum *Regum Chronicon editum.* 7
De Ulyſſis *erroribus fabulæ Homericæ editæ & explicatæ.* 703 ſeq.
Urſtiſii (*Chriſtiani*) *vita.* 186
Uteri *humani icon.* 81

W.

Wagneri *elogium.* 316
Wagnerus (*Franc.*) *laudatus æque ac notatus.* 294 ſeq.

X.

Xenophontis *locus illuſtratus.* 576

Pag. 87 *lin.* 33 pro *aberaſſe* legendum *aberraſſe*; *pag.* 472 *lin. ult.* pro *Sacctorum* leg. *Sanctorum*; *pag.* 707 *lin.* 20 pro *Legicographi* leg. *Lexicographi.*

Digitized by Google

Digitized by Google